SC.11.pl.7.

37
26 B
26

APOLOGIA PRO CHRISTIANA RELIGIONE

QVA

A R. P. PHILIPPO GVADAGNOLO
Malleanenſi, Clericorum Regul. Minorum
S. Theologiæ & Arabicæ linguæ
Profeſſore,

RESPONDETVR

*AD OBIECTIONES AHMED FILII ZIN
Alabedin, Perſæ Aſphahenſis, contentas
in Libro inſcripto*

POLITOR SPECVLI.



ROMAE, Typis Sac. Congreg. de Prop. Fide. MDCXXXI.
Superiorum Permiſſu.

RAPHAEL AVERSA PRAEPOSITVS Generalis Clericorum Regularium Minorum.

APologiam hanc pro Chriſtiana Religione ad Mahometanos, à P. Philippo Guadagnolo noſtrę Religionis Sacerdote Sacræ Theologiæ, & Arabicæ linguæ profeſſore, elaboratam, atque à deputatis Patribus recognitam, præſentium tenore, quantum ad nos attinet, typis mandari concedimus. Datum Romæ in domo noſtra S. Laurentij in Lucina, die 17. Iunij 1631.

Raphael Auerſa Præpoſitus Generalis.

Imprimatur ſi placet Reuerendiſſ. P. M. Sac. Pal. Apoſt.
A. Epiſc. Bellicaſtren. Viceſg.

APologiam hanc integram R. P. Philippi Guadagnoli Clericorum Regularium minorum, inſignis Theologi, iuſſu Dominorum, ad quos pertinet, Ego Fr. Theodorus Bergomenſis Capuccinus quanta potui attentione perlegi, & perſpexi; & ne dum nõ aliquid contra fidem, aut bonos mores; Verùm omnia & plurima, linguarum peritia, & Sanctorum Patrum eruditione clariſſima reperi; quibus idem Pater Alchorani mendacia, eiuſque aniles fabulas aperit, reÿcit, reuincit, & diſſoluit; adeò vt ſi quis ea Mahometanus legat, non dubito quin Mahometi falſitatem agnoſcens, Chriſtianæ fidei veritatem amplectatur, ſuperueniente tamen à Deo lumine.

Fr. Theodorus qui ſupra.

Imprimatur
Fr. Nicolaus Riccardius S. Pal. Apoſt. Magiſter.

SANCTISS. PATRI
VRBANO VIII.
P. O. M.

ADVOLANS Api s illa Diuina, Chriſtus Dominus (teſte Bernardo) de ſummo cęli vertice ad ſuaueolens floridæ vrbis Lilium, exinde ſtillantia Chriſtianæ Religionis mella formauerat, & in Eccleſiæ condiderat aluéario, & abſceſſerat: quàndo inuidens Mahometi veſpa, cùm nequiret fauos melle replere, ad Apis æmulationem, cellulas quaſdam efformauit, eaſq; putenti cœno infectas, in Alchorani veſpario abdidit, eius ſpecie mellis fuco linita. Ad eam plerique feſtinauere decepti, ignorantes Apem, neſcientes aluearium; atque ita diù in Alchorani cœno Mahometani volutabantur; ſoli in Chriſti Euangelio veræ Religionis fauo Chriſtiani perfruebantur. Sermone 1. de Aduentu Domini.

At tandem Eccleſiæ alueario altera Apis vice prioris inſedit: tunc, non priùs, ad inſidentis Apis indicium, aluearium Mahometanus agnouit: tunc fauos perſcrutaturus acceſsit. Propterea non niſi Te, BEATISS. PATER, in Petri Cathedra ſedente, Mahometi ſectatores diuina Chriſti teſtimonia per diſputationum inquiſitiones agnoſcere tentauerunt. Putabant enim, in Orbe terrarum non extare vera Deitatis aluearia, vel certè veſpam exiſtimabant Apem, & cœnoſas veſparum cellulas apum fauos cenſebant; cùm nuſquam veræ Apis ſpeciem, nec veri mellis dulcedinem ſenſiſſent: at, Te ſuperinſidente, agnita veræ Apis ſpecie, illicò & verum alueare ſunt perſcrutati.

Iuſsiſti B. P. eis perſcrutantibus recludi fauos, cum cœnoſis Mahometicæ veſpæ cellulis diſtillantia Chriſti mella conferri, vt à falſis fucatiſquè vera diſtinguantur, & à Mahometo faui ſpecie decepti, vera ſuauitate alliciantur, & poſt longam inediam reficiantur. Ecce, vt iuſsionem impleam, recludo fauos, & ex ea parte, quam Mahometani in-

ſpe-

ſpectant, aluearij latus aperio, cæleſtis Apis fabricam oſtento: inſuper & cœnoſas Alchorani cellulas, à Mahometi veſpa intra abſtruſas Arabicæ linguæ cauernas ingeſtas, ad lumen extraho, & patefacio; vt earum fœtor ſentiatur, & diſtillans Chriſtianæ Religionis fauus agnoſcatur, Vale. Et Tui aculei punctionem diù iniqui timeant: rectiquè diutiſsimè Tui mellis dulcedine iucundentur.

S. T.

Deuotiſſ. & humillimus ſeruus
Philippus Guadagnolus Cler. Reg. Minorum.

AD LECTOREM.

S*CRIPSERAT deuotus Chriſtianæ Religionis profeſſor, ex venerabili Ieſuitarum Societate, eiuſdem Chriſtianæ fidei documenta, libroq. ſacra myſteria continenti præfixerat titulum* Speculum verum oſtendens. *Libri titulum, & doctrinam pariter, admiratus Nobilis quidam Perſa, nomine Ahmed, filius Zin Alabedin, cùm Mahometo fidem præſtaret, nequiens inter antiquas, in quibus iacuerat, tenebras improuiſi luminis radios ſuſtinere, videbatur ſibi, Speculum illud, non de Sole Diuinitatis reflexam veritatis lucem in eius mentem ingerere, ſed potiùs de tenebris falſitatis ementitas vmbras: Vnde plura obiecit Speculo, &, quaſi illud expoliturus, ſuarum obiectionum congeriem,* Politorem Speculi, *nominauit: in quo vniuerſa Catholicæ fidei documenta euertere conatur, præcipuè Diuinæ Trinitatis, & Diuinitatis Chriſti myſteria, eorum loco ſubſtituens Mahometi mendacia. Nos autem pro modulo noſtro in præſenti libro noſtræ fidei rationem reddentes, Apoſtolorum Principis nitimur obſequi præcepto, Epiſtola prima mandantis:* vt ſimus parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti nos rationem de ea, quæ in nobis eſt ſpe.

Et quoniam à Perſis in contrarium allata in

qua-

quatuor partes diuiſa obijciuntur, nempe: Primò circa Sacroſanctum Trinitatis Myſterium. Secundò circa Ineffabile Incarnationis Sacramentum. Tertiò circa Sacrarum Scripturarum auctoritatem. Quartò circa Alchoranum, eiuſq. Legiſlatorem Mahometum. Propterea in quatuor etiã tractatus Reſponſio diſpoſita eſt; diuerſo tamen ordine: Sacroſanctæ enim Trinitatis, & Diuinæ Incarnationis, myſteria nequeunt principijs naturalibus comprobari, ſed eorum probatio altiùs petenda eſt, & ex diuinis ſacrarum Scripturarum teſtimonijs, diuiniſq. Traditionibus eſt deriuanda. Repoſitis igitur ad finem tantis myſterijs, vt fundamenta iaciantur, quibus aſtrui poſſint.

De ſacrarum Scripturarũ veritate & ſinceritate tractatus præmittitur: in quo omnes & ſinguli libri, tàm Veteris, quàm Noui Teſtamenti, diuini eſſe probantur, auctoritate Pontificum, Conciliorũ, & Patrũ: Inſuper conceſſione tàm Alchorani, quàm aliorum librorum, quorum auctoritas apud Mahometanos irrefragabilis eſt. Iiſdemq. auctoritatibus (adiunctis etiam rationibus) oſtenditur, ſacras Chriſtianorum Scripturas (prout Mahometani obloquuntur) nunquã fuiſſe adulteratas, idq. magis perſpicuum redditur inſpectione quorumdam locorum, qui pre ceteris Scripturarum locis (ratione materiæ) maximam in Mahometanorum mentibus excitare poſſent ſuſpicionẽ: &

tan-

tandem omnes ab eis propoſitæ ſoluūtur difficultates.

Secundò, agitur de Alchorano, & ex qualitatibus Diuinæ legis Pſalmo xviij. recenſitis, oſtenditur, propter mendacia, contradictiones, iniuſtitias, & cætera in eo contenta, Alchoranum Dei legem non eſſe; ſed Mahometi continere imposturas. Qui deinde, non Propheta, aut Paraclitus (prout ipſe de ſe iactat) ſed impoſtor, & ſeductor fuiſſe demonſtratur, & ſimul omnia pro eo à Perſis allata refelluntur.

Tertiò: oſtenſa ſacrarum Scripturarum veritate, & ſinceritate; Mahometi, eiuſquè librorum falſitate: Chriſtianæ Religionis myſteria proponuntur. Et primò ſacroſancta Diuinarum perſonarum Trinitas explicatur, deinde probatur auctoritate Scripturarum, & (oſtenſa prius ex Mahometanorum libris & principijs, quanta ſit ſacrorum Conciliorum, Sanctorum Patrum, & aliorum Scriptorum Catholicam fidem profitentium, circa Religionem auctoritas) probatur ex ijſdem Concilijs, & Patribus. Deinde oſtenditur, Mahometum ipſum, quamuis inuitum, vi tamen veritatis tantum myſterium fateri coactum. Et tandem, Filij & Spiritus ſancti oſtenſa Diuinitate, reali Trium Perſonarum diſtinctione, Spiritum ſanctum etiam à Filio procedere, ad propoſitas difficultates reſpondetur.

Quartò, oſtenditur Chriſti Diuinitas auctoritate Scripturarum, Conciliorum, Patrum, Sibyllarū, & aliorū. Inſuper & Mahometū, & Mahometanos quoſdā,

etiam

etiam nolentes, Chriſti Diuinitatẽ fateri compulſos, vi veritatis cogente. Et poſt explicationem myſterij ſatisfit propoſitis difficultatibus. In fine tandem veluti in ſummam quandam colliguntur argumenta, quibus Mahometani excitantur ad Mahometi abijciendas impoſturas, & falſitates: Chriſti verò amplectendam veritatem.

Accipe igitur quicunq. es, Prudens Lector, qualicũque modo in hoc libro ſignificata Sacramenta Deitatis, detectionem Mahometicæ prauitatis; vt ſi fidelis es, & ex fidelibus ortus; gaudeas, te cum lacte diuina ſuxiſſe myſteria; ſin autem Mahometicis impoſturis te agnoueris implicatum, læteris opportuno tẽpore animaduertiſſe: Et ſi quid minus aptè, aut nimis prolixè, ſiue repetitum quid reperies, accuſans Auctoris imperitiam; vnà pariter excuſa mentem, quòd maluerim, ad Orientalium populorum morem, ſermonẽ aliquando in longiùs protendere, & ad imprimendũ in Mahometanorum animis vltrò aliquid repetere, quàm optato noſtratibus vti laconiſmo. Condonent igitur hoc cæteris, qui propter ſuam peritiam, etiam ante expletum ſermonem, loquentis ſenſum mentis intelligentia præueniunt.

AD
AHMED FILIVM ZIN ELABEDIN PERSAM ASPHAHENSEM.

R. P. PHILIPPI GVADAGNOLI MALLEANENSIS Cler. Reg. Minorum.

PRAEFATIO.

DVO ſunt (Nobiliſſime Ahmed) de quacumque re differentium genera: alterum eorum qui rei veritatem nihil curantes tantùmodò quæſtionem amant; & quæſtione, non vt medio ad finem, qui veritas eſt, vtuntur; ſed ſola quæſtione tanquàm fine delectantur: vel ſi quid vltra requirunt, id aliud non eſt, quàm vanus quidam plebis applauſus, in quo tanquàm in vltimo fine conquieſcunt. Alterum autem eorum, qui ita rei veritatem attendunt, vt in eam totaliter intendentes, nihil ſuæ mentis ab inàni eiuſmodi applauſus cupiditate occupandum relinquant; &(ſi fieri poſſet) veritatem ſine quæſtione mallent; quia tamen nequeunt veritate ſine quæſtione potiri, veritatis deſiderio compulſi, quæſtionis medio vtuntur: atque horum animus tantò eſt laudabilior & præſtantior, quantò eſt illorum vilior & inanior; quia, cùm hi rem ipſam inquirant, illi vmbram ſequuntur; ac proinde digni, qui ſemper inter ſophiſticorum tenebras obuoluantur, & nunquam lumine veritatis illuſtrentur. ſicut è contra digni ſunt cæteri, quibus, tamquàm ſe perquirentibus, obuiam vadat veritas, ſuoſque radios offerat contemplandos: Vnde & Spiritus ſanctus per Oſeā Prophet. cap.vlt.huius rei veritatē côteſtans, ſic loquitur: *Quis ſapiens, & intelliget iſta? intelligens, & ſciet*

hac? quia recta viæ Domini, & iuſti ambulabunt in eis; præuarica- tores verò corruent in eis. Et per os Salomonis Prouer. 14. num. 6. *Quærit deriſor ſapientiam, & non inuenit.*

Si cum eiuſmodi homine me colloquuturũ putarem, ſilerem potius, quàm reſponſum darem: quia tamen ſcio, cum viro ſatis cordato, ac pari, tàm animi prudentia, quàm ingenij & generis nobilitate prædito, me verba facere, ad rei veritatem in tanto negotio dignoſcendam accedo. Nec enim nobiliſſimus Ahmed Euangelicam legem impugnauit, vt perderet, ſed vt perciperet: non ideò quædam in contrarium obiecit, vt falleret, ſed vt noſceret: non vt litigaret, ſed vt conſideraret: vt ſcilicet Mahomedanorum cauſationes aduerſum Chriſtianos proponens (ſi eiuſmodi cauſationibus ſatisfieret) ſuſcipienda ſuſciperet, repellenda repelleret, amplectens eam quam veram Dei agnoſceret religionem, & execrans omnem quam eſſe fucatam ſenſerit Diaboli ſuperſtitionem. Talis igitur mens: talis animus: talis intentio. Et tibi tali gratulor, & mihi gaudeo, talem me reperiſſe colloquutorem: talem inquam, qui, & propter mentis acumen cuncta percipiat, & propter animi integritatem nulla peruertat. Rogatum ergo Deum, bonorum omnium fontem, volumus, vt & in mente tua talem ſeruet diſpoſitionem, & mei calami linguæ rectam efficacemque tribuat orationem.

Quo ordine, quibusvè medijs, ſit in reſponſione procedendum.

QVatuor præcipua ſũt, quæ in tuo aſſeris libro. Primò enim negas Trinitatis Myſterium. Secundò Chriſti Diuinitatem. Tertiò Euangeliorum, & totius Scripturæ ſynceritatem. Quartò Mahomed paraclitum fuiſſe, legemque Euangelicam in Alchoranum commutaſſe, affirmas. Pleraque alia ſunt; quæ ſparſim in eodem tuo inſeris libro: quibus omnibus, cùm ad præcipua illa quatuor reſponſionem dabo, ſatisfaciam.

Vt autem reſponſio eã quã continet veritatem perſpicuis colorum lineamentis ſubtiliſſimo tui intellectus acumini contemplandam proponat, quod eſt in ordine tertium, fiat primum neceſſe eſt, ità vt primo loco de ſcripturarum veritate earumque ſynceritate diſſeramus: nàm cætera indè pendet. Non enim

enim hic nobis agendum eſt de Deo, diuiniſque perfectionibus, ipſi tanquam naturæ principio attributis, & propterea à Philoſophis ſolo naturali lumine agnitis (in his enim conuenimus) ſed de Deo, prout eſt ſupernaturalis fons gratiæ; & de abſconditis à ſæculo, vt inquit Apoſt. S. Trinitatis & diuinæ Incarnationis myſterijs, non niſi Deo reuelante cognitis, eſt diſſerendum.

Auctoritate, vel ratione rei veritatem inquirimus.

Cùm autem non niſi duplici via ad cuiuſcumque rei veritatē indagandā incedere poſſimus, auctoritate ſcilicet & ratione: Auctoritas quidem, ſi Diuina ſit, ſicut omnem attingit, ita omnem in noſtræ mentis ſinum poteſt ingerere veritatem; At noſtra ratio & humanus diſcurſus, cùm ſit creatus, nec de ſe vires excedat naturæ, ſupernaturalia & noſtras vires excedentia non poteſt attingere: niſi tantùm poſt diuinæ auctoritatis veſtigia, veluti manuductus, incedat. Et eò plus eſt in ea re diuinæ auctoritati, minus noſtræ imbecillitati tribuendum; quantò nobis eſt notius, quòd humana mens pleraque etiam quæ infra ſe ſunt vix percipit; quanto ergo minus diuina? Propterea ſapientium omnium eruditorumque vna vox eſt; in his, quæ ad Deum diuinaque myſteria pertinent, non humanis procedendum eſſe rationibus, ſed diuinæ ſtandum auctoritati. Vnde egregius ille philoſophorum Princeps dicere ſolebat: humanam mentem in cæleſtium contemplatione, tanquam noctuam in ſolis lumine, cæcutire. Et ſapientiſſimus Salomon. Sap. 9. *Quis hominum*, inquit, *poterit ſcire conſilium Dei, cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidētiæ noſtræ. Et difficilè æſtimamus, quæ in terra ſunt: & quæ in proſpectu ſunt, inuenimus cum labore. Quæ autem in cælis ſunt quis inueſtigabit?* Solus Deus nouit quæ ſua ſunt: quare, niſi ipſe ſe docuerit, ignorabitur. Et propterea ſtatim ſubdit ibi Sapiens. *Senſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum ſanctum tuum de altiſſimis?* Hæc Salomon. Et Apoſt. 1. Corint. 2. 11. *Quæ Dei ſunt nemo cognouit, niſi Spiritus Dei*, & poſt pauca. *Quis enim cognouit ſenſum Domini, qui inſtruat eum?*

Et ratio in promptu eſt: cùm enim quæ ad Deum pertinent, longè ſuper humanæ mentis rationem eleuentur, non poteſt humani intellectus imbecillitas, ſua nitens induſtria, ad tā ſublimia conſcendere, nec eius acies tàm abſcondita penetrare. Idque tàm perſpicuum eſt, vt ipſemet Mahomet in ſuo Alcho-

rano سُورَةُ ٱلنَّمْلِ ideſt, cap. *de formica*, agnouerit, ſic dicens:

قُلْ هَاتُوا بُرْهَانَكُمْ إِنْ كُنْتُمْ صَادِقِينَ قُلْ لَا يَعْلَمُ مَنْ فِي ٱلسَّمٰوَاتِ وَٱلْأَرْضِ ٱلْغَيْبَ إِلَّا ٱللّٰهُ

Ideſt. *Dic, afferte probationem veſtram, quòd verum dicatis. Reſponde: Nemo nouit, neq. in cœlo, neq. in terra, myſteria abſcondita, niſi Deus.* Et licèt quandoque dixerit, duplici illa via, auctoritatis vel rationis, incedendum eſſe ad probandam alicuius rei veritatem, vt سٓ ٱلْأَحْقَافِ ideſt cap. de *collibus arenoſis* ſeu *de radicibus montium* ſeu *de fundamentis parietum*. Hæc enim omnia poteſt ſignificare illa dictio الاحقاف vt in libro Camus. Dicit igitur eo capite Alchoranus.

ائْتُونِي بِكِتَابٍ مِنْ قَبْلِ هٰذَا أَوْ أَثَارَةٍ مِنْ عِلْمٍ إِنْ كُنْتُمْ صَادِقِينَ

ideſt. *Afferte Scripturas ante hunc librum à Deo traditas, vel adducite axioma alicuius ſcientiæ, ad probandum quod proponitis.* Ecce quomodo, vel ſcientificum diſcurſum, vel diuinam poſtulabat auctoritatem; idque cùm de humanis ageret, & de Deo, prout auctor naturæ.

Tamen circa diuina & ſupernaturalia myſteria, etiam ipſe agnouit, non niſi diuinæ auctoritati credendum: propterea in Alchorano c. *de mulieribus* Arabicè سورة النسا paulo ante finem, ferè vna vel duabus paginis, & سُورَةُ ٱلْعَنْكَبُوتِ ideſt capite *de aranea*, & alibi ſæpe hæc verba repetit وَكَفَى بِاللهِ شَهِيدًا ideſt *ſufficit Dei teſtificatio*, ſcilicet, ad hoc vt diuina credenda ſint myſteria, quæ, in ſe, nobis abſcondita ſunt; & propterea ſola fides illa poteſt attingere, non ſcientia: ſicut enim ſonus aurium obiectum eſt, non oculorum aut narium: & è contra, color viſu, non auditu; odor odoratu, non viſu, percipiuntur: ſic diuina myſteria, fide, non autem ſcientia, attinguntur. Sicut ergo minus ſapiens is haberetur, qui oculos vocibus, & picturæ coloribus aures exporrigeret; non diſſi-

diſſimili cauſa vecors omninò is cenſendus eſſet, qui de abſconditis Dei ſacramentis, humanæ rationis lance, non diuinæ reuelationis auctoritate, dijudicaret.

Ne ergo à ſapientibus inſipientes habeamur, primùm diuina eloquia perquiramus; vt quid de ſacroſanctæ Trinitatis & diuinæ Incarnationis myſterijs ſit aſſerendum, dignoſcamus.

TRACTATVS PRIMVS DE SACRIS SCRIPTVRIS.

CAPVT I.

An, & Quæ ſint Diuinæ Scripturæ.

PRimò, ne vel machinamenta Diaboli aut Poetarum fabulas pro diuinis aſſertionibus, vel callidas hominum impoſturas, tanquam Dei Scripturas incautè ſuſcipiamus, prudenti mentis conſilio attendendum eſt; quæ ſint Dei eloquia, qui Sacri codices diuina continentes teſtimonia. Nec enim dubium eſt, extare in Orbe Sacra Dei eloquia, ſcripta dè ſe, ſuiſque myſterijs & præceptis: hoc inquam certum eſt apud omnes, non ſolùm Christianos & Iudæos, verùm etiam & apud ipſos Mahometanos: Sæpiſſimè enim in ſuo Alchorano id Mahomet teſtatur, tàm de Scripturis in genere, quàm de libris Scripturarum in ſpecie.

Extare ſacr. Scripturas in orbe.

In genere quidem fatetur paſsim in Alchorano, ſacras Scripturas extare, præſertim ſupra allegato loco ex capite الأحقاف vbi iubet afferri Scripturas ſacras, quæ ante Alchoranum, vt ipſe inquit, traditæ fuerant, dicens

idem

ايتوني بكتاب من قبل هذا idem fatetur cap. 3. cui tit. eſt

سورة النساء *De mulieribus*.

يا ايها الذين آمنوا آمنوا بالله ورسوله والكتاب الذي نزّل
على رسوله والكتاب الذي انزل من قبل ومن يكفر بالله و
ملائكته وكتبه ورسله واليوم الاخر فقد ضل ضلالاً
بعيداً ۞

ideſt, O *qui credidiſtis, credite in Deum, & Apoſtolum eius, & Scripturam quam tradidit Apoſtolo ſuo, & Scripturam quam tradiderat antea; quicumque enim non credit in Deum, & Angelos eius, & Scripturas eius, & Apoſtolos eius, & diem extremum, is profectò toto aberrat cælo.*

Ante Alchoranum Scripturas Sacras extitiſſe.

Quòd autem antequàm ſuum Alchoranum componeret Mahomet, non vnus tantùm, ſed plures extarēt ſacrarum Scripturarum libri, pluribus etiam in locis teſtatur Alchoranus, & cap. ſupra allegato *de mulieribus* verſus fin. ſic inquit,

انا اوحينا اليك كما اوحينا الى نوح والنبيين من بعده
واوحينا الى ابراهيم واسمعيل واسحق ويعقوب والاسباط
وعيسى وايوب ويونس وهرون وسليمن وآتينا داود زبورا
ورسلا قد قصصناهم عليك من قبل ورسلا لم نقصصهم
عليك وكلم الله موسى تكليما ۞

ideſt. *Equidem nos inſpirauimus tibi, ſicut inſpirauimus Noe & Prophetis poſt eum, & apparuimus Abraham, & Iſmaeli, & Iſaac, & Iacob, & tribubus, & Ieſu, & Iob, & Ionæ, & Aaron, & Salomoni, & dedimus Dauidi pſalmos. Et quoſdam Apoſtolos iam olim recenſuimus tibi, quoſdam verò non. Et collocutus eſt Deus cum Moyſe facie ad faciem.* Item cap. 2. cui titul.

سورة ال عمران ſub init.

وأنزل التوربة والانجيل من قبل هدى للناس

idest, *& miſit Teſtamentum vetus, & Euangelium antea in directionem hominum*.

His ergo clariſsimè fatetur Mahomet, complures fuiſſe, Deo dictante, ſacrarum traditos Scripturarum libros, etiam ante ſui Alchorani machinationem.

Nec ſolùm faſſus eſt, complures extare; verùm etiam apud quos extarent, à quibus ſacrarum Scripturarum libri haberentur, & in eorum ſtudio eſſent occupati. Teſtaturque Iudæos eſſe & Chriſtianos cap. primo البقرة *de Vacca*, ſeu Boue, loquens enim de Iudæis & Chriſtianis hæc ſtatim adiungit

S. Scriptura apud Iudæos olim & modo apud Chriſtian. habetur

وهم يتلون الكتاب idest, *& ipſi legunt, ſeù meditantur Scripturam*. Vnde & cap. *de Iona*, remittit Mahomet ad Iudæos & Chriſtianos, vt de veritate Scripturarum eos conſuleret, ſic dicens

فإن كنت فى شك مما أنزلنا إليك فسل الذين يقرؤن

الكتاب من قبلك idest. *Si tibi occurrit dubitatio circa id, quod miſimus ad te, conſule eos, qui legerunt Scripturam ante te*. Vbi Gloſſæ clariſsimè fatentur, eos eſſe Iudæos & Chriſtianos, quos vult Alchor. cõſulendos de his quę ad ſacras Scripturas pertinent. Extabant ergo Scripturæ, & extabant apud Iudæos & Chriſtianos.

Sed ad particularia deſcendens indicat etiam, quænam ſint ... diuinæ Scripturæ, & qui Sacri libri: vnde ſpecia[illegible] nem facit de pſalmis & nominatim de Prophetis [illegible] Iob, de Salomone, de Moyſe, vt [illegible] ex allega[illegible] rani cap. *de Mulieribus*. Pr[illegible] cap. *de* [illegible] phetas recenſet etiam Eſdra[illegible] ſe & Aron, hæc ſtatim ſubdi[illegible]

واذكر ... ورفعنه ... صديقا نبيا

[illegible] fuit iuſtus, Pro-

من النبيين

idest *Men*[illegible] *cre-* [illegible] *tis?*

Propheta, & extulimus eum in locum excelſum. Hi ſunt, quibus beneplacitum eſt Deo, ex prophetis.

Et capite *de prophetis* poſt quam recenſuit iuſtitiam Noe, Dauidis ſanctitatem, Salomonis ſapientiam, Iob patientiam, recenſet etiam Eſdræ ſolicitudinem & deuotionem, & Zachariæ orationem; & pluribus in locis repetit, Torà Moyſis, & Ieſu Euangelium, eſſe lucem & directionem hominum, vt cap. 4. & initio cap. 2.

Ergo Prophetarum libri, libri Moyſis, libri Salomonis, libri Eſdræ, liber Iob, Pſalmi Dauid, & Euangelia, omnes ſacri libri ab his qui Alchorano credunt, abſque dubitatione ſunt habendi, cùm hos omnes fateatur nominatim.

Inſuper cùm prophetas in genere plures confiteatur, & præter illos ſibi nominatim recenſitos, alios etiam eſſe; vt patet ex prædllegato loco Alchorani cap. *de Mulieribus*: Item cùm ex alia parte iubeat cap. *de Iona*, credendum eſſe Iudæis & Chriſtianis in his quæ ad Scripturas pertinent, cùm non alij ſacras Scripturas à Deo, vel per dei Apoſtolos & Prophetas acceperint; niſi Iudæi & Chriſtiani: omnes libri, qui tamquàm diuinij coluntur à Iudæis & Chriſtianis, ſunt à Mahometanis recipendi: Aliàs enim quomodo noſcere poſſent illos prophetas alios, quos ſibi non nominatim recenſitos dicit Alchoranus? Cùm enim agnoſcere poſſint ex Alchorano ipſo complures, non tamen poſſunt agnoſcere omnes, cùm non omnes (vt ipſe fatetur) ſibi fuerint nominatim recenſiti. Vt ergo agnoſcant omnes, debent Chriſtianis & Iudæis credere, quibus omnes fuerunt propoſiti.

Qui omnes Scripturas, quas conſtat eſſe Sacras nō ſuſcipiunt, ſaluari nequeūt.

Idque tam neceſſarium eſt Mahometanis, vt aliàs ſaluari non poſſint ex dicto etiam ipſius Alchorani: dicit enim Alchoranus cap. *de Mulieribus* poſt medium, non multum diſtans a fine

إِنَّ الَّذِينَ يَكْفُرُونَ بِاللَّهِ وَرُسُلِهِ وَيُرِيدُونَ أَنْ يُفَرِّقُوا بَيْنَ اللَّهِ وَ
رُسُلِهِ وَيَقُولُونَ نُؤْمِنُ بِبَعْضٍ وَنَكْفُرُ بِبَعْضٍ وَيُرِيدُونَ أَنْ
يَتَّخِذُوا بَيْنَ ذَٰلِكَ سَبِيلًا أُولَٰئِكَ هُمُ الْكَافِرُونَ حَقًّا وَأَعْتَدْنَا
لِلْكَافِرِينَ عَذَابًا مُهِينًا وَالَّذِينَ آمَنُوا بِاللَّهِ وَرُسُلِهِ وَلَمْ يُفَرِّقُوا بَيْنَ

ideſt

احد منهم اولئك سوف نؤتيهم اجورهم ۞

ideſt: *Certè quòd qui infideles fuerint Deo, & Apoſtolis eius, & volunt diuiſionem facere inter Deum & Apoſtolos eius, & dicunt, credimus quibuſdam, & quibuſdam alijs non credimus, & volunt in hoc modum ponere, ſeu limitationem facere, hi ſunt infideles certè: & præparauimus infidelibus pœnam duram. qui verò crediderint in Deum & Apoſtolos eius, & non fecerint diſcrimen inter eos, his tandem dabimus præmia eorum.*

Quibus apertiſsimè iubet, omnes Prophetarum & Scripturarum libros, ſine diſcretione vnius vel alterius, eſſe ſuſcipiendos, & vniuerſis indiſtinctè fidem eſſe adhibendam; cuilibet enim omnibus fidem arroganti, ſi vni tantùm fidem abroget, ſufficit, vt de infidelitate redargui poſsit, & tartari pœnis ſubiaceat. Vnde & cap. 2. de famil. Amran, circa medium paulò ante, pag. mihi 59. & 60. iterũ præcipit ſibi credẽtibus, vt hæc profiteantur.

قل آمنا بالله وما انزل علينا وما انزل على ابراهيم واسمعيل و
اسحق ويعقوب والاسباط وما اوتى موسى وعيسى والنبيون
من ربهم لا نفرق بين احد منهم ۞

ideſt: *Dic credimus in Deum, & quod traditum eſt nobis, & quod miſſum eſt ad Abraham, & Iſmael, & Iſaac, & Iacob, & ad tribus, & quod datum eſt Moyſi, & Ieſu, & Prophetis à Domino ſuo, non diſtinguimus inter eos, ſeu inter aliquẽ eorum.* Et cap. 1. cui titulus eſt *de vacca*, ante medium pag. mihi 20. eodem prorſus modo loquitur. Et ſuperius eodẽ cap. *de vacca*, 5. circiter paginis poſt initium, ſic inquit Alchoranus.

افتؤمنون ببعض الكتاب وتكفرون ببعض فما جزاء
من يفعل ذلك منكم الا خزى في الحياة الدنيا ويوم القيمة
يردون الى اشد العذاب وما الله بغافل عما تعملون ۞

ideſt: *Num credetis aliquibus Scripturis, & aliquibus non credetis?*

detis? at non erit merces ei, qui facit talia, ex vobis; niſi confuſio in præſenti vita, & in die reſurrectionis tradentur acerbiſſimis tormentis; & non negligit Deus quod operamini.

De Alchorani etiam ſententia, niſi Scripturis Chriſtianorũ credant, Mahometani ſaluari nequeunt.

His poſitis, ſi Mahometani nolint credere Scripturis omnibus, quæ proponũtur à Iudæis & Chriſtianis, ſequetur neceſſariò, quòd alicui prophetæ non credent; ſi enim credent ſolis illis, qui nominatìm recenſentur in Alchorano, relinquentur cæteri omnes, de quibus dicit ipſe Alchoranus, ſibi non fuiſſe recenſitos, & ità ſubiacebunt pœnis ab Alchorano in præallegato loco ex cap. *de Mulieribus* & cap. 1. *de vacca* comminatis, Inferni & infidelitatis.

Ergo omnes libri, qui in ſacra Scriptura Iudæorum & Chriſtianorum continentur,& à Chriſtianis Sacri cenſentur,à Mahometanis ſunt indiſtinctè admittendi.

Hos ergo vt diſtinctè agnoſcamus,iuuat ſingillatim hìc per ordinem recenſere. Et vt tantì hos Chriſtianorum libros faciant, quantì debent; nec putent negligendos: audiant,non fabulam meo marte confictam, ſed veritatem, propter ſui euidentiam, ab ipſo etiam Alchorano Mahometanis indicatam cap. 4. libri primi, cuius capitis titulus eſt سورة المايدة ideſt cap. *de menſa*, circa medium

يا اهل الكتاب لستم على شيء حتى تقيموا التورية والانجيل ۝

ideſt: *O vos qui huic libro Alchorani fidem adhibetis, vos non eſtis quidquam, niſi credideritis Torà, & Euangelio.* Ecce quanta eſt vis veritatis, vt nihil eſſe fateatur fidem Alchorani ipſemet Alchoranus, niſi ſuſcipiatur teſtamentum vetus, quod intelligitur nomine Torà, & teſtamentum nouum, quod ſignificatur Euangelij nomine.

Attendant ergo Mahometani, & Sacros agnoſcant libros,vt ex illis veræ fidei Myſteria percipiant, & callidas hominum aut Dæmonum impoſturas animaduertant: ne, ſimulatæ virtutis ſcalæ innitentes, cadant in foueam deceptionis, & exinde prolabantur in barathrum damnationis.

CAP-

CAPVT II.

Sacrarum Scripturarum libri recenſentur.

IN Sancta Dei Eccleſia olim ſub veteri teſtamentó apud Iudæos, & in nouo à Chriſto vſque nunc apud Chriſtianos, ſacrarum Scripturarum libri, tamquam diuina continentes myſteria & mandantes præcepta, hi ſemper ſunt habiti: Nempè. Pentateuchus Moyſi, Hebraicè Torá, quinque libros complectens, ideſt:

Geneſim.
Exodum.
Leuiticum.
Numerorum librum, &
Deuteronomium.
Item liber Ioſue.
Iudicum.
Ruth.
Quatuor libri Regum, quorum Primus dicitur prior Samuelis,
Secundus, Samuelis poſterior.
Tertius, qui, ſecundùm Hebræos, eſt Regum primus.
Quartus, qui, ſecundùm Hebræos, eſt Regum ſecundus.
Duo Item libri Paralipomenon.
Duo libri Eſdræ, quorum poſterior dicitur alio nomine lib. Nehemiæ.
Liber Tobiæ.
Iudith.
Eſther.
Iob.
Pſalmi centum quinquaginta.
Prouerbia Salomonis.
Eccleſiaſtes eiuſdem.
Canticum canticorum eiuſdem.
Liber Sapientiæ eiuſdem.
Eccleſiaſticus, qui à Salomone quidem compoſitus, at à Ieſu filio Sirach, dicitur à quibuſdam, compilatus.

 Dein-

Deinde Prophetæ ſcilicet.

Iſaias.
Ieremias.
Baruch.
Ezechiel.
Daniel.
Oſea.
Ioel.
Amos.
Abdias.
Iona.
Michaa.
Nahum.
Habacuc.
Sophonia.
Aggæus.
Zacharia.
Malachia.
Et tandem duo libri Machabæorum.

Qui omnes ſpectant ad Vetus Teſtamentū, & ſignificantur apud eos etiā qui lingua Arabica loquūtur, nomine *Torà* أَلتَّورِيَة.

Ad Teſtamentum verò nouum ſequentes pertinent.

ui teſtamenti.
Sacri libri no

Euangelium ſecundùm Matth.
Euang. ſecundùm Marcum.
Euang. ſecundùm Lucam.
Euang. ſecundùm Ioannem.
Acta Apoſtolorum, ab eodem Luca Euangeliſta conſcripta.
Epiſt. S. Pauli Apoſtoli 14. *ſcilicet, vna ad Romanos.*
Ad Corinthios dua.
Ad Galathas vna.
Ad Epheſios vna.
Ad Philippenſes vna.
Vna ad Coloſſenſes.
Ad Theſſalonicenſes dua.
Ad Timotheum dua.
Vna ad Titum.
Vna ad Philemonem, &

Vna

Vna ad Hebræos.

Itèm Epiſtola Iacobi min. vna.

Duæ Petri, Apoſtolorum Principis.

Tres Apoſt. Ioannis.

Et Iudæ, cognomento Thaddæi, Epiſt. vna.

Et vltimò lib. Apocalypſis Io. Apoſtoli, qui Euangelium & tres Epiſtolas prædictas ſcripſerat.

Omnes recenſiti libri, tãquam à Deo, & diuino Spiritu dirigente compoſiti per ſanctos Dei prophetas vel Apoſtolos, in Sancta Dei Eccleſia sẽper venerati ſunt, & ad preſens venerãtur.

Teſtes ſunt omnes ſummi Pontifices. Concilia omnia. Omnes Patres, illi preſertim, qui quacumque de cauſa Sacros libros enumerare ſtuduerunt.

Gelaſius primus in decreto de libris Sac. quod habetur in ſecundo Tomo Conciliorum.

Innocentius primus Epiſtola tertia ad Exuperium cap. vlt

Concilium Laodicenum Can. 59.

Concilium Cartaginenſe 3. can. 47.

Concilium Florent. in inſtitutionibus Armenorum.

Concilium Trident. ſeſſ. 4.

Qui omnes, vel fuerunt ante Mahomet, vel inſtitutum eorum qui antè Mahomet fuerunt, ſecuti ſunt.

Præterea Patres antiquiſſimi, inter eos Chriſtianos numerandi, quibus fidem vult adhibendã Mahomet in Alchorano, vbi ſuprà, in his præſertim quæ ad Scripturas pertinent.

Euſebius libro tertio Hiſt. cap. 25.

Origines apud eumdem Euſebium lib. ſexto cap. 18.

Epiphanius in lib. de menſ. & ponderibus.

Idem aduerſus hæreſim Anomæorum.

Cyrillus Hieroſolym. cathec. 4.

Gregorius Nazianzenus in libro de genuinis Scripturis carmine conſcripto.

Athanaſius in ſynopſi.

Hieronymus in prologo galeato.

Idem in Epiſtola ad Paulinum, de ſtudio Sanctarum Scripturarum.

Auguſt. lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. octauo, & libro 1. de Prædeſtin. cap. 14.

Iſidorus lib. 6. Ethymolog. cap. 1.

Ruffinus in explicatione Symboli, &

Ioan-

rano سورة النمل ideſt,cap. *de formica*, agnouerit, ſic dicens:

قل هاتوا برهانكم إن كنتم صادقين قل لا يعلم من في السموات والأرض الغيب إلا الله

Ideſt. *Dic, afferte probationem veſtram, quòd verum dicatis. Reſponde: Nemo nouit, neq. in cælo, neq. in terra, myſteria abſcōdita, niſi Deus.* Et licèt quandoque dixerit, duplici illa via, auctoritatis vel rationis, incedendum eſſe ad probandam alicuius rei veritatem, vt سورة الأحقاف ideſt cap. de *collibus arenoſis* ſeu *de radicibus montium* ſeu *de fundamentis parietum*. Hæc enim omnia poteſt ſignificare illa dictio الأحقاف vt in libro Camus. Dicit igitur eo capite Alchoranus.

ائتوني بكتاب من قبل هذا أو أثارة من علم إن كنتم صادقين

ideſt. *Afferte Scripturas ante hunc librum à Deo traditas, vel adducite axioma alicuius ſcientiæ, ad probandum quod proponitis*. Ecce quomodo, vel ſcientificum diſcurſum, vel diuinam poſtulabat auctoritatem; idque cùm de humanis ageret, & de Deo, prout auctor naturæ.

Tamen circa diuina & ſupernaturalia myſteria, etiam ipſe agnouit, non niſi diuinæ auctoritati credendum: propterea in Alchorano c. *de mulieribus* Arabicè سورة النسا paulo ante finem, ferè vna vel duabus paginis, & سورة العنكبوت ideſt capite *de aranea*, & alibi ſæpe hæc verba repetit وكفى بالله شهيدا ideſt *ſufficit Dei teſtificatio*, ſcilicet, ad hoc vt diuina credenda ſint myſteria, quæ, in ſe, nobis abſcondita ſunt; & propterea ſola fides illa poteſt attingere, non ſcientia: ſicut enim ſonus aurium obiectum eſt, non oculorum aut narium: & è contra, color viſu, non auditu; odor odoratu, non viſu, percipiuntur: ſic diuina myſteria, fide, non autem ſcientia, attinguntur. Sicut ergo minus ſapiens is haberetur, qui oculos vocibus, & picturæ coloribus aures exporrigeret; non diſſi-

diſſimili cauſa vecors omninò is cenſendus eſſet, qui de abſconditis Dei ſacramentis, humanæ rationis lance, non diuinæ reuelationis auctoritate, dijudicaret.

Ne ergo à ſapientibus inſipientes habeamur, primùm diuina eloquia perquiramus; vt quid de ſacroſanctæ Trinitatis & diuinæ Incarnationis myſterijs ſit aſſerendum, dignoſcamus.

TRACTATVS PRIMVS DE SACRIS SCRIPTVRIS.

CAPVT I.

An, & Quæ ſint Diuinæ Scripturæ.

PRimò, ne vel machinamenta Diaboli aut Poetarum fabulas pro diuinis aſſertionibus, vel callidas hominum impoſturas, tanquam Dei Scripturas incautè ſuſcipiamus, prudenti mentis conſilio attendendum eſt; quæ ſint Dei eloquia, qui Sacri codices diuina continentes teſtimonia. Nec enim dubium eſt, extare in Orbe Sacra Dei eloquia, ſcripta de ſe, ſuiſque myſterijs & præceptis: hoc inquam certum eſt apud omnes, non ſolùm Chriſtianos & Iudæos, verùm etiam & apud ipſos Mahometanos: Sæpiſſimè enim in ſuo Alchorano id Mahomet teſtatur, tàm de Scripturis in genere, quàm de libris Scripturarum in ſpecie.

Extare ſacr. Scripturas in orbe.

In genere quidem fatetur paſſim in Alchorano, ſacras Scripturas extare, præſertim ſupra allegato loco ex capite الأحقاف vbi iubet afferri Scripturas ſacras, quæ ante Alchoranum, vt ipſe inquit, traditæ fuerant, dicens

idem

ايتوني بكتاب من قبل هذا idem fatetur cap. 3. cui tit. eſt

سورة النساء *De mulieribus.*

يا ايها الذين آمنوا آمنوا بالله ورسوله والكتاب الذي نزل
على رسوله والكتاب الذي انزل من قبل ومن يكفر بالله و
ملائكته وكتبه ورسله واليوم الاخر فقد ضل ضلالا
بعيدا ۝

ideſt, *O qui credidiſtis, credite in Deum, & Apoſtolum eius, & Scripturam quam tradidit Apoſtolo ſuo, & Scripturam quam tradiderat antea; quicumque enim non credit in Deum, & Angelos eius, & Scripturas eius, & Apoſtolos eius, & diem extremum, is profectò toto aberrat cælo.*

Ante Alchoranum Scripturas Sacras extitiſſe.

Quòd autem antequàm ſuum Alchoranum componeret Mahomet, non vnus tantùm, ſed plures extarēt ſacrarum Scripturarum libri, pluribus etiam in locis teſtatur Alchoranus, & cap. ſupra allegato *de mulieribus* verſus fin. ſic inquit,

انا اوحينا اليك كما اوحينا الى نوح والنبيين من بعده
واوحينا الى ابراهيم واسمعيل واسحق ويعقوب والاسباط
وعيسى وايوب ويونس وهرون وسليمن واتينا داود زبورا
ورسلا قد قصصناهم عليك من قبل ورسلا لم نقصصهم
عليك وكلم الله موسى تكليما ۝

ideſt. *Equidem nos inſpirauimus tibi, ſicut inſpirauimus Noe & Prophetis poſt eum, & apparuimus Abraham, & Iſmaeli, & Iſaac, & Iacob, & tribubus, & Ieſu, & Iob, & Ionæ, & Aaron, & Salomoni, & dedimus Dauidi pſalmos. Et quoſdam Apoſtolos iam olim recenſuimus tibi, quoſdam verò non. Et collocutus eſt Deus cum Moyſe facie ad faciem.* Item cap. 2. cui titul.

سورة آل عمران ſub init.

ideſt

وأنزل التورية والانجيل من قبل هدى للناس

ideſt, *& miſit Teſtamentum vetus, & Euangelium antea in directionem hominum*.

His ergo clariſsimè fatetur Mahomet, complures fuiſſe, Deo dictante, ſacrarum traditos Scripturarum libros, etiam ante ſui Alchorani machinationem.

Nec ſolùm faſſus eſt, complures extare; verùm etiam apud quos extarent, à quibus ſacrarum Scripturarum libri haberentur, & in eorum ſtudio eſſent occupati. Teſtaturque Iudæos eſſe & Chriſtianos cap. primo البقرة *de Vacca*, ſeu Boue, loquens enim de Iudæis & Chriſtianis hæc ſtatim adiungit وهم يتلون الكتاب ideſt, *& ipſi legunt, ſeù meditantur Scripturam*. Vnde & cap. *de Iona*, remittit Mahomet ad Iudæos & Chriſtianos, vt de veritate Scripturarum eos conſuleret, ſic dicens

S. Scriptura apud Iudæos olim & modo apud Chriſtian. habētur

فان كنت في شك مما انزلنا اليك فسل الذين يقرون

الكتاب من قبلك ideſt. *Si tibi occurrit dubitatio circa id, quod miſimus ad te, conſule eos, qui legerunt Scripturam ante te* Vbi Gloſſæ clariſsimè fatentur, eos eſſe Iudæos & Chriſtianos, quos vult Alchor. cõſulendos de his quę ad ſacras Scripturas pertinent. Extabant ergo Scripturæ, & extabant apud Iudæos & Chriſtianos.

Sed ad particularia deſcendens indicat etiam, quænam ſint diuinæ Scripturæ, & qui Sacri libri: vnde ſpeciatim mentionem facit de pſalmis & nominatim de Prophetis, de Iona, de Iob, de Salomone, de Moyſe, vt patet ex allegato loco Alchorani cap. *de Mulieribus*. Præterea cap. *de Maria* inter Prophetas recenſet etiam Eſdram, vbi poſtquam dixerat de Moyſe & Aron, hæc ſtatim ſubdit

Quænam ſint Sacræ Scripturæ.

واذكر في الكتاب ادريس انه كان صديقا نبيا

ورفعناه مكانا عليا اولئك الذين انعم الله عليهم من النبيين

ideſt *Mentionem fac in libro de Eſdra, quoniam ipſe fuit iuſtus,* Pro-

Propheta, & extulimus eum in locum excelſum. Hi ſunt, quibus beneplacitum eſt Deo, ex prophetis.

Et capite *de prophetis* poſt quam recenſuit iuſtitiam Noe, Dauidis ſanctitatem, Salomonis ſapientiam, Iob patientiam, recenſet etiam Eſdræ ſolicitudinem & deuotionem, & Zachariæ orationem; & pluribus in locis repetit, Torá Moyſis, & Ieſu Euangelium, eſſe lucem & directionem hominum, vt cap. 4. & initio cap. 2.

Ergo Prophetarum libri, libri Moyſis, libri Salomonis, libri Eſdræ, liber Iob, Pſalmi Dauid, & Euangelia, omnes ſacri libri ab his qui Alchorano credunt, abſque dubitatione ſunt habendi, cùm hos omnes fateatur nominatim.

Inſuper cùm prophetas in genere plures confiteatur, & præter illos ſibi nominatim recenſitos, alios etiam eſſe; vt patet ex præallegato loco Alchorani cap. *de Mulieribus*: Item cùm ex alia parte iubeat cap. *de Iona*, credendum eſſe Iudæis & Chriſtianis in his quæ ad Scripturas pertinent, cùm non alij ſacras Scripturas à Deo, vel per dei Apoſtolos & Prophetas acceperint; niſi Iudæi & Chriſtiani: omnes libri, qui tamquàm diuinij coluntur à Iudæis & Chriſtianis, ſunt à Mahometanis recipendi: Aliàs enim quomodo noſcere poſſent illos prophetas alios, quos ſibi non nominatim recenſitos dicit Alchoranus? Cùm enim agnoſcere poſsint ex Alchorano ipſo complures, non tamen poſſunt agnoſcere omnes, cùm non omnes (vt ipſe fatetur) ſibi fuerint nominatim recenſiti. Vt ergo agnoſcant omnes, debent Chriſtianis & Iudæis credere, quibus omnes fuerunt propoſiti.

Qui omnes Scripturas, quas conſtat eſſe Sacras nō ſuſcipiunt, ſaluari nequeūt.

Idque tam neceſſarium eſt Mahometanis, vt aliàs ſaluari non poſsint ex dicto etiam ipſius Alchorani: dicit enim Alchoranus cap. *de Mulieribus* poſt medium, non multum diſtans a fine

إِنَّ الَّذِينَ يَكْفُرُونَ بِاللَّهِ وَرُسُلِهِ وَيُرِيدُونَ أَنْ يُفَرِّقُوا بَيْنَ اللَّهِ وَ
رُسُلِهِ وَيَقُولُونَ نُؤْمِنُ بِبَعْضٍ وَنَكْفُرُ بِبَعْضٍ وَيُرِيدُونَ أَنْ
يَتَّخِذُوا بَيْنَ ذَلِكَ سَبِيلًا أُولَئِكَ هُمُ الْكَافِرُونَ حَقًّا وَأَعْتَدْنَا
لِلْكَافِرِينَ عَذَابًا مُهِينًا وَالَّذِينَ آمَنُوا بِاللَّهِ وَرُسُلِهِ وَلَمْ يُفَرِّقُوا بَيْنَ

ideſt

احد منهم اولئك سوف يوتيهم اجورهم ۞

ideſt: *Certè quòd qui infideles fuerint Deo, & Apoſtolis eius, & volunt diuiſionem facere inter Deum & Apoſtolos eius, & dicunt, credimus quibuſdam, & quibuſdam alÿs non credimus, & volunt in hoc modum ponere, ſeu limitationem facere, hi ſunt infideles certè: & præparauimus infidelibus pœnam duram. qui verò crediderint in Deum & Apoſtolos eius, & non fecerint diſcrimen inter eos, his tandem dabimus præmia eorum.*

Quibus apertiſsimè iubet, omnes Prophetarum & Scripturarum libros, ſine diſcretione vnius vel alterius, eſſe ſuſcipiendos, & vniuerſis indiſtinctè fidem eſſe adhibendam; cuilibet enim omnibus fidem arroganti, ſi vni tantùm fidem abroget, ſufficit, vt de infidelitate redargui poſsit, & tartari pœnis ſubiaceat. Vnde & cap. 2. de famil. Amran, circa medium paulò ante, pag. mihi 59. & 60. iterũ præcipit ſibi credẽtibus, vt hæc profiteantur.

قل آمنا بالله وما انزل علينا وما انزل على ابراهيم واسمعيل و
اسحق ويعقوب والاسباط وما اوتي موسى وعيسى والنبيون
من ربهم لا نفرق بين احد منهم ۞

ideſt: *Dic credimus in Deum, & quod traditum eſt nobis, & quod miſſum eſt ad Abraham, & Iſmael, & Iſaac, & Iacob, & ad tribus, & quod datum eſt Moyſi, & Ieſu, & Prophetis à Domino ſuo, non diſtinguimus inter eos, ſeù inter aliquẽ eorum.* Et cap. 1. cui titulus eſt *de vacca*, ante medium pag. mihi 20. eodem prorſus modo loquitur. Et ſuperius eodẽ cap. *de vacca*, 5. circiter paginis poſt initium, ſic inquit Alchoranus.

افتؤمنون ببعض الكتاب وتكفرون ببعض فما جزاء
من يفعل ذلك منكم الا خزى فى الحياة الدنيا ويوم القيمة
يردون الى اشد العذاب وما الله بغافل عما تعملون ۞

ideſt: *Num credetis aliquibus Scripturis, & aliquibus non cre-*

detis? at non erit merces ei, qui facit talia, ex vobis; niſi confuſio in præſenti vita, & in die reſurrectionis tradentur acerbiſſimis tormentis; & non negligit Deus quod operamini.

His poſitis, ſi Mahometani nolint credere Scripturis omnibus, quæ proponũtur à Iudæis & Chriſtianis, ſequetur neceſſariò, quòd alicui prophetæ non credent; ſi enim credent ſolis illis, qui nominatìm recenſentur in Alchorano, relinquentur cæteri omnes, de quibus dicit ipſe Alchoranus, ſibi non fuiſſe recenſitos, & ità ſubiacebunt pœnis ab Alchorano in præallegato loco ex cap. *de Mulieribus* & cap. 1. *de vacca* comminatis, Inferni & infidelitatis.

De Alchorani etiam ſententia, niſi Scripturis Chriſtianorũ credant, Mahometani ſaluari nequeunt.

Ergo omnes libri, qui in ſacra Scriptura Iudæorum & Chriſtianorum continentur,& à Chriſtianis Sacri cenſentur,à Mahometanis ſunt indiſtinctè admittendi.

Hos ergo vt diſtinctè agnoſcamus,iuuat ſingillatim hic per ordinem recenſere. Et vt tantì hos Chriſtianorum libros faciant, quantì debent; nec putent negligendos: audiant,non fabulam meo marte confictam, ſed veritatem, propter ſui euidentiam, ab ipſo etiam Alchorano Mahometanis indicatam cap. 4. libri primi, cuius capitis titulus eſt سورة المايدة ideſt cap. *de menſa*, circa medium

يَا أَهْلَ الْكِتَابِ لَسْتُمْ عَلَى شَيْءٍ حَتَّى تُقِيمُوا التَّوْرَيةَ وَالْإِنْجِيلَ ۝

ideſt: *O vos qui huic libro Alchorani fidem adhibetis, vos non eſtis quidquam, niſi credideritis Torà, & Euangelio.* Ecce quanta eſt vis veritatis, vt nihil eſſe fateatur fidem Alchorani ipſemet Alchoranus, niſi ſuſcipiatur teſtamentum vetus, quod intelligitur nomine Torà, & teſtamentum nouum, quod ſignificatur Euangelij nomine.

Attendant ergo Mahometani, & Sacros agnoſcant libros,vt ex illis veræ fidei Myſteria percipiant, & callidas hominum aut Dæmonum impoſturas animaduertant: ne, ſimulatæ virtutis ſcalæ innitentes, cadant in foueam deceptionis, & exinde prolabantur in barathrum damnationis.

CAP-

CAPVT II.

Sacrarum Scripturarum libri recenſentur.

IN Sancta Dei Eccleſia olim ſub veteri teſtamento apud Iudæos, & in nouo à Chriſto vſque nunc apud Chriſtianos, ſacrarum Scripturarum libri, tamquam diuina continentes myſteria & mandantes præcepta, hi ſemper ſunt habiti: Nempè. Pentateuchus Moyſi, Hebraicè Torá, quinque libros complectens, ideſt:

Geneſim.
Exodum.
Leuiticum.
Numerorum librum, &
Deuteronomium.
Item liber Ioſue.
Iudicum.
Ruth.
Quatuor libri Regum, quorum Primus dicitur prior Samuelis, Secundus, Samuelis poſterior.
Tertius, qui, ſecundùm Hebræos, eſt Regum primus.
Quartus, qui, ſecundùm Hebræos, eſt Regum ſecundus.
Duo Item libri Paralipomenon.
Duo libri Eſdræ, quorum poſterior dicitur alio nomine lib. Nehemiæ.
Liber Tobiæ.
Iudith.
Eſther.
Iob.
Pſalmi centum quinquaginta.
Prouerbia Salomonis.
Eccleſiaſtes eiuſdem.
Canticum canticorum eiuſdem.
Liber Sapientiæ eiuſdem.
Eccleſiaſticus, qui à Salomone quidem compoſitus, at à Ieſu filio Sirach, dicitur à quibuſdam, compilatus.

Deinde Prophetæ ſcilicet.

Iſaias.
Ieremias.
Baruch.
Ezechiel.
Daniel.
Oſea.
Ioel.
Amos.
Abdias.
Iona.
Michæa.
Nahum.
Habacuc.
Sophonia.
Aggæus.
Zacharia.
Malachia.
Et tandem duo libri Machabæorum.

Qui omnes ſpectant ad Vetus Teſtamentũ, & ſignificantur apud eos etiã qui lingua Arabica loquũtur, nomine *Torá* أَلتَّوْرِيَّةُ.

Ad Teſtamentum verò nouum ſequentes pertinent.

ai teſtamenti. Sacri libri no

Euangelium ſecundùm Matth.
Euang. ſecundùm Marcum.
Euang. ſecundùm Lucam.
Euang. ſecundùm Ioannem.
Acta Apoſtolorum, ab eodem Luca Euangeliſta conſcripta.
Epiſt. S. Pauli Apoſtoli 14. ſcilicet, vna ad Romanos.
Ad Corinthios duæ.
Ad Galathas vna.
Ad Epheſios vna.
Ad Philippenſes vna.
Vna ad Coloſſenſes.
Ad Theſſalonicenſes duæ.
Ad Timotheum duæ.
Vna ad Titum.
Vna ad Philemonem, &

Vna

Vna ad Hebræos.
Item Epiſtola Iacobi min. vna.
Duæ Petri, Apoſtolorum Principis.
Tres Apoſt. Ioannis.
Et Iudæ, cognomento Thaddæi, Epiſt. vna.
Et vltimò lib. Apocalypſis Io. Apoſtoli, qui Euangelium & tres Epiſtolas prædictas ſcripſerat.

Omnes recenſiti libri, tāquam à Deo, & diuino Spiritu dirigente compoſiti per ſanctos Dei prophetas vel Apoſtolos, in Sancta Dei Eccleſia sēper venerati ſunt, & ad preſens venerātur.

Teſtes ſunt omnes ſummi Pontifices. Concilia omnia. Omnes Patres, illi præſertim, qui quacumque de cauſa Sacros libros enumerare ſtuduerunt.

Gelaſius primus in decreto de libris Sac. quod habetur in ſecundo Tomo Conciliorum.
Innocentius primus Epiſtola tertia ad Exuperium cap. vlt
Concilium Laodicenum Can. 59.
Concilium Cartaginenſe 3. can. 47.
Concilium Florent. in inſtitutionibus Armenorum.
Concilium Trident. ſeſſ. 4.

Qui omnes, vel fuerunt ante Mahomet, vel inſtitutum eorum qui antè Mahomet fuerunt, ſecuti ſunt.

Præterea Patres antiquiſſimi, inter eos Chriſtianos numerandi, quibus fidem vult adhibendā Mahomet in Alchorano, vbi ſuprà, in his præſertim quæ ad Scripturas pertinent.

Euſebius libro tertio Hiſt. cap. 25.
Origines apud eumdem Euſebium lib. ſexto cap. 18.
Epiphanius in lib. de menſ. & ponderibus.
Idem aduerſus hæreſim Anomæorum.
Cyrillus Hieroſolym. cathec. 4.
Gregorius Nazianzenus in libro de genuinis Scripturis carmine conſcripto.
Athanaſius in ſynopſi.
Hieronymus in prologo galeato.
Idem in Epiſtola ad Paulinum, de ſtudio Sanctarum Scripturarum.
Auguſt. lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. octauo, & libro 1. de Prædeſtin. cap. 14.
Iſidorus lib. 6. Ethymolog. cap. 1.
Ruffinus in explicatione Symboli, &

Ioan-

Ioannes Damaſcenus lib. 4 de fide cap. 18.

Et in vniuerſum, omnes Patres, tam Græci, quàm Latini, tàm qui præceſſerunt Mahometi tempora, quàm qui ſecuti ſunt, quã etiam qui eodem ſæculo viguerunt, recenſitos ſac. Scripturarum libros celebrant & venerantur; & quamuis aliqui diuinorum librorum numerum non recenſeant, ita tamen eorum teſtimonijs vtuntur, vt illos omnes pro Sacris habere ſatis clarè teſtentur.

CAPVT III.

Probatur, Alchoranum fateri ſingillatim omnes Supra recenſitas Scripturas eſſe Diuinas.

ET ne aliquis relinqueretur excuſationi, aut daretur ſuſpitioni locus, Deo permittente vel diſponente, prouiſum eſt, vt Alchoranus, non ſolùm diceret nomina librorum, & nomina prophetarum indicaret, vt ſupra viſum eſt, verùm etiam & plurima Sacrorum librorum verba referret, vt ſuſpitio de mutatione libri non obueniret.

Nomen Sacrorum librorum exprimit, dum dicit Tora, Euangelia, Pſalmos, & cæt. Nomen Auctorum à Deo inſpiratorum nuncupat, dum dicit Moyſen, Eſdram, Dauid, Ionam, Iob, Salomonem & cæt. Indicat etiam librorum Sacrorum poſſeſſores, & peritos, dum dicit Iudæos, & Chriſtianos; & propterea in his quæ ad Scripturas pertinent, ſtandum eſſe Iudæorum & Chriſtianorum relationi, tamquam peritorum, iuxta illud legale, *ſtandum eſt expertis in arte*.

Non aliud ſupererat, ad omnem delendam ſuſpitionem, quàm vt quaſi digito Sacros libros indicaret; idque exequitur, dum ex plurimis ſententias deſumit, illorumque dicta refert.

Et primò quidem, quod pertinet ad libros Moyſi, tanta inde deſumpſit, vt nulla penè ſit in Alchorano pagina, quæ non aliquid

de Geneſi, vel de Exodo, vel de Leuitico, vel de Numeris, vel de Deuteronomio loquatur. Ex Geneſi tentationem refert Abraham, arcam Noe, peccatum Adam, eiectionem de Paradiſo, Iſaac, Iacob, Iſmael, Pharaonem, Ioſeph. Ex Exodo natiuitatem Moyſi; proiectionem eius in flumen, filiam Pharaonis adoptantem; ſeruitutem, deinde liberationem populi Iſrael, Maris rubri diuiſionem, Pharaonis ſubmerſionem, deſerti nubem, manna, coturnices, vitulum diuino cultu veneratum, & cætera complura.

Ex Numeris, ſacrificium Vaccæ rufæ, quod habetur in Sacra Scriptura cap. 19, & in Alchorano refertur cap. 1. quod propterea *de Vacca* dictum eſt. Item eductionem aquæ de petra, quæ vigeſimo cap. Num. narratur: Alchoranus narrat eodem cap. 1.

Ex libro Iudicum refert Alchoranus eodem cap. 1 poſt mediũ, quatuor ferè columnis ſeu pag. ante finem, illud quod habetur cap. 7. de ſelectione militum, aquã de manus vola in morem canis lingentium. Verba Alchorani hæc ſunt:

فَلَمَّا فَصَلَ طَالُوتُ بِالْجُنُودِ قَالَ إِنَّ اللَّهَ مُبْتَلِيكُمْ بِنَهَرٍ فَمَنْ شَرِبَ
مِنْهُ فَلَيْسَ مِنِّي وَمَنْ لَمْ يَطْعَمْهُ فَإِنَّهُ مِنِّي إِلَّا مَنِ اغْتَرَفَ غُرْفَةً
بِيَدِهِ فَشَرِبُوا مِنْهُ إِلَّا قَلِيلًا مِنْهُمْ ۞

ideſt: *Cumque diuideret Talut milites, dixit: Deus quidem probabit vos in fluuio, quicumque enim biberit ex eo, non erit mecum; qui autem non biberit, ille erit mecum ſ. qui biberit manu ſua, vola ad os proijciens aquas. Et biberunt de fluuio omnes, paucis exceptis.* Sic Alchoranus.

Verba autem Sacræ Scripturæ Iudicum 7. à num. 4. hæc ſunt.

Dixitque Dominus ad Gedeon: adbuc populus multus eſt, duc eos ad aquas, & ibi probabo illos. Eſt poſt pauca. *Cumque deſcendiſſet populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon: qui lingua lambuerint aquas, ſicut ſolent canes lambere, ſeparabis eos ſeorſum: qui autem curuatis genibus biberint, in altera parte erunt, fuit itaque numerus eorum, qui manu ad os proijciente lambuerant aquas, tre-*

trecenti viri; omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat.

Ex Reg. 1. qui & prior Samuelis dicitur, refert, quomodo filij Iſrael Regem ſibi à Samuele (licet non dicat nomen præciſè, ſed tantùm communi vocabulo dicat prophetam) petierunt. Idque in ſacra Scriptura habetur cap. octauo. Alchoranus autem refert cap. 1. *de Vacca*, poſt medium, decem fere columnis ſeu pag. ante finem: addit etiam, à propheta vnctum fuiſſe in regem Saul, quem vocat Talut.

Eodem cap. 1. *de Vacca* refert Alchoranus inſignem Dauidis victoriam de gigante Golia reportatam, quæ in ſacra Scriptura refertur cap. 17. primi Regum.

Ex ſecundo Reg. refert, quòd Dauid regnum acceperit eodem cap. 1. verba Alchorani ſunt

وَقَتَلَ دَاوُدُ جَالُوتَ وَآتَيهُ اللهُ المُلكَ وَالحِكمَةَ ۞

ideſt: *Et occidit Dauid Goliam, & dedit ei Deus regnum, & ſapientiam ſeu Iudicium.* Item ex eodem lib. 2 refert cap. cui tit.

سورة ص pag. mihi 433. peccatum Dauidis, parabolam de oue vna pauperis à Nathan propheta Dauidi propoſitam, & Dauidis pœnitentiam, &c.

Ex lib. 3. Reg. celebrat ſapientiam Salomonis, & gratiam à Deo acceptam, cap. *De prophetis* verſus finem. Item aduentum Reginæ Sabæ ad ipſum Salomonem inuiſendum refert cap. *de formica* quamuis multa fabuloſa intermiſceat. Item Eliæ zelum pro Deo Iſraël, dùm diceret populo, ſicut refertur 3. Reg. cap. 18. *Vſquequò claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus ſequimini eum; ſi autem Baal, ſequimini illum.* Alchoranus auté hoc refert سورة الصافات ideſt, cap. *de Hierarchia Angelorum*, pag. mihi 429. Verba eius hæc ſunt:

وَإِنَّ إِلنَاسَ لَمِنَ المُرسَلِينَ إِذ قَالَ لِقَومِهِ أَلَا تَتَّقُونَ أَتَدعُونَ بَعلًا وَتَذَرُونَ أَحسَنَ الخَالِقِينَ ۞

ideſt

ideſt: *Et quidem Elias vnus fuit ex Apoſtolis, cùm dixit populo ſuo, numquid non timebitis Deum? cur inuocatis Baal, & relinquitis optimum Creatorem?*

Ex lib. 4 Reg. Eliſei prophetæ celebrat ſanctitatem cap. الانعام ideſt: *De pecoribus* pag. 138. ſic dicens

وزكريا ويحيى وعيسى والياس كل من الصالحين واسمعيل واليسع ويونس ولوطا كلا فضلنا على العالمين ۞

Et Zacharias, & Ioãnes, & Ieſu, & Elias, omnes ſancti, & Iſmael, & Eliſeum, & Ionam, & Loth, omnes exaltauimus ſuper ſacula.

Ex libris Eſdræ & Nehemiæ, ipſum Eſdram prophetam prædicat, vbi ſupra cap. 1. retulimus. Item regreſſum filiorum Iſrael in Hieruſalem ad templi reædificationem, narrat سورة الاسرى cap. *De tranſitu*, ſcilicet Mahomet, ſub initium, pag. mihi. 272.

Ex lib. Eſther dicit quemdam nomine Aman (de quo in dicto libro Eſther ſermo habetur in Scripturis) iniquum ac malignum fuiſſe aduersùs filios Iſrael: idque سورة القصص cap. *De hiſtoria* ſeù *narratione* ſub initium pag. mihi 370, & inferiùs سورة العنكبوت cap. *De aranea*, pag. 383.

Ex libro Iob, celebrat eius ſanctitatem pluribus in locis, & vbi ſupra cap. 1. Tentationes, tribulationem, patientiam, & poſt tentationes conſolationem, & reſtitutionem in priſtinum & meliùs, refert س الانبياء cap. *De Prophetis*, poſt medium versùs finem, pag. 318. & cap. *De litera Sad* سورة ص

Ex Pſalmis, præterquam quòd pluriès fateatur, illos diuina inſpiratione à Dauide compoſitos, refert etiã illud pſalmi 36. n. 29. *Iuſti autem hæreditabunt terram*, verba Alchorani cap.

C *De*

الأَنْبِيَاء *De Prophetis*, circa finem, pag. mihi 320. ſunt hæc

وَلَقَدْ كَتَبْنَا فِي ٱلزَّبُورِ مِنْ بَعْدِ ٱلذِّكْرِ أَنَّ ٱلْأَرْضَ يَرِثُهَا عِبَادِيَ ٱلصَّالِحُونَ ۞

ideſt: *Et iam ſcripſimus in Pſalmo, poſt memorta, quòd terram hæreditabunt eam ſerui mei iuſti*; & cap. الشعرا *De Poetis* verſùs finem, etiam Pſalmorum auctoritatem allegat, ſuum intentum probare geſtiens, ſic dicens إِنَّهُ لَفِي زُبُرِ ٱلْأَوَّلِينَ ideſt: *Certè quòd hoc ſcriptum eſt in Pſalmis antiquorum.*

Præterea auctor libri Chamùs, inter Mahometanos celeberrimus, diuerſis in locis verba Pſalmorum refert, ſed illud præcipuè non ſilendum, quod refert ex Pſalmo ſecundo. Dicit enim in dictione ولد verba illa ſecundi Pſalmi: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, eſſe verba Dei excelſi, ab ipſo dicta ad Ieſum Mariæ filium, ipſius verba Arabica ſunt hæc

ومنه قول الله عز وجل لعيسى بن مريم صلى الله عليه وسلم انت ابني وانا ولدتك ۞

ideſt: *Et exinde dictum Dei Omnipotentis & Excelſi, ad Ieſum Mariæ filium, cui ſint orationes Dei, & pax: Tu es filius meus & ego genui te.*

Ex libris Sapientialibus, Salomonis ſapientiam pluries Alchoranus celebrat. Et cap. *De Poetis*, ſeu س الشعرا refert illud Sapient. cap. 5. *Talia dixerunt in inferno hi qui peccauerunt.* Et illud, *ergo errauimus à via veritatis &c.* Alchorani verba hæc

hæc ſunt, dicto cap. *De Poetis*, circa medium, vbi loquens de damnatis & inferno, ſic ait

قَالُوا وَهُمْ فِيهَا يَخْتَصِمُونَ تَاللَّهِ إِنْ كُنَّا لَفِي ضَلَالٍ مُبِينٍ ۞

ideſt: *Dixerunt & ipſi, in ea (ſcilicet gehenna) diſquirentes: per Deum certè fuimus in errore euidenti, &c.*

Ex Prophetis plura deſumpſit, & præcipuè ex Ezechiele iniquitatem & peruerſitatem illarum gentium, Gog, & Magog, dequibus apud Ezechielem cap. 38, & 39. & apud Alchoranum cap. *De cauerna*, ſeù *Spelunca*, Arabicè autem

سُ الكهف & cap. *De Prophetis* verſùs finem.

Ex Iona, ipſum prophetam celebrat, vbi ſuprà cap. 1. retulimus. Item eius prædicationem ad Niniuitas, & Niniuitarum pœnitentiam, & adeptam miſericordiam, refert cap. cui *De Iona* titulum præfixit, & circà finem capitis.

Pleraque alia deſumpſit ex libris Veteris Teſtamenti, quæ lõgum eſſet per ſingula referre; ſufficit enim hæc pauca retuliſſe, quæ ſufficiunt ad oſtendendam Mahometanis ſac. Scripturarum veritatem, quòad Vetus Teſtamentum. Reliquum eſt, vt etiam quædam referamus de Nouo, in quo maiorem habent ſuſpitionem, licèt gratis, & ſine fundamento.

Ad tollendam ergo omnem ſuſpitionem, & penitùs delendam è Mahometanorum cordibus, non ſolùm de vno Euangelij lib. ſed etiam de omnibus quatuor, ſcilicet ſecundùm Matthæum, ſecundùm Marcum, ſecundùm Lucam, & ſecundùm Ioannem, plura refert Alchoranus, ex quibus, breuitatis cauſa, pauca recenſebimus.

Primò, illud Chriſti dictum Matth. ſectione 61. ſeù cap. 19 num. 24. Marc. ſect. 32 ſeù cap. 10. num. 25. Lucæ in text. Arab. ſect. 65. & in Latin. c. 18. n. 25. *Facilius eſt, camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem in regnum Cælorum intrare*, refert Alchoranus cap. 6. quod eſt caput primum ſecundi libri, diciturque Arabicè سُورَةُ الأَعْرَافِ ideſt caput *De Muro*, inter Paradiſum ſcilicet & Gehennam, pag. mihi. 154.

لا تفتح لهم أبواب السماء ولا يدخلون الجنة حتى يلج الجمل في
سم الخياط وكذلك نجزي المجرمين ۞

ideſt: *Non aperientur eis portæ cælorum, & non intrabunt in Paradiſum, ità vt potiùs intret camelus in foramen acus, & ità rependimus iniquis.*

Illud Matth. ſect. 52. ſeù cap. 16. num. 24. & Lucæ ſect. 34. ſeù cap. 9. num. 23. de abnegando ſemetipſo, refert Alchoranus c.

سورة النازعات pag. mihi. 560.

وأما من خاف مقام ربه ونهى النفس عن الهوى فإن الجنة هي
المأوى ۞

ideſt: *Qui abnegauerit animam ſuam, ſeù ſemetipſum, hic intrabit in Paradiſum.*

Ad Illud Matth. ſect. 58. ſeù cap. 18. num. 22. *non dico tibi ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties*, alludit Alchoranus cap.

التوبة *De pœnitentia*, ſeù vt alij volunt, cap. *De gladio*, pag.

mihi 193. (Verùm ſignificatio prior eſt communior.)

إن تستغفر لهم سبعين مرة فلن يغفر الله لهم ۞

Si veniam pro eis petieris ſeptuagies, non parcet eis Deus.

Illud etiam Matth. ſect. 8. ſeù cap. 5. num. 17. quòd Chriſtus venerit ad implendam legem, Alchoran. fatetur c. *De menſa*, pag. 115.

Illud aliud etiam Matth. ſect. 14. ſeù cap. 7. num. 17.18.19, & ſect. 35. ſeù cap. 12. num. 33. de arbore bona, & arbore mala, refert Alchoran. cap. *De Abraham*, circa medium, vel paulò poſt, pag 249.

Ex Euangelio ſecundùm Marcum ſect. 13. ſeu cap. 4. num. 27. re-

refert illud de ſemine, dum primùm germen emittit, deinde herbeſcit, deinde creſcit & ſpicam profert, verba Alchorani

س الفتح *De aperitione*, pag. 491. circa finem capitis, hæc ſunt

ذلك مثلهم في التورية ومثلهم في الانجيل كزرع اخرج شطأه فآزره فاستغلظ واستوى على سوقه يعجب الزراع ۞

ideſt: *Illud exemplum eorum in Torà, & parabola eorum reperitur in Euangelio; ſicut ſemen profert germen ſuum, & indureſcit, & creſcit, & adæquatur in culmo, & delectat agricolam.* Verba autem S. Euangelij loco allegato hæc ſunt. Et dicebat: *Sic eſt Regnum Dei, quemadmodum ſi homo iaceat ſementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte & die, & ſemen germinet, & increſcat, dum neſcit ille. Vltrò enim terra fructificat, primùm herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica.*

Ex Luca, qui vniuerſã hiſtoriam Natiuitatis & Infantiæ Chriſti narrat, & magis de plano procedit, more hiſtorico, plura deſumpſit Alchoranus: nempe ſanctitatem parentum Ioannis Baptiſtæ, quam Lucas 1.c. Alchoranus verò cap. *De Prophetis* p. 318, & 319. refert. Deprecationem Zachariæ pro filio ſuſcipiendo, reſponſum per Gabrielem Archangelum, eius amiſſionem loquelę, Ioannis Baptiſtæ natiuitatem, & ſanctitatẽ. Item Beatæ Mariæ Virginis per Gabrielẽ Archang. annunciationem, eius virgineum conceptum & partum; quæ omnia S. Lucas ſect. 1. 2. & 3. 4. & 5. ſeù cap. 1. & 2. refert, ipſe Alchoranus repetit (quamuis aliqua mutet) cap. 2. *De familia Amram*, & cap *De Prophetis*, & cap. *De Maria*.

Verba illa Simeonis, quæ Lucas ſect. 7. ſeu cap. 2. refert dicta ad Mariã, dum puerum Ieſum præſentaret in Templo, replicat etiam Alchoranus cap. *De fidelibus*, pag. 333.

وجعلنا ابن مريم وامه آية

ideſt: *Et poſuimus filium Mariæ, & matrem eius, in ſignum*, &c.

Ex Euangelio Ioannis cap. 1. fatetur, Chriſtum eſſe Dei Ver-

Verbũ, & Spiritum ex Deo, factum hominem, & incarnatum ex Maria Virgine, idque cap. 3. cui tit. eſt *De Mulieribus* verſus finem capitis. Verba Alchorani ſunt hæc

يا أهل الكتاب لا تغلوا في دينكم ولا تقولوا على الله إلا الحق
إنما المسيح عيسى ابن مريم رسول الله وكلمته ألقاها إلى مريم
وروح منه ۞

ideſt: *O vos, qui libro huic, & diuinæ Scripturæ fidem adhibetis, nolite errare in fide veſtra, neque dicatis contra Deum, niſi id quod verum eſt. Enimverò Chriſtus Ieſus filius Mariæ eſt Apoſtolus Dei, & Verbum eius, quod iniecit in Mariam, & eſt Spiritus ex Deo.*

Et ex omnibus Euangelijs narrat Chriſti miracula complura tàm cap. 2. cui tit. eſt *De familia Amran*, quàm cap. 4. cui tit. præfixus eſt *De menſa*, quàm etiam alibi, pluries.

Miraculum præterea ſuſcitationis Lazari confitentur etiam Mahometani, ſpecialiter Auctor lib. Chamùs inter Mahometanos celeberrimus in dictione عزير Sic inquit:

وعازر كهاجر أحياه عيسى عليه السلام ۞

ideſt: *Et Azar, ad inſtar formæ Hagiar, ſuſcitauit eum Ieſus, cui ſit pax.* Hoc autem eſt quod narrat Ioannis Euangelium cap. 11. & text. Arab. ſect. 25.

Prætermitto cætera breuitatis cauſa, nempè quomodo Alchoranus etiam referat, Chriſtum aſcendiſſe in cælum, eſſe venturum Iudicem, & cæt.

Ex dictis enim ſatis probatur, Alchoranus, dum Euangelium dicit eſſe lucem, & directionem hominum, de quonam intelligat; nempè de Euangelio ſecundùm Matthæum, ſecundùm Marcum, ſecundùm Lucam, & ſecundùm Ioannem. Vnde frustrà adderentur plura.

Nec ſiluit Alchoranus quædam ex Epiſtolis Pauli, illud enim quod Paulus dicit ad Corinth. ſcribens Epiſt. 2. cap. 3. num. 3.

Epi-

Epiſtola noſtra vos eſtis ſcripta in cordibus &c. Epiſtola eſtis Chriſti miniſtrata à nobis, & ſcripta non atramento, ſed Spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus. Ipſe Alchoranus refert سٓ المجادلة c. *De altercatione*, circà finem

كتب في قلوبهم الإيمان وأيدهم بروح منه ويدخلهم الجنة ۞

ideſt: *In eorum cordibus ſcripſit fidem* ſcilicet Deus, & *confirmauit eos Spiritu à ſe procedente, & introducet eos in Paradiſum.*

Ex Epiſtola Ioannis prima cap. 2. vſurpauit illud: *ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis*, cap. التوبة *de pœnitentia*, ſeù ſecundùm alios *De gladio* pag. 189. verba Alchorani circà medium capitis hæc ſunt

إنهم لمنكم وما هم منكم ۞

Ipſi quidem ex vobis proceſſerunt, ſed non ſunt ex vobis.

Et tandem, ne ſermonem in longius protraham, ex Apocal. Ioannis, deſumpſit populi Gog & Magog impietatem, quam Ioannes cap. xx. Apoc. Alchoranus verò cap. *De ſpelunca*, pag. 293. & cap. *De Prophetis* circà finem pag. 319.

Item mortem primam, & mortem ſecundam, quam dicit Io. eodem cap. 20. Apoc. num. 6. Alchor. minatur etiam cap. *De fumo* pag. 474. circa finem, vbi à morte ſecunda, iuſtos dicit futuros eſſe immunes.

Et ex his tam præciſè, & indiuiduanter ſacrarum Scripturarum libri demoſtrantur per Alchoranum, vt euidentia maior eſſe nequeat; cùm nomine Auctorum, nomine proprio libri, & ſententiarum relatione, quaſi digito ſingulos indicando demonſtret.

Et quamuis non ex ſingulis libris ſententias decerpſerit, vel aliquod dictum referat: nihilominus ex allatis clarè colligitur, non ideò ex reliquis aliquid non fuiſſe depromptum, quòd Sacri non cenſerentur, ſed potiùs, quia ex ipſis aliquid depromere materia anſam non præbuerit. Alioqui enim conſtat ex ipſo etiam Alchorano, illos libros omnes, tanquàm ſacros eſſe venerandos, qui à Chriſtianis, & Iudæis, tanquàm ſacri coluntur.

Quod

Quòd autem Mahomet in Alchorano ex vniuerſis aliquid nõ appoſuerit, non facit ad imminuendam aliquorum fidem, præſertim cùm Mahomèt ipſe non omnes ſibi recenſitos fateatur, vt ſuprà ex Alchorano probatum eſt. Ex illis ergo quos ignorauerat, non potuit aliquid decerpere, ex quibus, ſicut ex alijs, aliquid ſimiliter decerpſiſſet, ſi pariter agnouiſſet.

Cùm ergo Alchoranus ipſe librorum nomen indicet, nomina prophetarum recenſeat, ſententias item ex pluribus referat, Inſuper, & non omnes ſibi agnitos libros, ſeù prophetas, fateatur, ſed illos omnes, ſicut & cæteros ſacræ Scripturæ libros, à Chriſtianis & Iudæis haberi, & propterea ad Iudæos & Chriſtianos authoritatem omnem de Scripturarũ veritate remittat: Omnes libri, qui ab ipſis diuini habentur, à Mahometanis etiam diuini cenſendi ſunt. At omnes Scripturarum vtriuſque Teſtamenti libri recenſiti ſine ſuſpitione Diuini ſunt habiti ab vniuerſa Dei Eccleſia olim à Iudæis, & nũc etiã à Chriſtianis, ergo verè Diuini ſunt, & ex dictis, ſunt à Mahometanis etiam tanquam Diuini ſuſcipiendi.

CAPVT IV.

Proponitur obiectio Mahometanorum contra ſacras Scripturas, & ſoluitur.

Sacra Scripturæ legitima extant modo in Dei Eccleſia, ſicut in primitiua.

SED reſpondent Mahometani, prout refers in tuo libro, in omnibus Scripturis ſe nobiſcum conuenire; ſed in integris & ſynceris, non in corruptis & adulteratis. In prædictis & ſupra recenſitis propterea non eſſe inter nos conuenientiam; quia nos Chriſtiani corrupimus, & ad libitum adulterauimus, & apocryphas loco ſyncerarum ſubſtituimus.

Hæc eſt eorum reclamatio, qui vim effugere conantur Scripturarum; ne veritatem, quam continent, eorum mentibus intromittant; & ne ab errore qui in eorum cordibus tanquam natura inoleuit, reſipiſcere cogantur: diſplicent enim medica-

menta

menta, quamuis vtilia, quibus antiquata vlcera curantur; & infirmitates antiquæ, quamuis noxiæ, ſolent aſſuetudine verti in oble&amenta.

Hoc quidem prona ad malum concupiſcentia in peruerſis animis operatur. Non autem inter hos computandum cenſeo Ahmed, qui pari præditus, tùm corporis & ſtirpis, tùm animi & mentis, nobilitate & virtute, non hæc obijcit vt fallat, ſed vt noſcat; non vt litiget, ſed vt conſideret; non, Euangelia & Torà fuiſſe corrupta, dicit, vt aſſerat; ſed vt Mahometanorum cauſationem patefaciat, & reſponſionem accipiat; vt ſi ſatis eius ingenio fiat, ſuſcipienda ſuſcipiat, repellenda repellat, agnoſcens veridicas Dei Scripturas, animaduertens callidas verſipellium impoſturas.

Animaduertat ergo prudentiſſimus tuus animus, qualis ſit iſtæc Mahometanorum cauſatio, nos corrupiſſe & adulteraſſe Euangelia vel Torà, & non eſſe verum Torà, nec vera Euangelia, quæ penes Chriſtianos ſunt & à Chriſtianis coluntur.

Primò quidem, ſi liceret ſine aliquo fundamento de ſacris Scripturis dicere, non eſſe illa, quæ priùs, vera & diuina; eodem modo de omnibus omnium au&orum etiam liceret; & ita cauſatio iſta omnem quorumcumque librorum fidem tolleret, nec minùs Alchorani, quàm Torà & Euangelij; idem enim dici poſſet de Alchorano: ſicut enim Mahometani non alium vnquam habuerunt Alchoranum, quàm eum, quem modo habent, ſic Chriſtiani alia nunquam habuerunt Torà & Euangelia, quàm ea quæ habent modò. Si ergo ex tàm clara tot ſæculorum ſibi inuicem ſuccedentium conteſtatione non ſatis probatur, hoc eſſe Torà, hæc eſſe Euangelia, quæ ſemper habuit Eccleſia, ab Apoſtolis vſque nunc, & à Moyſe cæteriſque Prophetis vſque ad præſens, & per totum orbem longè latèque diffuſa: omnium librorum fides pereat neceſſe eſt. ſiquidem Auicennæ libros, Auerrois, & Chamus Iacobi filij Mahomet, libros item Hippocratis, Platonis, Ariſtotelis, Euclidis, cæterorũq. au&orum, vnde conſtat eſſe ipſorũ, niſi quia longo ſæculorum ſpatio horum virorum libri ſunt habiti? vnde ſi quis neget, nec certè refellitur, illique reſponſio alia non adhibetur, quàm riſus. Et quidem Mahometani deriderent eos qui dicerent, non eſſe hunc Alchoranũ, quem modo habent, illum eumdem Alchoranum Mahometi, vel non eadem continere, quæ ille continebat. cur ergo non erit ridendus, qui ſimilia de Torà & Euangelijs protulerit?

At videris mihi, tuum in animum de Torà ſuſpitionem admittere, ratione (vt inquis in tuo libro) diſſentionis inter Chriſtianos & Iudæos, qui ſi agnoſceret, diuinam eſſe ſuarum Scripturarum auctoritatem, de earum ſenſu inter ſe non diſſiderent: hujuſmodi autem diſſidium clarum teſtimonium exiſtimas eſſe de Scripturarum vanitate?

Verũ eiuſmodi controuerſia inter Iudæos & Chriſtianos, tantum abeſt, vt inducere debeat eam quam dicis ſuſpicionem, vt potiùs ex ea probetur Scripturarum auctoritas: nam Iudæi & Chriſtiani propterea tantum laborant, vt Scripturarum ſenſum aſſequantur, quia ſciunt eſſe diuinum, & illud aſſequendo, non eſt quid friuolũ quod lucrantur, ſed valde vtile & pretioſum, qualis eſt diuinæ voluntatis cognitio: Si autẽ Scripturas ignorarent eſſe diuinas, nõ eſſet cur tãtoperè ad earũ ſenſũ capeſsẽdũ inſudarẽt.

Chriſtus non tradidit Euãgeliũ in ſcriptis, ſed oretenus prædicauit.

Aliud fundamentum aſſeris, quod ſuſpitionem faciat de Euangelijs: Quia ſcilicet Chriſtus dixit Apoſtolis Marci vlt. *Ite prædicate Euangelium*. Ergo Chriſtus dedit Apoſtolis Euangelium, ideſt aliquem librum, quem ipſe priùs, vel compoſuerat, vel à Deo acceperat, vt etiam videtur aſſerere Alchoranus, dum Deum his verbis loquentem inducit cap. 2. & alibi. *Et dedimus Ieſu Chriſto Euangelium*. Euangelia autem, quæ modo habentur in Eccleſia Chriſtianorum, fuerunt conſcripta à Matthæo, Marco, Luca, & Ioanne: ergo non eſt illud Euangelium.

Sed hoc nõ vrget, & illud ex Alchorano difficultatem non facit: cùm enim dicitur, miſſos Apoſtolos à Chriſto ad prædicandum Euangelium, non eſt intelligendum, quòd librum aliquem aut doctrinam in ſcriptis à Chriſto acceptam prædicarent; ſed intelligendum eſt de doctrina oretenùs tradita: doctrina enim Chriſti ſiue ſcriptis mandata, ſiue oretenùs accepta, ſine diſcrimine, dicta eſt Euangelium, deriuato nomine à Græcis dictionibus εὐ ideſt: *Bonum*, & ἀγγέλλω ideſt: *Nuncio*. Doctrina autem Chriſti, ſiue Scripturæ, ſiue vocis miniſterio inſinuata, bonum ſecum fert nuncium, quia pollicetur gloriam in futuro, & offert gratiam in præſenti, vt ſuo loco infrà explicabimus, tangentes aliquid de Sacramentis, de remedio peccatorum per Chriſtum.

Non ergo concluditur ex illis Euangelij verbis, nec ex verbis Alchorani; dum dicit, Euangelium à Chriſto prædicatum; fuiſſe librum vel doctrinam ſcriptis traditam, nullum enim librum Chriſtus tradidit, ſed Euangelicam doctrinam oretenùs

præ-

prædicauit, quam deinde poſt Chriſti in cælum aſcenſionem illi quatuor conſcripſerunt. Hanc autem reſponſionem non modò cofingimus, vt veſtræ cauſationi ſatisfaciamus, ſed ab antiquiſſimis Patribus accepimus; & inter cæteros à Hieronymo præſertim, qui, Scripturarum notitia, omnibus antecelluit. Hic ſanctus Doctor trecentis fere annis ante Mahomet, in commentarijs ſuper cap. 44. Ezechielis prophetæ ſic inquit: *Vnde & Saluator nullum volumen doctrinæ ſuæ proprium dereliquit (quod in pleriſque apocryphorum deliramenta confingunt) ſed Patris, & ſuo Spiritu, quotidie loquitur in corde credentium.* Hæc Hieronymus.

Hoc etiam ex Alchorano ipſo deducitur; nam capite الأحقاف pag. mihi 481. & 482. agens de ipſomet Alchorano ſic inquit verſus finem capitis

إِنَّا سَمِعْنَا كِتَابًا أُنْزِلَ مِنْ بَعْدِ مُوسَى مُصَدِّقًا

idest: *Certè audiuimus librum miſſum à Deo poſt librum Moyſis veridicum.* Vbi notandum eſt, non dixiſſe poſt librum Moyſis, & librum Ieſu; ſed tantùm poſt Moyſis. Cuius rei ſi ratio quæratur: cur cùm duo legiſlatores fuerint, Moyſes & Chriſtus ante Mahometi tempora, ante Alchorani machinationem, cur inquam non ſubiunxit cum Moyſe etiam de Chriſto? certè non poterit reſponderi, quòd ipſe putarit, Chriſti legem non fuiſſe à Deo, quia iam palàm eſt, illum alias ſæpiſſimè celebrare Euangelia. Cur ergo dixit, librum Alchorani deſcendiſſe poſt Moyſi librum, & non etiam poſt librum Chriſti: niſi quia loquebatur de lege à Deo ſcriptis tradita, vt fuit lex data per Moyſen, & Mahomet perſuadere intendebat populo, à Deo ſibi traditam legem in ijs ſcripturis, quas proponebat in Alchorano, & quia Ieſus legem Euangelicam in ſcriptis non tradiderat, nec acceperat; ſed ſolus Moyſes in duabus lapideis tabulis, prout narratur Exodi cap. 31. num. 18. & cap. 34. nec alius, præter Moyſen, ſcriptam legem habuerat, propterea mentionem ibi facit de ſolo Moyſe, dicens, *deſcendit liber poſt librum Moyſi.* Ergo quandocunque aliàs de Euangelio loquitur Alchoranus, de cõſcripto ab illis quatuor diſcipulis, vt ſuprà, intelligi debet, vel de oretenùs prædicato à Chriſto, nõ autẽ de aliquo ab ipſo in ſcriptis tradito, quod nunquam fuit.

Confirmatur magis ex alijs Alchorani locis, nec enim in ſolo præallegato ſic loquitur, ſed etiam cap. *De Mulieribus* pag. 100. talia profert

يَا أَيُّهَا الَّذِينَ آمَنُوا آمِنُوا بِاللَّهِ وَرَسُولِهِ وَالْكِتَابِ الَّذِى نَزَّلَ عَلَى رَسُولِهِ وَالْكِتَابِ الَّذِى أَنْزَلَ مِنْ قَبْلُ ۞

ideſt: *O qui credidiſtis, credite in Deum, & Apoſtolum eius, & libro quem miſit ad Apoſtolum ſuum, & libro quem miſerat antea*. Quibus ſimiliter indicat, vnum librum datum eſſe à Deo in ſcriptis ante Alchoranum; fuitque lex Moyſi. Si autem lex Euangelica fuiſſet in ſcriptis à Deo, vel à Chriſto, tradita, non dixiſſet كتاب in ſingulari, ſed الكتابين in duali, vt indicaret, duos libros à Deo in ſcriptis datos ante Alchorani adinuentionem: legatur ibi poſt medium, ante finem tribus vel quatuor ferè paginis, ex contextu enim clariſſimè colligitur.

Clariſſimè etiam colligitur ex cap. 5. Alchorani cui titulus eſt الانعام ideſt, cap. *De brutis*, ſeu *animalibus, pecoribus* pag. 139.

قَالُوا مَا أَنْزَلَ اللَّهُ عَلَى بَشَرٍ مِنْ شَيْءٍ قُلْ مَنْ أَنْزَلَ الْكِتَابَ الَّذِى جَاءَ بِهِ مُوسَى نُورًا وَهُدًى لِلنَّاسِ تَجْعَلُونَهُ قَرَاطِيسَ ۞

ideſt: *Dixerunt: Non miſit Deus aliquid ad homines. Reſponde, & quis miſit Scripturam ſeu librum quem attulit Moyſes in lucem & inſtitutionem hominibus, quem ponitis ſeu ſcribitis in chartis.* vel ſenſus eſt: *Num cenſetis fortè illum eſſe ſimplices chartas?* Neque hìc mentionem facit de Euangelio, cùm ſermo ſit de libro & lege, à Deo in ſcriptis tradita; ſed tantummodò mentionem facit de libro Moyſi; deinde (ſine aliqua mentione de Euangelio) ſubdit de Alchorano. Eodem modo loquitur inferiùs eodem cap verſus finem, pag. 148. tantùm de Torà & Alchorano, ſimiliter etiam cap. الاحقاف aliquanto poſt initium capitis pag. 179. loquens de Dei lege, in ſcriptis promulgata:

ideſt

وَمِن قَبْلِهِ كِتَابُ مُوسَى اِمَامًا وَرَحْمَةً وَهَذَا كِتَابٌ مُصَدِّقٌ
لِسَانًا عَرَبِيًّا لِيُنذِرَ الَّذِينَ ظَلَمُوا وَبُشْرَى لِلْمُحْسِنِينَ ۝

ideſt: *Et ante eum liber Moyſi in obedientiam, & miſericordiam, & hic liber veridicus lingua Arabica ad comminandum pœnam iniquis, & præmium pollicendum iuſtis.* Vbi agens de lege in ſcriptis, vt patet, meminit tantùm de Torà, ſeu lege Moyſi, & de Alchorano. Alibi verò, quia non agit de lege præcisè in ſcriptis tradita, ſed de lege Dei in genere, ſiue ſcriptis, ſiue oretenùs promulgata; propterea mentionem facit, non ſolùm de Torà, ſed etiam de Euangelio.

Et ex his patet, illa eſſe vera Dei Euangelia, quæ illi quatuor poſt Chriſti aſcenſionem in cælum conſcripſerunt, Matthæus & Ioannes, prout viderant, & à Chriſto præſente acceperant, cùm ipſius fuerint Apoſtoli; Marcus verò & Lucas, prout ab Apoſtolis relatum audierant, qui duo, licèt non fuerint immediatè, vt in tuo libro dicis, Chriſti diſcipuli, fuerunt tamen diſcipuli Apoſtolorum, à quibus cùm eamdem Chriſti doctrinam audirent, poſſunt etiam benè dici ipſius Chriſti diſcipuli: quare non obſtat, quod obijcis.

Sacra Euangelia illa ſũt, quæ à Mattheo, Marco, Luca, & Ioãne, fuerunt conſcripta.

Præterea omnis ſuſpitio circa Euangelium, ſecundùm illos quatuor, deletur penitus ſupra allatis ex Alchorano, vbi non ſolùm oſtendimus, Alchoranum celebrare Euangelia, cæteroſque Sacros libros: verùm etiam pleraque loca retulimus, in quibus allegat Euãgeliorum, & aliarum ſacrarum Scripturarum ſententias: quæ reperiuntur in illis Euangeliis, vt ſupra notata ſunt per ſingula. Ergo ſuſpitio iſta, quòd non ſint illa Euangelia vera Chriſti, & in vniuerſum, quòd non ſint illi ſacri libri, non poteſt in Mahometanorum corde locum habere, cùm ex ipſomet Alchorano redarguantur.

Quòd ſi Alchoranus in multis etiam repugnet ſacris Scripturis, non propterea ſuſpitio debet oriri de illis quas Chriſtiani tanquàm ſacras venerantur, ſed potius contra illam, quam infra (de qualitate Diuinæ legis agentes) clariſſimè oſtendemus, etiam ſibi ipſi repugnare & ſe ipſam deſtruere. Et ibi patebit, non eſſe mirum ſi alijs repugnet, qui nec ſibi ipſi conſtat.

Cui autem ſit arroganda fides, cui verò abroganda, dùm Alchoranus ex vna parte, Torà & Euangelia ex altera, ſibi mui-

cem

Euangelijs & Torà credendum, quãuis alius quiuis repugnet.

cem repugnant: ſit ipſa ratio iudex: ſint omnes qui paſſionis velamine mentis obtutus non obtegunt: ſit iudex ipſemet Alchoranus. Et quidem, ſi ratio ſit iudex, magis credendum cenſebit Torà & Euangelijs, quæ tàm longo ſæculorum ſpatio à Chriſtianis, & Iudæis; imo & à toto orbe, diuina ſunt habita; quàm Alchorano, qui à toto orbe irridetur, ſolis exceptis Mahometanis, qui etiam quandoque, dum ſecum vera recogitant, ridiculam eſſe legem agnoſcunt, vt Auicenna in Metaphyſica de vltimo fine pertractans, illumque in optima hominis operatione conſtituens cum Ariſtotele, ceteriſque eruditis Philoſophis, ſatis clarè demõſtrat inſaniam eſſe, beatitudinem in carnis voluptatibus collocare, prout collocauit Mahomet & Alchoranus.

Si ratio vlteriùs in iudicio procedat, & hinc perlegat ſacrarũ hiſtorias Scripturarum, omnemque ſeriem Torà & Euangelij, deinde perlegat Alchoranum; nonne ex contextu, videns in Alchorano confuſionem tantam, & cætera, quæ inferiùs notabimus, turpia & obſcæna, inſuper & mendacia, & contradictiones? Et ex alia parte rectitudinem, diſtinctionem, & cæleſtem doctrinam Torà & Euangelii, nonne, inquam, feret iudicium certum pro Torà, & Euangelio?

Si ſint ómnes iudices, ij tamen qui paſſionis pondere in alteram partem non trahuntur, nonnè magis pro Iudæis & Chriſtianis ſimul ſententiam ferent; quàm pro ſolis Mahometanis? illos enim certum eſt, aliquando veras Dei habuiſſe Scripturas, toto contextante terrarum orbe, Mahometanos autem non ita, ergo ſententia potius contra Mahometanos & Alchoranum, ab omnibus dicetur.

Verùmtamen ſit ipſemet Alchoranus iudex, hic ipſe (tanta eſt veritatis efficacia) pro Torà & Euangelijs, pro Iudæis & Chriſtianis, in his quæ ſuſpitionem habent, fert apertè ſententiam: dicit enim سورة يونس cap. *De Iona*, aliquantò altius à fine,

فَإِنْ كُنْتَ فِي شَكٍّ مِمَّا أَنْزَلْنَا إِلَيْكَ فَسْئَلِ الَّذِينَ يَقْرَوُنَ الْكِتَابَ مِنْ قَبْلِكَ ۝

ideſt: *Si ſuſpitio tibi obuenit de his quæ in hoc Alchorano miſimus ad te, conſule eos, qui legunt Scripturas priſtinas ante te.* Ergo

go ſecundùm ipſum Alchoranum, id quod ſuſpectum eſt in Alchorano, debet ad Torà & Euangelij regulam (quæ priſtinæ Scripturæ ſunt) reformari, & iuxtà ſenſum, quem Chriſtiani ex Scripturis priſtinis didicerunt, corrigi & intelligi: non autem è contra. Si autem quæ ſunt in Torà & Euangelio ad ſenſum omnium eorum, quæ ſunt in Alchorano, intelligantur aut mutentur, fiet contra ipſiuſmet Alchorani ſententiam, qui vult, ea quæ ſuſpitionem in Alchorano faciunt, iuxtà Iudæorum & Chriſtianorum doctrinam, & eorum Scripturarum ſenſum, eſſe intelligenda & reformanda. Conſulantur ergo Chriſtiani, conſulantur priſtinæ Scripturæ, & quæ illis in Alchorano repugnant, iuxta rationis ſententiam, iuxta ipſiuſmet Alchorani ſenſũ, iuxta totius orbis iudicium, deleantur.

Nec fidem minuit de Torà & Euangelijs illud, quod Mahometani cauſantur: Chriſtianos vel Iudæos mutaſſe Euangelia vel Torà: talis enim cauſatio eſt magis riſu digna quàm reſponſione. *Sacra Scriptura non fuerunt adulterata.*

Ne tamen videamur velle argumenta diffugere, in re (quãuis luce meridiana clariore) dilucidanda magis aliquantiſper immoremur.

Quoniam verò ſenſus, de adulteratione, poteſt eſſe multiplex; nempè, cùm non ſolùm vno idiomate, verùm etiam plurium linguarum idiomatibus ſcripta reperiantur ſacra volumina, non ſolùm lingua Arabica (ſicut ea ſola lingua habetur Alchoranus à Mahometanis) verùm etiam & Chaldaica, Aegyptia, Perſica, præcipuè autem Hebræa, Græca, & Latina, poſſet Mahometanorum ſuſpitio eſſe, vel de adulteratione vnius, vel alterius, vel plurium verſionum, vel ſingularium aliquorum locorum alicuius verſionis, vel in vniuerſum omnium ſimul verſionum, itaut vix aliquis locus ſingularis integer ſit relictus, vel certè maxima ex parte in cunctis editionibus vniuerſa mutata. Singillatim ergo omnia pertractabimus. Et primò, quia hæc eſt præcipua, vt in tuo aſſeris libro, Mahometanorum ſuſpitio, videbimus, an facta ſit huiuſmodi vniuerſalis adulteratio, deinde de cæteris.

CAPVT

CAPVT V.

Probatur, Sacras Scripturas non fuiſſe in vniuerſum adulteratas.

Ad humanã actionem plura concurrũt, & quæ.

IN actione quacumque quæ ab homine eſt & humana, hæc omnia concurrere neceſſe eſt, & de his omnibus conſtare debet, vt actio perpetrata dicatur, nempe. De perſona, quæ opus efficiat. De fine propter quem efficiat. Inſuper de duabus circumſtantijs, loci, & temporis. Et præcipuè de ipſo opere vt appareat re vera perpetratũ, & vt Iuriſtæ loquuntur in delictis: Vt conſtet de corpore delicti: ſi enim de omnibus & ſingulis non conſtet; vno deficiente, etiam ſi videretur conſtare de cæteris, hoc ſufficit ad probandum, facinus non fuiſſe perpetratum. Diſquiramus ergo de omnibus ſingillatim.

SECTIO PRIMA.

Non poſſe aſſignari omnium Scripturarum in vniuerſum adulteratores.

Iudæi, aut Chriſtiani, nõ cõuenerũt ad ſacras Scripturas vitiãdas.

PRimò quidem: Perſona, quæ poſſet præſumi, certè non eſt alia, quàm Chriſtiani quoad vtrumq. Teſtamentum, & Iudæi quoad Vetus: penes hos enim tantũmodò ſacras Scripturas certum eſt extitiſſe: vnde ipſi tantùm præſumi poſſunt vitiatores.

Dicere autem, eos vitiaſſe, eſt cauſatio, vt diximus, riſu magis digna, quàm reſponſione. Quis enim in eam legem, quam tanquàm à Deo acceptam veneratur & colit, adulteratrices manus inijcere audeat, & poſtquam iniecerit pari cultu veneretur; ſicut modò Chriſtiani ſacra eloquia venerantur? Nec enim quiſquam ſibiipſi fraudẽ machinatur, nec ſemetipsũ quiſquã fallere tentat: ſed fraus fit alteri, alteri impoſturã molimur. Non ergo quiſquam eam legem, quam tanquam diuinam ſuſcipit, vitiat, & poſt vitiũ illi priſtinam fidem adhibet: nec enim illi

illi credere vlteriùs poſſet, cùm ſcientiam haberet de illius adulteratione: nec poſſet illa deinceps tanquam diuina ſuſcipere, cùm eſſet conſcius, ſua eſſe adinuenta, ſua machinamenta, & non Dei teſtimonia: euidentia enim credulitatem de oppoſito ſecum non compatitur. Quomodo ergo Chriſtiani & Iudæi vitiauerunt volumina quæ tanquam diuina venerantur? Quomodo Scripturas à ſe vitiatas tanquam diuinas colunt? Quomodo ſciunt eſſe adulterata figmenta,& ſuſcipiunt tanquam Dei Teſtamenta? Quomodo credunt oppoſitũ eius quod nouerunt? Nouerũt falſa,& credunt vera? ſciunt eſſe humana,& credunt diuina? vident eſſe conficta mendacia & credent vera eſſe Dei eloquia? Quis hæc dicere auderet ſi dicendo intelligeret? Hoc ergo gratis omnino aſſeritur & ridendus eſt quicumque aſſerit, tanquam diffugia quærens, vt veritatis robori non ſubiaceat.

Non ſeparatim hic Iudæi aut ibi Chriſtiani.

Nec poteſt dici, Chriſtianos ſimul & Iudæos corrupiſſe: id enim duplici modo fingi poteſt, vel ita vt ſeparatim, Chriſtiani ex vna parte, & Iudæi ex altera. Hoc autem non ita factum eſſe, patet ex ipſiſmet Scripturis, quæ reperiuntur apud Iudæos & apud Chriſtianos, dum conformãtur, nec differunt: Si autem Iudæi corrupiſſent, aliter legerent Chriſtiani; & ſi vitiaſſent Chriſtiani, aliter legerent Iudæi: at conueniunt ſimul, & eodem modo legunt codices, tàm qui ſunt apud Iudęos, quàm qui extant apud Chriſtianos (ad difficultates enim, quas obijcis, poſtea reſpondebimus; & patebit, non eſſe inter codices Iudęorum & Chriſtianorum, diſſenſionem: & alicuius ſingularis loci difformitas non facit ad vniuerſalem, quam obijcis, adulterationem) ergo neutri corruperunt, nec enim potuerunt in corruptione conuenire: ergo conueniunt ratione ſinceritatis & integritatis.

Non de communi conſenſu, ſimul.

Alio modo poſſet præſumi facta talis adulteratio, à Iudeis & Chriſtianis ſimul, de communi conſenſu. Ecquis hoc audebit aſſerere? Præſertim cùm tanta ſit inter eos de Scripturis concertatio? Chriſtiani enim Iudęos Scripturis exagitant, vt Chriſtum Meſſiam illis agnoſcendum proponant, quod non poſſent Chriſtiani, ſi pariter Scripturas vitiaſſent, & vim non haberent contra Iudęos: poſſent enim reſpondere Iudęi, Scripturas illas non eſſe alicuius momenti, & non facere probationem, quia à nobis vitiatæ ſunt, ſunt noſtra adinuenta, ſunt noſtra figmenta: Nec poſſent eos redarguere, cùm eſſent conſcij de adultera-

ratione, vt ſupponimus. Non reſpondent, nec aliquando reſponderũt hoc modo Iudæi, quia ſciunt inter ſe & nos conuentionem de Scripturarum adulteratione nunquam interceſſiſſe.

Præterea, hoc eſt contra Alchoranum, qui Iudæos & Chriſtianos, non modò negat, eſſe vel fuiſſe Scripturarum adulteratores; immo, quod maius eſt, teſtimonium de ipſis reddit, eſſe veridicos & fideles diuinorum librorum interpretes, vt ſupra probatum eſt ex cap. *de Iona* illis Alchorani verbis: *Si occurrit tibi dubitatio aliqua de eo quod miſimus ad te, conſule eos qui legerunt Scripturam ante te*. Vbi Gloſſę dicunt, eos eſſe Iudæos & Chriſtianos, quod etiam fatetur Alchoranus ipſe cap. 1. cui titulus eſt *De vacca*, vbi loquens de Iudæis pariter & Chriſtianis, hæc annectit وهم يتلون الكتاب ideſt: *Et ipſi meditantur ſacram Scripturam*, & hoc eſt orbi notiſſimum: vult ergo Deus (prout Alchoranus dicit) conſulendos eſſe Chriſtianos & Iudæos de Scripturarum veritate: Ergo ipſi Scripturarum non ſunt adulteratores. Quomodo enim Deus falſarios, & ipſarum Scripturarum vitiatores, præciperet eſſe de Scripturis conſulendos? Quomodo corruptores ſacrorum librorum vellet eſſe Mahometi præceptores? Quomodo ad adulteratores remitteret Mahometum, vt eum in titubatione & dubitatione erudirent & ſtabilirent? nonne illum potius de titubatione in falſitatis foueam deieciſſent? Non ergo Scripturarum adulteratores dici poſſunt Chriſtiani; ſed (etiam iuxta Alchoranum ipſum) fideles interpretes & veri teſtes: aliàs enim (ſecundùm Alchoranum) Deus non præceptores, ſed peruerſores; non doctores, ſed deceptores Mahometo præfeciſſet.

Nec potuerũt ab infidelibus vitiari.

Vel fuerunt Pagani Ethnici, vel alij Chriſtianorum inimici, vitiatores Scripturarum. Neque hoc aſſeri poteſt, quia licèt fuiſſet in huiuſmodi inimicis Iudæorum & Chriſtianorum corrumpendi Scripturas ipſaſque adulterandi voluntas, non fuit tamen data poteſtas: Scripturarum enim codices, non ipſi, ſed Chriſtiani & Iudæi poſſidebant: ſi qui autem in eorum manus aliquando deuenerunt, admodum pauci fuerunt; quibus corruptis, integri permanſiſſent cęteri, ex quibus illorum vitium deprehendi potuiſſet.

Non

Non fuerunt Iudæi neque Chriſtiani; non Ethnici vel Pagani, Scripturarum vitiatores. Ergo nulla relinquitur cauſa efficiens præſumptę adulterationis. Non poteſt ergo conſtare de perſona.

SECTIO II.

Quòd nullo fine moueri potuerint Chriſtiani ad Scripturarum adulterationem.

Sacra Scriptura non potuerunt vitiari ad Mahometto derogandum.

QVòd autem nec finis aliquis in mentem obuenire potuerit Chriſtianorum, ad hoc, vt Sacra volumina adulterarent, patet inductione. Cur enim adulterauimus?

Fortè adulterauimus Scripturas, ad hoc vt Mahometo fidem abrogaremus? At vos ipſi confitemini, omnia deleta eſſe ex Euangelio, & mutata omnia, eo tantùm loco relicto, in quo fit mentio de Paraclito venturo: vndè & fundamentum deſumunt Mahometani, Mahomet eſſe hunc Paraclitum, ibi à Chriſto promiſſum. Si autem ea mente corrupiſſent Chriſtiani Euangelia, vt Mahometum deſtruerent, hunc locum præcipuè deleuiſſent; & non (ſicut ipſi dicunt) illud de Paraclito reliquiſſent, deletis & mutatis cæteris. Inſuper ea mente vitiari non potuiſſent, niſi poſt agnitum Mahomet, non antea: ſed omnes Scripturæ Chriſtianorum eædem ſunt, & eadem loquuntur quæ priùs & ante Mahomet, & quæ poſtea: ergo ea mente, aſſeri non poteſt, fuiſſe mutata.

Vel corruperunt Chriſtiani, ad hoc vt Ieſum Chriſtum Deum eſſe aſtruerent. Neque hac mente poteſt dici eos corrupiſſe; quia ſi talis mens fuiſſet: cum iam vniuerſo orbi perſpicua eſſent Chriſti miracula, vitæ ſanctitas, &c. ea tantùm enarrare, vel plura addere in Euangelio debuiſſent; ſilere tamen tentationes, famem, ſitim, perſecutiones, labores, paupertatem, lacrymas, opprobria, flagella, vulnera, mortem: quæ omnia maximam faciunt difficultatem in fide eius Diuinitatis: at non

ſunt hæc deleta: ergo nihil deletum eſt. Et è contrà, nihil quod eius dignitatem prædicat eſt additum, cùm omnia referat etiam Alchoranus, tàm miracula, quàm ſanctas operationes, & dignos titulos, etiam illum dicens Verbum Dei, & Spiritum ex Deo, vt patet cap. *De Mulieribus*, quod eſt in ordine tertium, non longè à fine. Huiuſmodi verba, quæ tantam Chriſti dignitatem prædicant, non ſunt ſuppoſititia & à Chriſtianis ficta, cùm & cæteri omnes (Mahometani præſertim) talem Chriſto dignitatem tribuant. Ergo hac mente, vt Chriſti dignitas & Diuinitas aſſeratur, non fuerunt corrupta Euangelia.

Non ad legẽ ſibi commodã à Chriſtianis ſtatuendam.

Vel certè vitiauimus Euangelia cum cæteris Scripturis, vt legem nobis accommodam effingeremus? Nec tali mente vitiata dici poſſunt: ſic enim legem, ſenſui noſtro & naturæ facilem, ſuauem, dulcem, leuemque, effingere debuiſſemus: & è contra omnia difficilia delere; & inſerere pro arduis facilia, pro aſperis dulcia, pro grauibus leuia: at hoc ita non ſe habet; ſunt enim in Euangelio præcepta, recta quidem & rationi conſona, at ardua & difficilia, vt eſt præceptum de dilectione inimicocorum Matt. 5. 44. ſect. 9. Luc. 6. ſeu ſect. 20. Ego *dico vobis diligite inimicos veſtros*. De diuitiarum contemptu Matt. 19. 24. ſect. 61. Marc. 10. à num. 23. ſeu ſect. 32. Lucæ 18. à num. 24. ſeu. ſect. 65. *Impoſſibile eſt, diuitem intrare in regnum Cælorum*. De ſubſtinenda patienter iniuria Matt. cap. 5. num. 39. ſeu. ſect. 9. Luc. 6. 29. ſeu ſect. 20. *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe ei & alteram*. De cruce tollenda: Matt. 16. à num. 24. ſeu ſect. 52. Luc. cap. 9. à num. 23. ſeu. ſect. 34. *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam &c.* Hęc & ſimilia, ardua & difficilia, oſtendunt, ſacra eloquia, hac mente, non fuiſſe vitiata.

Non ad eius propagationẽ faciliorẽ reddendam.

Vel corruperunt Chriſtiani Euangelia &c. Vt faciliùs ab omnibus per totum orbem ſuſciperentur? Neque hac mente factum eſt; quia ſic, omnia creditu facilia, veriſimilia, & humanis proxima, ſubſtituiſſent: creditu autem difficilia, & ab humanis remota, deleuiſſent: homines enim, humanis aſſueti, facilè credunt cùm proponuntur humana, cùm veró non conſueta, nondum audita, audiunt, aut cùm pluſquam humana proponuntur, difficilè credunt. At videmus, & legimus in Euãgelio plura, longè ab humanis remota, ea quæ naturã ſuperant, & quibus nõ ſunt aſſuetæ humanæ aures: vt eſt Deus Vnus & Trinus, Trinus in perſonis, Vnus in natura: Chriſtus Deus

&

& homo, vnus in perſona, at duplici in natura ſubſiſtens, humana ſcilicet, & diuina: Maria Mater ſimul & Virgo. Quæ omnia difficultatem magis faciunt, quàm facilitatem credulitatis. Ergo, ea mente, vt facilè ſuſciperentur ab omnibus, vitiata non ſunt.

Qua ergo alia ratione corrumpi potuerunt Euangelia, & cætera ſacra eloquia? Qua alia mente? Non quòd vellent ab omnibus faciliùs ſuſcipienda. Non quòd vellent ſibi legem ſuauem proponere. Non quòd vellent Chriſto diuinitatem arrogare. Non quòd vellent Mahometo fidem abrogare.

Non vitio aut paſsione aliqua.

Mihi certè non alius finis videtur potuiſſe mentem Chriſtianorum inducere ad mutanda & vitianda Euangelia. Niſi fortè dicamus, peruerſitate, malitia, odio, & inuidia, illa voluiſſe peruetere. At hoc de Chriſtianis dici non poteſt; ſemper enim ea veneratione ſacra Euangelia ſunt venerati, qnam Dei Scripturas decet. Et ſi fortè aliquis, ira vel ſimili paſſione percitus, auſus eſt corrumpere, certè non fuerunt omnes: Vnde ſolus aliquis ſingularis codex vitiatus fuiſſet: & hoc nihil faceret ad vniuerſalem illam corruptionem, de qua Mahometani conqueruntur.

Potius dici poſſet, liuore & inuidia, ab inimicis Euangelicæ legis fuiſſe corrupta: At non potuerunt, vt ſupra dictum eſt, dum perſonam Scripturarum adulteratricem perquireremus: Chriſtiani enim potius Chriſti inimicis tradebant ſua corpora crucianda, quàm ſacra volumina corrumpenda, vt ex antiquis hiſtoriarum voluminibus, & veteribus Sanctorum Martyrum monumentis, clariſſimè conſtat.

SECTIO III.

Non poſſe aſſignari tempus, quo ſacra volumina fuerint vitiata.

Non fuerunt vitiata ſacra volumina ante Chriſti aduentum.

NEc poteſt aſsignari tẽpus aliquod pręſũptę huius adulterationis, præſertim quod pertinet ad Euangelium & Teſtamentum nouum: nam quoad vetus Teſtamentum, ante Chriſti aduentum, non eſt quæſtio inter nos; quòd fuerit à Iudæis corruptum aut aliquo modo adulteratum, cùm ante Chriſti aduentum deuotiſsimi eſſent Scripturarum cultores, vt refert Euſebius lib. 8. cap. 2 *Præparat. Euangel.* & Philo in lib: *De egreſſu filiorum Iſrael de Aegypto*, teſtatur, vſque ad ſua tempora, per ſpatium ampliùs quàm duorum millium annorum, ne verbum quidem fuiſſe vnquam in lege Hebræorum immutatum, & quẽlibet Iudæum potiùs moriturum, quàm legem in aliquo mutari paſſurum. Et vſque ad hæc tempora, prout refert Io. Iſaac in reſponſione ad libros Lindani *De optimo genere interpretandi Scripturas*; Iudæi legem tanquam numen adorant: ita vt, ſi aliquando in terram ceciderit, publicum ieiunium indicant: Et Chriſtus reprehendiſſet aliquando Iudæos de Scripturarum adulteratione, ſicut de cæteris eorum culpis, quod nunquam legimus feciſſe, ſed potius è contra, eos quoad hoc commendaſſe, dicentem Matthęi. 23. *Super cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ & Phariſæi: quæcunque ergo dixerint vobis ſeruate & facite.* Et Ioan. 5. ſignificans, Scripturas non fuiſſe adulteratas, dixit: *Scrutamini Scripturas.* Sic argumentatur Origenes octauo libro in Iſaiam, eumque refert Hieronymus in cap. 6. eiuſdem Iſaiæ, qui eodem modo ratiocinatur, ad probandum, Scripturas non fuiſſe à Iudæis adulteratas. Auguſtinus etiam lib. 15. *de Ciuitate Dei* cap. 13. ſub initium, ad tollendam eiuſmodi ſuſpitionem de Iudæorum peruerſitate in deprauandis Scripturis, ſic inquit. *Si quæram, quid ſit credibilius, Iudæorum gentem, tàm longè latèque diffuſam, in hoc conſcribendum mendacium vno conſilio conſpirare potuiſſe, & dum alijs inuideant auctoritatem, ſibi abſtuliſſe veritatem: an ſeptuaginta homines,*

mines, qui etiam ipſi Iudæi erant, in vno loco poſitos: quoniam Rex Aegypti Ptolomæus eos ad hoc opus aſciuerat: ipſam veritatem gentibus alienigenis inuidiſſè, & communicato iſtud tunc feciſſe conſilio: quis non videat quid procliuiùs faciliùſque credatur? ſed abſit, vt prudens quiſpiam, vel Iudæos, cuiuſlibet peruerſitatis atque malitiæ, tantum potuiſſe credat, in codicibus tàm multis, & tàm longè latèque diſperſis; vel ſeptuaginta illos memorabiles viros hoc, de inuidenda gentibus veritate, vnum communicaſſe conſilium. Hæc Auguſtinus, agens de illo loco Geneſis, quem obijcis in tuo libro ex verſione Septuaginta interpretum, quoad computationem annorum, quæ non eodem modo recenſetur in textu Hebræo, cauſam autem ibidem reddit idem Auguſtinus, immediatè poſt prææallegata, ſic. *Credibilius ergo quis dixerit, cum primùm de bibliotheca Ptolomæi deſcribi iſta cæperunt, tunc aliquid tale fieri potuiſſe, in codice vno ſcilicet primitus inde deſcripto, vnde iam latiùs emanaret, vbi potuit quidem accidere etiam Scriptoris error.* ſic Auguſt. Verùm hoc pertinet ad aliam partem quæſtionis, An potuerit in aliqua ſingulari verſione aliquis ſingularis locus vitiari, quod inferiùs expendemus. Modò proſequendum eſt quod cæpimus, De vniuerſali, vel maxima ex parte, Scripturarum adulteratione, quam factam non eſſe, prææallegata demonſtrant, & alleganda inferiùs clariùs demonſtrabunt.

Non fuerunt vitiata poſt aduētū Chriſti.

Si non fuerunt corrupta ante Chriſti aduentum à Iudæis, nec dici poſſunt corrupta poſt aduentum Chriſti, non à Iudæis, nec à Chriſtianis. Non à Iudæis, quia ipſi illa potius deleuiſſent, quæ Chriſti diuinitatem aſtruunt, quæ deleta non ſunt, vt patet Pſalmo 2. plerîſque aliјs locis, in quibus Diuinitas Chriſti clariùs comprobatur ex textu Iudæorum Hebræo, quàm ex textu Chriſtianorum Latino, nam textus tàm Græc. quàm Latin. legunt Pſal. 2. *Apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus.* Quod non facit contra Iudæos: textus verò Hebræus legit נשקו בר פן יאנף idest: *Oſculamini Filium, ne ipſe iraſcatur.* Quod multum vexat Iudæos, & Dei Filium illis agnoſcendum proponit. Ergo non poteſt ſuſpitio obuenire, quòd hunc locum Iudæi vitiauerint. Iſaiæ. 53. locus conſimilis habetur, qui magis vexet Iudæos ex lectione textuum Hebræorum, quàm ex lectione aliorum, & noſtræ Vulgatæ editionis Latinæ, quæ legit. *Nos putauimus eum quaſi leproſū & percuſſum à Deo, & humiliatum.* in Hebræo verò legitur מכה אלהים ומענה

Et

Et ſignificare poteſt, *Percuſſum Deum & humiliatum*. Quod vt patet, magnum negotium faceſſit Hebræis, Chriſti Diuinitatem inficiantibus. Vnde ab eis, non poteſt ſuſpicari, facta talis adulteratio.

Patet etiam, Hebræos non feciſſe talem Scripturarum adulterationem, ex conſenſu quem ſeruant eorum codices hebræi cum codicibus Chriſtianorum; ergo nullo tempore poſſunt dici corruptæ à ſolis Iudæis.

Nō poſt Chriſti aſcenſionē.

Nec poſſunt dici corruptæ vllo tempore à Chriſtianis. Et primò, non ſtatim poſt Chriſti in cælum aſcenſionem: quia tunc ſacræ Scripturæ (Euangelia præſertim) penes Chriſti diſcipulos erant, qui cùm eſſent Sanctiſsimi & vita probatiſsimi, rem tam fœdam nunquam eſſent aggreſsi; Et alijs impijs, & peruerſis, vel etiam hæreticis, qui ex illo tempore Eccleſiam turbare cęperunt, vitiare nunquam permiſiſſent: & ſi illi vitiaſſent, error in hæreticorum codicibus ſuppoſitus ex integriate aliorum, qui penes Apoſtolos alioſque veros Chriſti diſcipulos extabant, illico deprehenſus fuiſſet & emendatus, vel certè notatus, vt conſimile vitium in emendatos codices inducere non potuiſſet,

Vitium in ſacris Scripturis diſcipulorum Chriſti ſanctitas nūquā toleraſſet.

Et quamuis tuus liber videatur, non facere Apoſtolos eiuſmodi ſuſpitione immunes, cùm in eo maledicta congerantur aduerſus illos, aſſerendo, fuiſſe Petrum & Paulum maledictos; tamen hoc ſuppoſititium puto, non tuo marte dictatum, ſed fortè ab alio aliquo, Iudæo potius quàm Mahometano, ſuppoſitum, dum Perſide Romam tam longa ſpatia traſiret: non enim me latet, te eſſe in Alchorano eruditiſsimum, qui Chriſti Apoſtolos, ſanctitate & vitæ integritate, immo miraculorum gloria clariſsimos fatetur, vocatque illos الحواريين ideſt: *Coadiutores Prophetarum*. Sic enim auctor libri Chamùs, inter Mahometanos celeberrimus, explicat in dictione حور vbi inter deriuata ponit الحواري & hæc ſunt eius verba الحواري الناصر او ناصر الانبياء, ideſt: *Hæc vox* الحواري *ſignificat idem quod* الناصر ideſt: *Adiutorem, adiuuantem auxi-*

auxilium præbentem, vel idem quod ناصر الانبياء ideſt: *Coadiutorem Prophetarum*. Et ex hac voce الحوارى quæ ſingularis eſt numeri, formatur plurale الحَوَارِيُّونَ in recto, & in obliquis الحَوَارِيِّينَ, quo nomine cenſentur Chriſti Apoſtoli, Petrus, Paulus, Ioannes, & cæteri: & in Alchorano ſic paſſim vocantur: Imò & vulgus etiam apud Arabes, & cæteros qui Arabica lingua loquutur, Apoſtolos eo nomine recenſent. Non ergo Apoſtoli fuerunt Scripturarum corruptores, ſed ſeruatores potiùs, & Prophetarum Coadiutores.

Simile teſtimonium de Chriſti Apoſtolis profert Alchoranus cap. 2. cui titulus *De familia Amrani*, tribus circiter paginis poſt initium, ſic dicens:

فَلَمَّا أَحَسَّ عِيسَى مِنْهُمُ الْكُفْرَ قَالَ مَنْ أَمَنَ أَنْصَارِى إِلَى اللهِ قَالَ الْحَوَارِيُّونَ نَحْنُ أَنْصَارُ اللهِ آمَنَّا بِاللهِ وَاشْهَدْ بِأَنَّا مُسْلِمُونَ رَبَّنَا آمَنَّا بِمَا أَنْزَلْتَ وَاتَّبَعْنَا الرَّسُولَ فَاكْتُبْنَا مَعَ الشَّاهِدِينَ وَمَكَرُوا وَمَكَرَ اللهُ وَاللهُ خَيْرُ الْمَاكِرِينَ ۞

ideſt: *Cùm autem perſenſiſſet Ieſus infidelitatem illorum* (ideſt, Iudæorum, quibus Dei verba loquebatur) *dixit: Quis, quis inquam mecum ſtabit pro Deo? Reſponderunt Apoſtoli* (vbi vtitur dicto nomine Elhauariuna) *Nos ſtabimus pro Deo; credidimus in Deum; eſto ergo tu teſtis, quòd nos fideles ſumus. Domine, noſter, credidimus in eum quem miſiſti, & ſecuti ſumus Apoſtolum miſſum à te: recenſe ergo nos inter Martyres. Et intellexerunt rei veritatem, & nouit illud Deus; nam Deus eſt optimus intelligentium, & rei veritatem aſſequentium.*

Similiter loquitur idem Alchoranus cap. الحديد *De ferro* quod eſt 57. verſus finem, his verbis:

ثم قفينا بعيسى بن مريم وآتيناه الانجيل وجعلنا في قلوب
الذين اتبعوه رافة ورحمة ورهبانية ۞

ideſt: *Deinde ſuppleuimus per Ieſum filium Mariæ, & dedimus ei Euangelium, & poſuimus in cordibus eorum qui illum ſecuti ſunt, pietatem & miſericordiam & religioſitatem.*

Quales ergo exiſtimandi ſunt illi, quib. Deus talia ſanctitatis dona diſtribuit? Corruptores fortaſſe? Adulteratores Scripturarum?

Miracula ab Apoſt. Chriſti perpetrata, ex Alchorano etiam.

Præterea cap. 18. lib. 3. cui titulus eſt سورة يس quod eſt cap. 36. Alchorani, cõputando etiam caput procemiale. Narrat miracula à Chriſti diſcipulis perpetrata, vbi Gloſſa inquit, fuiſſe Petrum & Ioannem; altera verò Gloſſa dicit, fuiſſe Petrum & Matthęum, ſed in tertio Gloſſæ conueniunt, quem dicunt fuiſſe Paulum. Miracula fuerunt: Cæci à natiuitate illuminatio, filiæ principis illius Ciuitatis quinto die poſt mortem ſuſcitatio: Inſuper, & leproſi mundatio, qui cùm, in gratiarum actionem, pecuniam illis obtuliſſet, Apoſtoli non receperunt, dicentes, ſe propter Dei amorem, non propter pecuniam, ei ſanitatem impetraſſe. Quare admiratus ille Apoſtolorum Chriſti integritatem, cępit eos his celebrare dictis, quæ in Alchorano prędicto cap. 18. lib. 3. ſeu 36. in ordine Alchor. ſic referuntur.

وجاء من اقصى المدينة رجل يسعى قال ياقوم اتبعوا المرسلين
اتبعوا من لا يسئلكم اجرا وهم مهتدون ۞

ideſt: *Venit de vico Ciuitatis quidam vir currens, & dicens: ò popule meus, ſequimini Apoſtolos, ſequimini eos, qui à vobis mercedem non exigunt, & ipi ſancti & recti ſunt.* Tales ergo viri non potuerunt eſſe Scripturarum adulteratores. Noui te probè callere, & legiſſe eiuſmodi verba in Alchorano eiuſque Gloſſis: præſertim Glos. Alzamaxari, & Buhatia, quinimmo & his maiora: idcirco, quæcumque in tuo libro in Chriſti

Chriſti Apoſtolos congeſta legi, ab alio ſuppoſita, non te authore diſpoſita, exiſtimaui: fuit aliquis fortè, non Mahometi ſectam profitens, ſed Iudaicam ſequens perfidiam: quia ſicut Chriſtum, ita etiam eius diſcipulos Iudæi execrantur.

Alioqui enim ſi Mahometanus audet aſſerere, Chriſti diſcipulos, Petrum Paulũ Ioannem Philippum &c. præcipuos Chriſtianorum, fuiſſe maledictos; in quibuſnam ſaluarent illa Alchorani verba cap. 1. cap. 4. & alibi, aſſerentia, Chriſtianos recta via incedere, & ſaluandos, vel certè recta via inceſſiſſe, & ſaluos fuiſſe; niſi Petrus, & Paulus, cæterique Chriſti diſcipuli, optimi Chriſtianorum, benedicti & ſalui fuiſſent? Si enim optimi maledicti ſunt, quinam ex ipſis benedicti & ſalui exiſtimari poſſunt? Ergo falſum eſſet id quod aſſerit Alchoranus, *Chriſtianos ſaluos eſſe*. Non ergò Mahometanum exiſtimo qui talia obloquitur.

Veri Chriſtiani ſalutem aſſecuti ſunt, præcipue Apoſtoli Chriſti.

Nec id quod ex Pauli Epiſtolis aſſumebas, ipſius integritati notam ſuſpitionis inurit, dum dicit ad Rom. 9. 3. *Optabam ego anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis*. Non enim propterea peccaſſe exiſtimandus eſt; imò ex his eius verbis, charitatis ardor, qui in Moyſi corde feruebat, par fuiſſe in Pauli pectore comprobatur: nã verba illa à Moyſi verbis haud diſsimilia ſunt, cùm pro populo Deum precaretur dicens exod. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Quod ſi propter hæc verba nõ redarguitis Moyſen, de cuius ſanctitate nulli dubium eſt, non erit propter ſimilia Paulus redarguendus; ſed, ſicut propter tantæ charitatis affectũ Moyſi virtus in ſacris paginis proponitur imitãda, ſic & Pauli charitas, Moyſi charitatem repręſentãs, admiranda erit potiùs quàm redarguenda. Ergo Euangeliorum corruptores eſſe non potuerunt Chriſti diſcipuli. Ergo non fuerunt ſtatim poſt Chriſti aſcenſionem corrupta.

Nec corrupta dici poſſunt poſt diſcipulorum Chriſti mortem: ex eo enim tempore, imò viuentibus etiam Apoſtolis, cæperunt hæreſes contra Eccleſiam pugnare, non alijs armis, quam ijſdemmet Scripturis, non corrũpendo lectionem, ſed peruertendo ſenſum. Fuerunt autem hæretici, Nicolaitæ, Cherinthus, Ebion, & quidam alij. Dum ergo Scripturis inter ſe pugnarent, hinc Catholici, inde Hæretici: Si quid aliter mutatum in noſtris, quod non haberetur in ſuis, perſpexiſſent, Hæretici ſtatim reprehendiſſent.

Sacra volumina non fuerunt vitiata poſt Apoſtolorum Chriſti dormitionem.

F 2 Nec

Non fuerunt vitiata vllo tempore ante Mahomet.

Nec poſſunt à Mahometanis dici, corrupta ſacra eloquia vllo tempore vſque ad Mahomet, quia Mahomet bonum reddit de Scripturis teſtimonium, tàm de Torà, quàm de Euangelio, Pſalmis, cæteriſque diuinis libris. Quæ ſi tempore Mahomet, aliqua ex parte, adulterata fuiſſent (poſito quòd Mahomet fuiſſet propheta) certè illi Deus potiùs dixiſſet, vt animaduerteret de Scripturarum veritate & ſinceritate; quia Iudæi & Chriſtiani, in his quæ pertinent ad Scripturas, non ſinceriter procederent. At ſuprà viſum eſt totum oppoſitum; Alchoranus enim non ſolùm fatetur, Iudæos & Chriſtianos fideles eſſe Scripturarum interpretes, verùm etiam & ſaluandos: & ipſas Scripturas, tanquam vera Dei eloquia continentes, iubet, in medium afferendas ad rei veritatem ex ipſis dignoſcendam, vt سورة آل عمران *De familia Amran* pag. 61. ſic dicens.

قُلْ فَاتُوا بِالتَّوْرِيةِ فَاتْلُوهَا اِنْ كُنْتُمْ صَادِقِينَ ۞

ideſt: *Afferte Sacra Biblia, ſeu Moyſi legem, ſeu vetus Teſtamentum, & perlegite illud, ſi verum profitemini.* Inſuper & ipſemet, tanquam ex ſinceris Dei Scripturis, plura teſtimonia, vt ſuprà notauimus, ex ipſis allegat. Quòd ſi adulteratæ tunc temporis Scripturæ fuiſſent, illas in medium afferri minimè præcepiſſet, nec ex Scripturis adulteratis ſententias deprompſiſſet.

Præterea, dum dicit Alchoranus, Chriſtianos rectà uia incedere, & ſalutem æternam adepturos, tàm cap. 1. quàm cap. 4. & alibi, reddit pariter teſtimonium de Scripturarum integritate, duplici ratione. Vna eſt: Quia ſi Chriſtiani ſalutem conſequuntur, Scripturarum non ſunt adulteratores; nam eiuſmodi falſarij potiùs damnationem incurrunt, quàm ſalutem conſequantur. Altera eſt: Quia ſi Scripturæ, quas tanquam diuinas colunt Chriſtiani, eos ad ſalutem perducunt, veram doctrinam continent, verè ſunt Dei eloquia; aliàs enim adulterata, & falſam doctrinam continentia, illos potiùs in damnationem pertraherent, quàm per viam ſalutis perducerent. Inſuper Chriſtiani, ſi eſſent Scripturarum falſarij, eſſent potiùs infideles quàm fideles; imò tanta infidelitatis obſtinatione obdurati, vt nihil obſtinatius excogitari poſſet, cùm etiam

impias

impias manus in ſacra Dei eloquia inijcere non reformidaſſent. At infideles, vt ſępe repetit Alchoranus, cap. 1. circa medium, ca. 3. circa finem, & paſſim per omnia ferè capita, in damnationem merguntur, non verò ſalutem conſequuntur: ergo Chriſtiani, dum ſaluantur, veritatem profitentur, & ſunt fideles, non verò, tanquam infideles, mendacia ſectantur: palàm enim eſt, etiam in ipſo Alchorano, infideles ſectari mendacia, ſicut è contra fideles; vnde c. *de Mahomet* س محمد ſub initium, ſic inquit.

إِنَّ ٱلَّذِينَ كَفَرُوا ٱتَّبَعُوا ٱلْبَاطِلَ وَإِنَّ ٱلَّذِينَ آمَنُوا ٱتَّبَعُوا ٱلْحَقَّ مِن رَّبِّهِمْ ۞

ideſt: *Enimuerò, qui infideles ſunt ſectantur mendacia, qui autem ſunt fideles ſequuntur veritatem Domini ſui.* Vt ergo verba Alchorani vera eſſe in hoc comprobentur, Chriſtiani ſunt fideles, vera credentes, ſaluandi; non verò infideles, credentes falſa, damnandi. At Chriſtiani omnes Dei Scripturas, ſupra numeratas (tàm quæ pertinent ad Vetus, quàm quæ ad Nouum Teſtamentum) venerantur, tanquam diuinas, & tanquam vera Dei eloquia continentes; Non autem paruipendunt, tanquam vitiatas & adulteratas, vel tanquam adinuctas fabulas enarrantes: ergo verè Dei Scripturæ ſunt, & verè ſinceræ ſunt, &, ſaltem vſque ad Mahometi tempora, nunquam adulteratæ.

Immò etiam hoc idem Alchoranus ipſe palàm fatetur, initio 1. capitis, ſcilicet البقرة *De vacca*, & س يونس cap. *De Iona*, circa medium. Dicit enim de Scriptura, quæ antea extabat ذَلِكَ ٱلْكِتَابُ لَا رَيْبَ فِيهِ ideſt: *Illa Scriptura, non eſt aliqua ſuſpitio in ea.* Scilicet Scriptura ſacra Chriſtianorum, prout explicant Alchorani gloſſę ibi, & in caput *De Iona*. Nec enim poteſt intelligi, illud dictum de ipſo Alchorano, quia pronomen demõſtratiuum ذَلِكَ, vt notum eſt Arabica lingua eruditis, oſtendit longè diſſitum, & remotum ab oſtendente: Si

Si autem Alchorani author ſignificare intẽdiſſet de ipſo Alchorano, appoſuiſſet pronomen demonſtratiuum præſentis ذَاكَ *iſtud*, ſeu *iſte*, vel هٰذَا *hic*, nam & alibi, quotieſcumque loquitur de ipſo Alchorano Alchoranus, aliud pronomen illi non præponit, niſi demonſtratiuum هدا *hic*, *iſte*, vt cap. الاحقاف *De tumulis arenæ*

وَمِنْ قَبْلِهِ كِتَابُ مُوسَى إِمَامًا وَرَحْمَةً وَهٰذَا كِتَابٌ مُصَدِّقٌ
لِسَانًا عَرَبِيًّا ۞

ideſt: *Et ante eũ Scriptura Moyſi in propoſitionem, ſeu ducem, & miſericordiam, & hæc ſcriptura certa eſt lingua Arabica*. Et allegato cap. *De Iona*, circa medium

وَمَا كَانَ هٰذَا الْقُرَانُ أَنْ يُفْتَرَى مِنْ دُونِ اللهِ وَلٰكِنْ تَصْدِيقُ
الَّذِي بَيْنَ يَدَيْهِ وَتَفْصِيلُ الْكِتَابِ لَا رَيْبَ فِيهِ مِنْ رَبِّ
الْعَالَمِينَ ۞

ideſt: *Et non eſt hic Alchoranus talis, vt excogitatus fuerit abſque Deo, ſed certificatio eſt illi præ cuius manibus fuerit; & eſt explicatio libri ſeu Scripturæ illius, de qua dubium ſeu ſuſpitio non eſt, quin ſit à Domino ſæculorum*. Quibus patet, quòd dũ ſermo eſt de Alchorano, & aliquod demonſtratiuum eſt illi præponendum, preponitur illi ſemper demonſtratiuum præſentis, ſeu proximi هذا *hic*, & non demonſtratiuum remoti ذلك *illud*. Ergo, dum initio primi capitis Alchorani dicitur ذلك الكتاب لا ريب فيه *illa Scriptura non eſt ſuſpitio in ea*, Non debet intelligi de Alchorano ipſo, qui loquitur, ſeu eſt liber præſens, in quo talia verba ſcribũtur: Nec poteſt benè intelligi, niſi de ſacra Scriptura Chriſtianorum, vt ex contextu patet. ergo Scriptura Chriſtianorum, tempore Mahomet, omni

vaca-

vacabat ſuſpitione. Confirmatur ex loco præallegato ex cap. *De Iona*: vbi apertè contradiſtinguitur Alchoranus ab ea Scriptura, de qua dicitur, omni eã ſuſpitione carere,&, ſine vlla dubitatione, Dei verba ſonare: Quæ, vt patet, alia eſſe non poteſt niſi Chriſtianorum & Iudæorũ ſacra Scriptura. Ergo, tempore Mahomet, quando ipſe fuit cõpoſitus Alchoranus, ſacræ Scripturæ omni ſuſpitionis nota carebant, & ipſomet Alchorano fatente, ſinceriter ſacra Dei verba ſonabant. Quare tunc vitiatæ non fuerant.

Nec vnquam fuerũt vitiata Sacra volumina vſque ad præſens.

Nec poſſunt dici adulterata poſt Mahomet, vſque ad hæc tempora: quia non ſunt diſſimilia ſacra eloquia quæ modo veneramur, ab illis quæ ante Mahomet, vel eius tempore, Chriſtiani & Iudæi venerabantur. Hoc autem probatur inductione, & obſeruatione omnium locorum ſingillatim, tàm ex Torà, quàm ex Euagelijs cæteriſque Scripturarum libris; qui recenſentur in codicibus Sanctorum Patrum, qui fuerunt ante Mahomet, & eodem modo leguntur in noſtris libris, ſicut allegantur à ſanctis Patribus & Doctoribus in ſuis.

Omnes ſancti Patres & Eccleſiæ Doctores, quorum authoritatem ad hanc aſtruendã veritatem afferemus, fuerunt ante tempora Mahomet: ipſe enim anteà natus non eſt, quàm ſexcenteſimus poſt Chriſtum annus ageretur. Doctores autem plurimi fuerunt ante ſexcenteſimum.

Et quidem tempore Apoſtolorum & Euangeliſtarum, vſque ad annum Domini 96. viguerunt Clemens, Linus, Hierothęus, Dionyſius Areopagita, Ignatius, Hermes, Polycarpus. Circa centeſimum Iuſtinus Martyr, Irenæus, & Victor Papa.

Circa ducenteſimum, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Caius, Ammonius, Gregorius Neocæſarenſis, Tryphon, Hippolytus, Iulius Aphricanus, Cyprianus, Cornelius, Lucius, Stephanus, Dionyſius Papa, Dionyſius Alexandrinus, Methodius, Melchior Presbyter, Dorothæus Presbyter, Pamphilus, & Arnobius.

Circa trecenteſimum viguerunt, Athanaſius, Lactantius Emiſſenus, Iuuencus Poeta, Ioannes Climacus, Epiphanius Damaſus, Gregorius Nazianzenus, Nyſſenus, Baſilius, Euſebius Cæſarienſis, & Hieronymus, qui fuit in Scripturis erudiſſimus,& triũ linguarũ, Hebręę, Gręcæ,& Latinæ peritiſsimus. Item tunc vigebat Cyrillus Hieroſolymitanus, Hilarius, Theophilus Alexandrinus, Didymus etiam Alexandrinus, Palladius,

Ruffi-

Ruffinus, Ambroſius, Ephrem, Eutropius, & Prudentius.

Deide circa 400 & quingenteſimum, fuerunt Auguſtinus Chryſoſtomus, Innocentius, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Poſidius, Eſichius, Leo Magnus, Gelaſius, Eucherius, Proſper, Sedulius, Hilarius Arelat. Paulinus, Sulpitius Seuerus, Caſsianus, Petrus Chryſologus, & Maximus Taurinenſis.

Et tandem ante Mahomet, circa ſexcenteſimum, vel certè antequā ipſe ſe Prophetā diceret, & Alchoranum componeret, fuerunt Symmachus Pontifex, Fulgentius, Boetius, Euodius, Caſsiodorus, Fortunatus, Gregorius Turonenſis, & Gregorius Magnus. Ita referunt omnes Chronologi, Genebrardus præſertim. Prædicti omnes, imò & plures, pleraque tractarunt de ſacris Scripturis, pluresque ſententias, ex illis deſumptas, ſparſim in ſuis inſeruerunt; quæ, ſi per ſingula legantur, conuenire ea, patebit, cum illis ſacris codicibus, quos modo veneramur. Illi quidem deſumpſerunt ex ſacris libris, prout erant ante Mahomet, & conueniunt cum his quos habemus poſt Mahomet: ergo ijdem ſunt iſti cum illis, & ſi illi ſinceri erant, iſti etiam ſinceri habendi ſunt, cùm ab illis non differant.

Et in vniuerſum, de quocumque tempore, non fuiſſe corrupta ſacra eloquia: patet de Torà, & de ſacris libris qui ad Vetus Teſtamentum pertinent; quia cùm eſſent omni tempore apud Iudæos & Chriſtianos, & omni tempore Iudæi & Chriſtiani hoſtes fuerint, & ratione Scripturarum præſertim inter eos odia exercerentur; non potuerunt aliquando, pari conſenſu, in eis conuenire corrumpendis aut aliquo modo adulterandis. Si ergo aliquando corrupiſſent, ſeparatim corrupiſſent: vndè diuerſitas neceſſariò conſecuta eſſet, quæ non apparet in ſcripturis: in vniuerſum enim ita legunt Iudæi, ſicut Chriſtiani.

Hæc eadem ratio conuincit de Euangelijs, cæteriſque ſcripturis quæ pertinent ad Teſtamentum Nouum, ſi applicetur reſpectu hæreticorum & Chriſtianorum. Quia paribus inimicitiarum diſſenſionibus, ab initio vſque nunc, pugnant, ſicut Iudæi & Chriſtiani, ratione Scripturarum, ergo &c.

Nec à priſtina integritate exciderũt, vel prælatorũ incuria, vel temporum iniuria.

Non ergo aliquando vitiata ſunt ſacra Volumina, praua aliqua hominis voluntate. Fortè dicat quis à ſinceritate excidiſſe, temporis antiquitate? At hoc magis dici poſſet de Platonis, Hippocratis, & antiquiorum libris, qui primi in Orbe fue-

fuerunt, quos tamen antiquitas non deleuit? Quomodo ergo deleuit ſacra volumina? Si temporis iniuria non præualuit humanis, quomodo offecit diuinis? Si nondum æruginauit æs, quomodo æruginauit argentum? Si non adhuc conſumptum eſt rubigine ferrum, quomodo ærugine deletum eſt aurum?

Aſsidua Eccleſia vigilátia in pertinentibus ad fidem.

Teſtis eſt aſſidua & indeficiens Eccleſiæ vigilantia, & ſolicitudo, non ſolùm in ſinceritate Scripturarum, verùm etiam & in earum ſenſus veritate ſeruanda, & tuendâ: cùm enim aliquis imperitus, vel peruicax homo hæretica auderet temeritate, in aliquo vel leui quidem ſenſu, vel littera, quæ alienum à Catholico ſenſum redderet, vel certè ſuſpitionem aliquam faceret; ſeu quis addere vel mutare aliquo modo præſumeret; illicò ſeniores Patres, eruditoſque viros, ad Concilium conuocabat; vt omnis Eccleſia in eo ſenſu, quem à Chriſto per Apoſtolos acceperat, ſeruaretur. Idque non clàm faciebat, ſed ipſoſmet Nouatores, hæreſumque adinuentores, ad Concilium citabat, vt adeſſent, & de quæſtione propoſita reſponderent; ad hoc vt per eruditos viros, ſenioreſque Patres, corrigerentur in malis, audirentur in bonis.

Primum Eccleſiæ Sanctæ Concilium.

Sic ipſimet Chriſti Apoſtoli, Spiritu ſancto edocti, non multò poſt Chriſti in cælum aſcenſionem, dum quidam quęſtionem de Circumciſione mouiſſent, omnes vnà Hieroſolymæ conuenerunt, & ſimul de mota quæſtione decreuerunt, prout cap. 15. lib. *Actuum Apoſtolorum* legitur: vbi decretum eſt per Spiritum ſanctum à Chriſti Apoſtolis, non debere Chriſtianos Circumciſionem accipere. De quo infrà, ſuo loco agemus, cùm ad obiectiones reſponſionem dabimus.

Sacrum Cõcilium Nicænum anno Domini 325. Oecumenicũ, ſeu vniuerſale primum.

Deinde, circa annum Chriſti 300. quidam, nomine Arrius, auſus eſt, Chriſti Diuinitatem inficiari, vnde ſtatim Eccleſia Silueſtro Summo Pontifice, Concilium Patrum habuit in Vrbe Nicæa, cui adfuerunt 318. Epiſcopi, & ab omnibus ſimul congregatis, Arrij hæreſis damnata eſt: ipſeque reſipiſcere nolens, ictus anathemate, quo inſolentior factus & obſtinatior, & tantam hæreſis peſtem diſſeminare nunquam deſiſtens, ira Dei vlciſcente, in latrinis, pro fæcibus, animam cum inteſtinis profudit, condigna ſibi morte perfunctus.

Adfuit etiam Concilio Conſtantinus Magnus, Imperator: cæptum eſt enim anno eius Imperij, circiter 20. & à Chriſto nato 325. clauſum verò quinto poſt anno.

Tunc autem non aliquid innouatum eſt; ſed,ne innouaretur, prouiſum fuit: & quod ab Apoſtolis Chriſtique Diſcipulis Catholica acceperat Eccleſia, & in ea, ſuccedentibus ſæculis, vſque ad illud tempus, integra fide ſeruatum fuerat, fuit tunc, tot tantorumque Patrum, in vnum collectorũ, publiciſſima confeſſione conclamatum: vt omnes Chriſtiani contra impias Arrij blaſphemias cauti redderentur. Et,ne rudiores & hæbetiores ingenio ab ipſo deciperentur, omnia eiuſdem Chriſtianæ fidei myſteria, Deo reuelante propoſita, vt faciliùs memoria tenerẽtur, breuibus in vnam ſummam fuerunt collecta, & in articulos diſtincta; eorumque collectio Nicæni Concilij Symbolum dicta eſt.

Tunc etiam Conſtantinus, vt vera Catholicaque fides integra ſeruaretur, in eius fauorem quædam decreta ſanciuit: Decreta quidem Imperialia, non Eccleſiaſtica; Ciuilia, non Pontificia: Humana, non Diuina. Nec enim vel Conſtantinus, aut alius Imperator, Chriſtianæ legis fuit auctor; ſicut falsò calumniantur qui hiſtorias neſciunt: verùm potiùs ipſe Conſtantinus, cùm Idolorum eſſet cultor, à Sylueſtro Pontifice miraculis & prædicatione conuictus, Chriſti legem ſuſcepit, Chriſtique iugo Imperiale collum vltrò ſubmiſit. Siquas autem leges Conſtantinus, aut alius Imperator, Chriſtianis ſeruandas ſanciuit; non eas propoſuit, quæ Eccleſiaſticæ dicantur, vel diuinæ habeantur, illiſque Chriſtiana religio nitatur: hæc enim Dei ſolius teſtimonio nititur, prout inquit Apoſtolus ad Galathas ſcribens, in principio: *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem; ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum Patrem*. Et paulò poſt. *Notum vobis facio, fratres, Euangelium quod euangelizatum eſt à me, quia non eſt ſecundùm hominem; neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici; ſed per reuelationem Ieſu Chriſti*. Ecce quomodo Paulus, longè ante Conſtantini natiuitatem, Chriſti legem prædicabat: non ergo à Conſtantino præcepta aut promulgata fuit. Conſtantinus ergo, trecentis circiter poſt Apoſtolum annis, leges tantùm Ciuiles tanquam Imperator condidit, non Diuinas, quod nefas fuiſſet, vſurpauit. Hæc dixi, vt ſuſpitionem illam de tua mente delerem, qua in tuo libro ſuſpicari videris, Chriſti legem à Conſtantino conditam, & promulgatam: ſuſpitionem dixi, non opinionem; quia ex tuo etiam libro noui, in alijs paginis te rectè aſſerere, Chriſtianam noſtram quam profite-

fitemur fidem, Conſtantino antiquiorem eſſe; aſſeris enim à Petro & Paulo cæteriſque Chriſti diſcipulis promulgatam, idque veriſſimum eſt: Chriſtus enim Petro cęteriſque Apoſtolis (vt Matthæi vltimo habetur) præcepit dicens: *Euntes docete omnes gentes, baptizãtes eos in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis.* Ergo, tempore Conſtantini, in illo Nicæno Concilio, non fuit Chriſtiana lex condita; ſed (ne ab Arrio fœdaretur) in Concilio defenſa, & incolumis in priſtina integritate ſeruata.

Hoc patet ex ipſomet Concilio, ſi eius decreta inſpiciantur: & in oratione, quam ad Patres ipſius Nicænæ Synodus habuit Euſtathius Epiſcopus Antiochenus, vbi hortatur Conſtantinum ad fidem in Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, vnam ſanctam & indiuiduam Trinitatem, à Chriſto & ab Apoſtolis prædicatam in Orbe, tuendam; non verò hortatur eum ad nouam ſectam inducendam: ſed præcipuè, vt priſtinam fidem ab hæreticis, & Arrio præſertim, iniurijs & inſanijs impetitam, in antiqua ſinceritate curaret ſeruandam.

Deinde circa annum Chriſti 380. ſurrexit quidam Macedonius, & in cælum os ſuum ponens, auſus eſt Spiritus ſancti negare Diuinitatem: & illicò Eccleſia, vt eius audaciam frangeret, Damaſo ſummo Pontifice, Theodoſio ſeniore imperante, Concilium Conſtantinopolim conuocauit, quò ex diuerſis prouincijs 150. Epiſcopi conuenerunt, & à Macedonij labe incolumem Chriſti Eccleſiam ſeruauerunt. *Conciliũ Conſtantinopolit. primũ, vniuerſale 2. anno Domini 381.*

Deinde circà Chriſti annum 430. Epiſcopus quidam Conſtantinopolitanus, Neſtorius nomine, noua quædam de Chriſti perſona excogitare præſumens, vnicam eius perſonam in duas diuidere conatus, affectuoſam ſolùm quandam inter duas naturas, Diuinam & humanam, effingens vnionem: quod longè aberat à ſenſu eius fidei, quam Chriſtus eiuſque Apoſtoli prædicauerant. Propterea Chriſti Eccleſia, Cęleſtino Primo Summo Pont. Theodoſio iuniore imperante, circa annum 430. Epheſi Concilium coegit, quò 200. Epiſcopi conuenerunt, & egregius ille inter Patres, Cyrillus Alexandrinus, Summi Pontificis loco præſedit: Neſtorijque hæreſis damnata eſt. *Cõciliũ Epheſinũ, vniuerſale 3. anno 431.*

Anno autem circiter 450. inſurrexit quidam Archimandrita, Euthiches nomine, qui ne in Neſtorianã incideret hęreſim, in contrariam incidit, confundendo naturas, vt effugeret perſonæ diuiſionem, nequiens via regia incedere: Vnde vnã tantùm *Cõciliũ Chalcedonẽſe, vniuerſale 4. anno 451.*

dixit eſſe in Chriſto naturam, nempe ex Diuina & humana commixtam, & hanc à Diuina abſortam. At Catholica Eccleſia, quæ neſcit, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram, diuertere, ſemper mediā veritatis tenens, Leone Primo Summo Pontifice, Martiano Auguſto, anno 451. Chalcedone Concilium celebrauit, cui adfuerunt Epiſcopi. 630. Et deflexio Euthichetis ad alteram partem inter tortuoſa repoſita eſt, ſicut in Concilio Conſtantinopolitano repoſita fuerat Neſtorij deflexio ad ſiniſtram. Sic ſemper, hæreſibus per multiplices mendaciorū anfractus vagātibus, ſola Catholicorum Eccleſia, firmis veſtigijs, recta veritatis incedit.

Cōſtātinopolit. ſecundū, ān. 553. vniuerſale 5.

Similiter circa annum 550. Vigilio Summo Pont. Iuſtiniano Seniore Imperante, Conſtātinopoli iterum Synodus celebrata eſt, & Theodorus Mopſueſtenus, in pluribus à Catholica aberrans fide, cum alijs hæreticis damnatus eſt.

Et hæc omnia acciderunt ante Mahomet. Vbi non prætereundum illud, quod ſæpe replicat Alchoranus: præſertim c. 1. ideſt: *De Vacca*, & cap. 4. ideſt: *De Menſa*: Chriſtianos ſalutem conſequutos eſſe, ſeu ſalutem conſequi, quod certè (ad minus) intelligendum eſt de Chriſtianis, qui ante Mahometi tempora fuerunt. Et hoc magis vrget, quia tunc temporis non poteſt à Mahometanis alia Religio aſsignari, quæ illo tempore verum Deo cultum redderet, niſi Chriſtiana; tunc enim Mahometi lex non erat, & lex Moyſi per legem Chriſti abrogata fuerat, vt cap. 2. dicit Alchoranus: ergo Chriſtianorum fides ſola tunc verum ac debitum Deo cultum reddebat: ergo Mahometani arrogare debent fidem vniuerſis, quæ à prædictis Chriſtianorum Concilijs decreta fuerunt. Hoc idem dicendum eſt de ſanctis viris, Doctoribus, & Patribus, qui Mahometi tempora præceſſerunt. Verùm hoc obiter: ſed iam Eccleſię vigilantiam & ſolicitudinem, circa Scripturas earumque ſenſum, inſpicere proſequamur.

Conſtantinopolit. 3. vniuerſale 6. ān. 680.

Viuente etiam adhuc ipſo Mahomet, circa annum Domini 680 Agathone Summo Pont. alia Synodus Conſtantinopoli celebrata eſt Epiſcop. 289. in qua Theodoſij & Cyri Alexādrin. Theodori Pharanitani, Sergij, Pyrrhi, & Pauli, Conſtantinopolitanorum, & aliorum Monothelitarum hæreſis, in Chriſto vnam tantum voluntatem aſſerentium, damnata eſt.

Nicen. 2. vniuerſ. 7. anno 787.

Deinde anno Domini 787. Nicææ altera Synodus eſt coacta, Adriano Summo Pont. Conſtantino VI. & Irene imperantibus,

tibus, in qua 350. Epiſcopi hæreſim aſſerentium, ſanctas Imagines non eſſe colendas, damnarunt.

Conſtantinopolitanum 4. vniuerſale 8. anno 870.

Deinde anno Domini 870. Adriano 2. Summo Pont. Baſilio Auguſto, anno 3. eius Imperij, aliud Concilium 383. Epiſcoporum Conſtantinopoli celebratum eſt.

Later. 1. vniu. 9. āno 1119.

Anno item Domini circiter 1120. tempore Caliſti Secundi Sum. Pont. & Henrici Quinti Imperat. celebratum eſt Conciliū Romæ, quod dictum eſt Lateranenſe Primum. 900. Epiſcoporum.

Later. 2. vniu. 10. ān. 1139.

Anno 1139. etiam Romæ, Inocentio 2. Summo Pontifice, celebratum eſt Lateranenſe Secundum, mille Epiſcoporum.

Lateranenſe 3. vniuerſale 11. an. 1180

Deinde anno 1180. tempore Alexandri 3. Pont. & Friderici Primi Imperat. celebratum eſt Romæ Lateranenſe 3 Epiſcoporum ferè 300. in quo, non modò de fidei, Scripturæ, & Catholica veritate, verùm etiam, quod eſt minutius, de reformatione morum, qui iam in Eccleſiæ filijs denigrari cæperant, tractatum eſt.

Lateranē. 4. vniuer. 12. ān. 1215.

Anno 1215. habitum eſt Romæ Lateranenſe 4. Patrum 1283. ex quibus Epiſcopi erant 673. & iterum, ne ſacra fides aut Scripturarum ſenſus à recto diſtorquerētur ab aliquo, vel imperito vel peruicaci, prouiſum eſt, ne aliquando dici poſſet, Eccleſiam dormitare.

Lug. 1. vn 13 anno 1245.

Anno 1245. Innocentio 4. Pont. habitum eſt Lugdunenſe Primum.

Lug. 2. vn. 14. anno 1274.

Anno 1274. Gregorio X. Pont. habitum eſt Lugdunenſe Secundum, Patrum ferè mille, ex quibus erant Epiſcopi 500.

Viēnenſe, vn. 15. ān. 1311.

Anno 1311. Clemente Quinto Sum. Pont. habitum eſt Conciliū Epiſcoporum 300. Viennæ, in quo, Eccleſiam aduersùs hæreſes omnes ſemper inuigilare, comprobatum eſt.

Florēt. vniu. 16. ān. 1439.

Anno 1439. Eugenio 4. Pont. Florentiæ Conc. habitum eſt Patrum 141. Quod, anno præcedēte, Ferrariæ inchoatū fuerat.

Lateran. 5. vn. 17. anno 1517.

Anno 1512. Iulio Secundo, cæptum eſt Conciliū Lateranenſe Quintum, Romæ, in quo conuenerunt Patres 114. clauſum eſt autem anno 1517. Leone X. Pontifice.

Tridētinum. vn. 18. cæptū Paul. 3 anno 1545. clauſū Pio 4. ā. 1563.

Et tandem paulò ante præſens noſtrum ſæculum, coactum eſt Concilium aliud Tridenti, anno 1545. inchoatum, clauſum verò anno 1563. in quo etiam apparuit aſſidua Eccleſiæ ſolicitudo in ſinceritate Scripturarū ſeruanda, & Catholica veritate

tuenda aduerſus Diaboli & hæreticorum inſidias, tempore Pauli 3. Iulij 3. & Pij 4. Pontificum, Caroli 5. & Ferdinandi Imperat. Adfuerũt Cõcilio ſex Cardinales, quatuor Legati, tres Patriarchę, Archiepiſcopi trigintaduo, Epiſcopi ducẽti viginti octo, quinq. Abbates, ſeptem Generales ordinum, Epiſcoporum procuratores plurimi. Et eo Concilio, inter cætera, hoc etiam prouiſum eſt, vt ex tot tantiſque ſacræ Scripturæ verſionibus, illa, quæ præcipuè antiquitatem in ſua puritate ſeruabat, coniungens vnà cum ſenſus claritate ſententiæ perſpicuitatem, inter omnes eligeretur, & publiciſſima auctoritate omnium Patrum, vniuerſis proponeretur tanquam authentica. Ad cuius normam cæterarum verſionum ſenſus & verba intelligenda, & accõmodanda ſunt, vt veram Scripturarum auctoritatem obtineant: eaque eſt vulgata Latina, quam ſancti Patres, Auguſtinus præſertim lib. 2. Doctrinę Chriſtianę cap. 14. Italam, & cæteris præferendã; Hieronymus in cap. 49. Iſaiæ, communem, & vulgatam; & Gregorius Papa Epiſtola dedicatoria ad Leandrum, in expoſ. lib. Iob, cap. 5 in fine, antiquiſſimam ſeu veterem, appellant. Quæ quia vulgata erat, & præ omnium manibus, non potuit in aliquo vitiari ab vno; à cæteris enim illicò vitium deprehenſum fuiſſet. Hæc eſt quæ maximè omnium cum Hebræa conuenit in omnibus, in quibus Hebrea ſuam ſonat antiquitatem. Et hæc puriſſimam ſeruat & fluit de fonte Diuinitatis in riuulis ſacrorum librorum aquam cæleſtis ſapientiæ. Ac propterea ſacri Concilij Patres, Spirituſancto edocti, illam authenticam eſſe agnouerunt, ac talem decreuerunt.

Sacra Biblia Vulgata Latina authentica.

Quantum præterea inuigilet Eccleſia in omnium voluminum (ſacrorum præſertim) excuſione, omnes norunt qui Chriſtianorum Vrbes incolunt: priùs enim doctis volumen viris examinandum committitur; deinde in cuſione perſpicitur ne error irrepat; & tandem, ſi fortè irrepſerit, notatur in margine ſeu calce libri, vt corrigatur. Tanta eſt & fuit, ne in apice quidem ſacra volumina, aut ne diuina eloquia tãtiſper ab integritate deficerent, Eccleſiæ vigilantia. Tanta, ne ſacra fidei myſteria in aliquo violentur, Eccleſiæ ſolicitudo.

Eccleſiæ animaduerſio in cuſione librorum.

Quòd ſi Platonis libri, Hippocratis, & aliorum, adhuc ſine corruptela ſeruantur, quantò magis ſacra volumina incorrupta manent? Si, abſq. cultoris ope, corruptelæ ſpinas non protulit Hippocratis aut Platonis ager, quomodo tàm cultum Eccleſiæ viri-

viridarium, inter manus tàm ſolertis agricolæ, ſentibus eſt implicatum? Non ſilueſcit ager, cùm in eius cultura aſsiduus eſt agricola. Non rubis implicantur vites, dum ſolicita eſt falx vinitoris. Quòd ſi, nullo ſeruante, in ſui antiquitate permanent libri antiquiorum; ſicut etiam Mahometi Alchoranus, etiam ſi ſcriptorum ignauia, temporis iniuria, & omnium incuria, de ſua faciliùs ſinceritate excidere potuiſſent; quantò magis in ſua puritate permanere cenſenda ſunt Euangelia, & reliqua ſacra Dei volumina, tanto cuſtode aſsiduò inuigilante?

Ergo, ſacra volumina nullo tempore dici poſſunt, in vniuerſum, fuiſſe corrupta: non hominum iniquitate, nec annorum antiquitate.

SECTIO IV.

Non poſſe locum aſſignari, vbi ſacra volumina fuerint adulterata.

SI non poteſt conſtare de tempore, mirum non erit, quòd nec poſsit conſtare de loco: quia quod nunquam eſt, alicubi eſſe non poteſt. Quod autem ita ſit, per ſingula diſcurramus.

Vel enim fuit aliquis locus peculiaris, in quo omnes ſacrarum Scripturarum libri fuerint adulterati: vel plures, & omnes loci, in quibus ſacrarum Scripturarum codices aſſeruabantur.

Non poteſt dici primum; quia incredibile eſt, quòd omnes gentes, omnes totius Orbis nationes, tantum laborem ſuſciperent, vt Scripturas omnes in vnum locum corrupendas conferrent, & in incredibile facinus concordi prauitate conſpirarent. *Non potuerũt in condictũ aliquo loco ſ. ſcrip. vitiari.*

Vel reſpõdebit quis: Non omnes in vnum locum conueniſſe, nec in vnum facinus conſpiraſſe; ſed per diuerſa loca & per ſectas ſingillatim, aliquos hic, aliquos ibi. At neque id dici poteſt, quia niſi commune fuiſſet facinus omnium, non eſſet communis omnium Scripturarum cõſenſus: ſed in eis neceſſariò *Nec in pluribus locis.*

depre-

deprehenderetur diuerſitas: non enim omnes ſectæ eandem adulterationem in Scripturas inducere potuiſſent, cùm non concordi animo ad corrumpendum ſimul conueniſſent, vt ſupponimus: Non reperitur huiuſmodi diuerſitas, ſed conſenſus maximus apparet, in tanto linguarum diſcrimine, & in tanto codicum numero. Ergo, vel dicendum eſt, conuenire ratione communis iniquitatis, vel certè aliàs conuenire non poſſunt, niſi ratione priſtinæ integritatis. Ergo ſolùm remaneret ſuſpitio de vnanimi conſenſu omnium in adulteratione. Hoc autem mõſtruoſum eſt ſuſpicari, non modò ridiculum: tantum enim facinus totius Orbis, nec Deus vnquam permiſiſſet, vel ſi certè permiſiſſet, extaret memoria apud homines, ſicut & rerum inſignium, quæ aliquando in Orbe acciderunt. Quomodo ergo tantum nefas ſiletur? Quomodo tantum ſuum facinus totus Orbis ignorat?

Non extat memoria, non eſt credibile, non eſt moraliter poſſibile, vt de ſe patet: ergo gratis aſſeritur: ergo Scripturæ ſacræ ſinceræ & integræ ſunt.

SECTIO V.

Nullum Scripturæ locum fuiſſe adulteratum ab Eccleſia Catholica.

Nullus ſacræ Scripturæ locus aſſignari poteſt, qui fuerit à Chriſtian. vitiatus

PRobauimus, non extitiſſe perſonam Scripturarum omnium & in vniuerſum vitiatricem: Non fuiſſe finem, Chriſtianos præſertim, impellentem ad vitium Scripturarum: Non poſſe conſtare de tempore; nec de loco: Supereſt vt probemus, nec de corruptione ipſa conſtare. Quod colligi poteſt inſpiciendo ſingulos Scripturarum locos, qui ſi integri reperti fuerint omnes, iam probatum erit, adulterationis facinus non fuiſſe perpetratum, & non conſtabit de corpore delicti. Vnde ſimilis erit hæc de adulteratione quærela querelæ illi, qua de Athanaſio calumniabantur Arianæ hæreſis ſectatores, cùm aſſererent, Athanaſium Arſenio manum amputaſſe, ipſo Arſenio

nio vtramque manum incolumem & integram omnibus palàm oſtendente. Sed ipſas quæſo ſacras inſpicite Scripturas, per ſingula earum membra, an ſint incolumes.

Et ne fiat negotium immenſum & penè infinitum, inſpiciamus illa præcipuè loca, de quibus maxima poſſet obuenire Mahometanis ſuſpicio: illa ſcilicet, quibus vel Diuina Trinitas vel Chriſti Diuinitas comprobatur. Si enim illa conſtabit eſſe ſincera & propria, & non ſuppoſititia & vitiata, reliqua omnia etiam ſincera & propria comprobata erunt, cùm de illis non ſit tanta ſuſpicio, nec ſuſpicionis cauſa.

Primus igitur locus in mentem veniens ex Veteri Teſtamento, ex quo clariſſimum teſtimonium de Chriſti Diuinitate, & ſimul etiam de Diuinarum Perſonarum pluralitate accipimus, eſt illud Pſalmi 2. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Ex hoc loco probamus & intelligimus, Chriſtum eſſe Filium Dei, genitum à Deo Patre: & ex conſequenti intelligimus duarum Diuinarum Perſonarum diſtinctionem, vnius quæ generat, & alterius quæ generatur. Et poſita hac dualitate, infertur etiam Tertia Perſona, ratione qua in tractatu *De Trinitate* infra patebit clariùs; quia ſcilicet conceſſa communicatione Diuinitatis per intellectum, facilè cōceditur, & conſimili ratione concedi debet, altera communicatio per voluntatem. Ergo iſte locus; cùm duo illa myſteria, Trinitatis & Incarnationis, ſimul afferat & probet, quæ Mahometani negant: inter reliquos omnes maximè ſuſpicionem facere Mahometanis deberet; cùm duplici ratione, quaſi anceps gladius vtrinque feriat: quare maximè omnium ab ipſis ſuppoſititius eſſet habēdus. At hic locus nō eſt ſuppoſititius. Ergo cætera, in quibus paria & eadem myſteria probantur, non ſunt cenſenda ſuppoſititia; & multò minùs reliqua, quæ non tantā ſecum trahunt (reſpectu Mahometanorum) cauſam ſuſpicionis.

Illud 2. Pſal. Filius meus es tu & cæt. eſt verus ſacra Scripturæ locus.

Quòd autem ille locus non ſit ſuppoſitus, patet omnibus rationibus ſuprà allegatis pro omnibus locis in genere; præſertim: Quia vel Iudæi vitiauerunt; & hoc dici non poteſt, quia Iudæi Chriſtum Dei Filium negant; non ergo addiderunt Scripturis verba, quibus redargui poſſet eorum peruicacia: ergo vitiauerunt Chriſtiani: quod ſi ita eſſet, ſoli Chriſtiani illū locum in ſuis codicibus ſic digeſtum haberent, non Iudæi: At habent etiam Iudæi: Ergo dicendum eſſet, vnanimi conſenſu illa verba ſuppoſuiſſe. At neque hoc dici poteſt, quia

Probatur ratione.

ad inuicem pugnant circa diuinam generationem, & Chriſti Diuinitatem: ergo non eſt locus aliquo modo vitiatus aut ſuppoſitus; ſed proprius ſacræ Scripturę, per os Dauid dictante Spiritu ſancto diſpoſitus.

Probatur ex libro Chamùs

Probatur præterea ad ipſos Mahometanos, auctoritate libri Chamùs, cuius auctoris celeberrima eſt inter ipſos auctoritas, inter Mahometanos eſt enim præcipuus. Hic, in dictione ولد afferens illa eadem verba ex Pſalmo 2. ſic inquit

ومنه قول الله عزّ وجلّ لعيسى بن مريم صلى الله عليه وسلم

انت ابني وانا ولدتك ۞

ideſt: *Exinde dictum Dei omnipotentis ad Ieſum filium Mariæ, ad quem Dei ſint orationes, & pax. Tu es filius meus, & ego genui te.* Ecce quomodo iiſdem verbis Mahometanus, & quidem inſignis inter eos, hunc eumdem de quo agimus ſacræ Scripturæ locum refert, & Diuinum eſſe teſtatur. ergo clariſſimè conſtat, verè locum eſſe Scripturæ proprium, & non aliquo vitiante ſuppoſitum.

Quòd ſi locum iſtum, tanti ponderis, tanti momenti, tantæ efficaciæ, ad probandum ſimul vtrumque præcipuum Chriſtianæ Religionis myſterium, ſcilicet Diuinæ Trinitatis, & Chriſti Diuinitatis, certum eſt, Chriſtianos non ſuppoſuiſſe, & gratis obloqueretur qui contra diceret: à pari, idem dicendum eſt de conſimilibus locis, in quibus. vel Diuina Trinitas, vel Chriſti Diuinitas comprobatur. Quod enim ſemel Deo teſtante comprobatum eſt, non eſt mirum, ſi iterum atque iterum & tertiò & pluries Diuina eloquia conteſtentur.

Alius locus ex Teſtamento Nouo, qui maximam quoque poſſet facere ſuſpicionem in Mahometanorum mentibus, non tamen maiorem ea, quam locus ille ex Pſalmo 2. prææallegatus facere poterat; idem enim in vtroque aſſeritur: & Mahometanis nihil eſt nouius, quàm fides in Chriſti Diuinitatem, & in Diuinam Trinitatem Non ergo locus aliquis magis de ſuppoſitione ſuſpectus apud eos aſſignari poteſt, quàm qui ſimul aſtruit cum Diuina Trinitate Chriſti Diuinitatem.

Illud Io. 1. In principio erat Verbum &c. eſt verè ſacri Euãgelij promulgatũ.

Eſt autem locus ille ex Euangelio Ioannis in principio, vbi aſſeritur Chriſtus Dei Verbum & verus Deus, illis verbis. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat*

Ver-

Verbũ. Et infra: *Et Verbũ caro factũ eſt.* &; *Hic eſt Filius Dei.* Hic locus, nec eſt ſuppoſitus: ergo multò minùs locus alius quilibet, de Chriſto minora aſſerens, ſuppoſitus dici poteſt. Probatur autem, non eſſe ſuppoſitum, ſed ab ipſo Ioanne, Spiritu ſancto dictante, appoſitum. Quia ſiqua ratio ſuſpicionem poſſet facere, illa vtique eſſet, quia ibi dicitur Chriſtus Deus, Dei Filius, & Verbum Dei; & multum fauet Chriſtianorum fidei, qua credunt, ipſum eſſe Deum, Dei Filium, & Verbum Dei: Vnde, cùm adæquatè in omnibus faueat, poteſt ſuſpicari fuiſſe à Chriſtianis ad eorum voluntatem accõmodatus. At talis ratio nulla eſt, & nihil probat; quia ſi quid probaret, vim etiam haberet contra locum alium ex 2. Pſalmo allatum, quia ille pari modo facit pro Chriſtianorum fide, cùm aſſerat, Chriſtum eſſe Dei Filium, & à Deo genitum, vt viſum eſt. Verùm contra illum vim non habet, ſed nec habere poteſt, cùm euidenter probatum ſit ad ipſos Mahometanos, illum eſſe verum & proprium ſacræ Scripturæ locum: ergo, à pari, nec contra hunc ex Ioanne vim habet, nec ſuſpicionẽ poteſt inducere. Quid enim proficiet Mahometanus negando hunc locum, cùm parem non poſſit inficiari? Et quomodo hic poteſt ſuppoſititius ſuſpicari, cùm alius illi per omnia ſimilis, vel fortè etiam efficacior, certus ſit & verus? Nec mirum eſt, ſi repetitum legamus in Teſtamento Nouo quod antea promiſſum fuerat in Veteri: Deus enim per illa verba ſecundi Pſalmi, per os Dauid prophetans, pollicitus eſt, Chriſtum Dei Verbo perſonaliter vnitum, ex Dauidis progenie naſciturum, quod etiam confirmauit Pſalmo 88. Pſalmo 131. & 2. Reg. cap. 7: num. præſertim 14. & alibi ſæpiſſimè: quod ergo ibi fuit prænuntiatum, mirum non eſt, ſi in Euangelio narretur impletum; Deus enim fidelis quod promiſerat adimpleuit. *Probatur ratione.*

Prætereà ad Mahometanos probatur ex ipſomet Alchorano, locum illum Ioannis nõ eſſe ſuppoſititium, eo quòd ibi teſtatur, Chriſtum eſſe Dei Verbum, & procedentem à Deo: Nam Alchoranus etiam, propter celebrem eius loci veritatem, fateri coactus eſt. Vnde cap. 3. cui titulus eſt *De Mulieribus*, circa finem, ſic inquit. *Probatur ex Alchorano.*

إِنَّمَا الْمَسِيحُ عِيسَى ابْنُ مَرْيَمَ رَسُولُ اللهِ وَكَلِمَتُهُ أَلْقَاهَا إِلَى مَرْيَمَ وَرُوحٌ مِنْهُ

id eſt: *Enimuerò Chriſtus Ieſus filius Mariæ eſt Apoſtolus Dei, & Verbum Dei, quod ipſe Deus immiſit in Mariam, & eſt Spi-*

ritus procedens ex Deo. Quid clarius dicere poterat, vt Chriſtum Dei Verbum eſſe, fateretur? Et non, Verbum corporeum ſeù ſenſibile, ſicut eſt verbũ vocis ſono & linguę miniſterio prolatum; ſed ſpirituale, & verbum mente conceptum & productum. At dicere, Chriſtum eſſe ſpirituale Dei Verbum, procedens ex Deo, eſt idem ac dicere, eſſe expreſſionem in Diuina mente formatam per Dei intellectionem, eſt etiam idem ac dicere, eſſe Filium Dei, & eſſe Deum, vt infrà clariùs explicabimus & probabimus, agentes de ſacroſancto Diuinæ Trinitatis myſterio: In Deo enim idem eſt intellectus, intellectio, res intellecta, ſpecies, & Verbum, & ipſa Diuina eſſentia, vt etiam Ariſtoteles ſolo naturalis diſcurſus lumine proſpexit 3. *de Anima*, & 12. *Metaph. tex*. 39. & tu ipſe benè de hoc in tuo libro diſcurris, & fateris. Poſito ergo quòd Chriſtus ſit Verbum Diuinæ mentis, ponitur etiam eſſe idem cum Diuina eſſentia, & eſſe Deus.

Inſuper dicere, eſſe Spiritum à Deo procedentem, eſt dicere eſſe ſpiritualem ſubſtantiam, diſtinctam aliquo modo, quatenus procedit; quia nullus à ſemetipſo poteſt procedere: ergo habemus diſtinctionem. Item aſſerere ſpiritum, eſt etiam aſſerere, eſſe ſubſtantiam ſpiritualem, ac proinde ſubſiſtentem, rationalis naturæ, & perſonam.

Præterea dum dicit, Chriſtum eſſe Dei Verbum, & Spiritum à Deo procedentem, in Mariam immiſſum, illud idem indicat quod dicit Ioannes illis verbis: *Verbum caro factum eſt*. Quare, omnibus his Alchorani verbis benè expenſis, conuincuntur Mahometani de integritate & ſinceritate eorum quæ habentur 1. cap. Euangelij ſecundùm Ioannem: Et Chriſtum eſſe Deum, cùm ſit Verbum Dei; & eſſe Filium Dei, cùm ſit procedens à Patre, tanquam ipſius Verbum: & eſſe etiam hominem, cùm loco allegato Alchoranus Chriſtum dicat Dei Apoſtolum: & eſſe incarnatum ex Maria Virgine, cùm illum dicat Dei Verbum miſſum in Mariam, & filium Mariæ, prout & in alijs locis pluries repetit.

Probatur præterea, illa Euangelij loca non eſſe ſuppoſititia. Quia aſſerunt eius fidei articulum, quam Chriſtiani illi profitebantur, quos Alchoranus dicebat capite 1. & cap. 4. ſalutem adepturos, ſeù iam adeptos: ergo non ſunt ſuppoſititia & falſa, ſed propria & vera. Antecedens patet ex Alchorano, verba enim faciens de Chriſtianis

idest:

س التّوبة ideſt: cap. *De pœnitentia*. Seu ſecundùm alios, *De gladio*, ſic inquit, tribus circiter pag. poſt initium:

وَقَالَتِ النَّصَارَى المَسِيحُ ابْنُ اللهِ

ideſt: *Et dicunt Chriſtiani: Chriſtus eſt Filius Dei*. Probatur ſequela: Quia ſi non eſſet verum, Chriſtum eſſe Filium Dei, ergo eſſet falſum; & Chriſtiani illud credentes, falſum, & non verum, crediſiſſent. At omnes, falſa credentes, ſunt infideles damnandi, non verò fideles, ſaluandi: ergo Chriſtiani non eſſent ſalutem adepti vel adepturi, prout dicit Alchoranus. Ergò, Chriſtum eſſe Deum & Filium Dei, verum eſt; nec ſuſpicio eſſe debet de loco illo Scripturæ, qui veritatem aſtruit.

Cùm locus magis de adulteratione ſuſpectus aſſignari non poſsit apud Mahometanos, plura non eſſent addenda: ſed vnum aut alterum paris ſuſpicionis examinemus; deinde ad alia tranſibimus. Matthæi vltimo: *Ite, docete omnes gentes, baptizãtes eos In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*. Fortè ſuſpicionem faciet Mahometanis, ſicut prænotati. At nullo modo debet eſſe ſuſpectus, quia nominet tres Perſonas Diuinas, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum: in pluribus enim Scripturæ locis, etiam Veteris Teſtamenti, fit ſimiliter mentio de Patre, Filio, & Spiritu ſancto, qui tamen non propterea poſſunt de adulteratione notari: ergo nec propterea notandus eſt iſte ex Matthæo. Ex pluribus locis Veteris Teſtamenti ſufficiat (breuitatis cauſa) hìc vnus ex Pſalmo 32. n. 6. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*. Hìc, & in ſimilibus in Veteri Teſtamento, fit etiam mentio de Patre, de Filio, & de Spiritu ſancto; nec tamen poteſt dici locus ſuppoſitus; quia legunt eodem modo eum locum Chriſtiani, & Hebræi; & non poteſt dici Hebræos ſuppoſuiſſe, vel cum Chriſtianis in eius loci adulterationem conueniſſe: ipſi enim oderunt ſanctiſsimę Trinitatis nomen, & nunquam ſuppoſuiſſent talia, quæ potiùs (ſi non fuiſſet Dei vel alterius timor) deleuiſſent. Ergo nulla ratione dici poſſunt ſuppoſita. Quòd ſi non illa Pſalmi & Veteris Teſtamenti, cur dicentur ſuppoſita hæc ſimilia in Nouo?

Illud Matt. vlt. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: verè eſt Euangelicum.

Nec

Nec poſſunt reſpondere Mahometani, in Pſalmo non fieri mentionem de Filio, ſed de Verbo; quia idem eſt dicere, Verbum, ac Filium: Chriſtus enim ab ipſiſmet Mahometanis dicitur, non ſolùm Dei Verbum, ſed etiam Dei Filius, à Deo genitus: vt ſupra probatum eſt auctoritate celeberrimi inter Mahometanos, auctoris libri Chamùs, qui in dictione ولد verba Pſalmi ſecundi. *Filius meus es tu, Ego hodie genui te*. Fatetur eſſe verba Dei Omnipotentis ad Ieſum Chriſtum Mariæ filium. Kurſus ex Alchorano paulò ſuperiùs allatum eſt teſtimonium ex cap. 3. circa finem, vbi ipſe fatetur, eumdem Ieſum Chriſtum Mariæ Filium eſſe Verbum Dei: ergo idem eſt Dei Filius, & Dei Verbum, ex confeſsione ipſorummet Mahometanorum Cùm ergo dicitur in Pſalmo: *Verbo Domini*, idem eſt ac dicere: Filio Domini. Vnde habemus mentionem Domini, ac Verbi, ſeu Patris, ac Filij. Deinde dum ſubdit: *& Spiritu oris eius*, adiungit mentionem de Spiritu ſancto. Ergo &c.

Plura, imò omnia & ſingula, poſſent loca recenſeri ex ſacra Scriptura, ad perſpiciendam eius ſinceritatem: Verùm hæc cum allegatis ſupra cap. 3. ſufficere debent, cùm loci inter omnes ſuſpectiſsimi recenſiti ſint, & ſit probatum, eos eſſe ab adulteratione immunes. Addere plura, potiùs faceret tractatum longiorem, quàm probationem efficaciorem.

Ex his ergo probatum eſt, gratis aſſeri, ſacra eloquia in vniuerſum, & quoad omnes verſiones, quæ per totum Orbem quocumque idiomate extant, fuiſſe vitiata; ita vt omnis ſacra Scriptura omninò exciderit. Supereſt excutere, an aliquo alio modo potuiſſet adulterari: ſi non omni ex parte, an aliqua ex parte: Si non quoad omnes verſiones, ſaltem quoad plures, vel quoad aliquam certam verſionem: Si non pluribus in locis, ſaltem in aliquo loco vitium acceperit. Hoc totum ſequenti capite expendemus.

CAPVT

CAP. VI.

An aliquo modo Sacræ Scripturæ à priſtina integritate exciderint.

PRimò: poſtquam de vniuerſali adulteratione iam actum eſt, & probatum, non fuiſſe perpetratam: poſſet aliquibus fortaſſe obuenire ſuſpicio de adulteratione; ſi non omnium, certè plurium partium: & ſi non omnium, certè etiam plurium, vel vnius, aut alterius editionis, notabili ex parte.

Quodcunque vitiū in ſingulari aliquo codice ſtatim deprehēditur collatione cū cæteris.

Verùm contra talem ſuſpicionem faciunt etiam omnes rationes ſuprà allatæ ad delendam ſuſpitionem de vniuerſali adulteratione. Quia cùm probent omnes non fuiſſe adulteratas, probant etiam, nec fuiſſe adulteratas ſingulas, quæ cum vniuerſis conueniunt: Adulteratas enim cum integris & ſinceris, diſſentire neceſſe eſt, non conuenire. Ergo ſi aliqua verſio, vel plures verſiones fuiſſent adulteratę, illę plures, vel illa vna, cum omnibus non conuenirent. Vnde ſtatim error ex integris deprehenderetur, inſpecta lectionis diſparitate. At nuſquam talis diſparitas deprehenſa eſt; cùm tanta ſit conformitas, conſenſus tantus verſionum omnium, in tanto codicum numero, & in tanta editionum multiplicitate.

Non tamen per hæc negare intendimus, potuiſſe editionem aliquam in aliquo vitiari, præſertim, cùm tot verſiones penes diuerſarum gentium manus, non modò fidelium, ſed etiam infidelium omni tempore aduerſatę ſint; ita vt potuerit ſaltem codex aliquis ab infideli aliquam adulterationis iniuriam accipere: hoc tamen nihil facit ad Scripturæ ſuſpicionem, quia facilè in illo codice, vel etiam in pluribus codicibus, potuit & poterit ſemper, collatione cum cæteris, vitium deprehendi, ita vt vim potius habuerit ac ſemper habeat ſinceritas plurium ad paucorum codicum vitium deprehedendum, quàm adulteratio paucorum ad omnium integritatem viciandam.

Et quidem de facto ita accidiſſe aliqui ſuſpicantur. Et ſiquidem aliquando Iudæi aliqui, vel alij quicunque adulteratrices

trices manus in quoſdam ſacræ Scripturæ codices inieciſſent, illicò ſancti Patres & Eccleſiæ Doctores aduertebant, & ne vitiati codicis error cæteros inficeret, deprehēſum vitiū ſeduli adnotabant. Et inter cæteros (ne longus euadam omnium enumeratione) Iuſtinus in *Dialogo cum Triphone* ſic inquit: *Ac quòd illi multos, & integros locos illarum* (ſcilicet Scripturarum) *Ex translatione eorum qui cum Ptolemæo fuere Seniorum ſubſtulerint, in quibus clarè hunc ipſum Crucifixum, Deum & hominem eſſe, eumque in Cruce pendere, & mori pronuntiatum eſſe oſtenditur, ſcire vos volo*. Hæc Iuſtinus: vbi adnotat, Iudæos quoſdam locos in Septuaginta Interpretum verſione adulteraſſe; Alchoranus etiam cap. 3. cui titulus eſt

س النساء *De Mulieribus*, ante medium, de Iudæis hoc idem aſſerit, quod longo annorum ſpatio priùs Iuſtinus aſſeruerat. Verba Alchorani hæc ſunt

مِنَ ٱلَّذِينَ هَادُوا يُحَرِّفُونَ ٱلْكَلِمَ عَن مَّوَاضِعِهِ ۞

ideſt: *Quidam ex ijs qui ſunt Iudæi, delent verba de locis ſuis*. Vbi obſeruandum eſt, quòd quamuis hoc aſſerat Alchoranus de Iudæis, nunquam talia dixit de Chriſtianis; quia de Chriſtianis nulla eſſe poterat ſuſpicio. Dixit autem de Iudæis, non de omnibus, ſed de aliquibus, dicens مِنَ ٱلَّذِينَ هَادُوا quod propriè ſonat *aliquos ex ijs, qui Iudæi ſunt*. Vnde conſtat aliquem codicem, ſeù plures, qui præ manibus alicuius, vel plurium aduerſarentur, potuiſſe vitium pati; non tamen omnes.

Et quidem de Iudæis ante Chriſti aduentum gratis ſuſpicio aliqua obueniſſet in mentem; non enim putandum eſt, vt inquit Auguſtinus lib 15. de Ciuit. Dei cap. 13. Iudæos inuidendo gentibus auctoritatem, ſibi abſtuliſſe Scripturarum veritatem. Tunc enim potiùs credendum eſt, Iudæos per Scripturarum auctoritatem maluiſſe gentes omnes ad Iudaiſmum allicere, quàm Scripturas peruertere. Poſt Chriſti aduentum tamen, quia noluerunt Meſsiam agnoſcere, quem Scripturæ tantis

præ-

prædicabant teſtimonijs; ex tunc cæperunt ſuſpicionis notam incurrere, cùm Scripturarum atteſtationibus fidem abrogare cæperunt: ita vt facilè ſuſpicari poſsit, ex tunc illas ad ſuam voluntatem cupiſſe peruertere, cùm nollent ad Scripturarum ſenſum ſui cordis diſpoſitionem accommodare. Tamen ex tunc complura volumina præ Chriſtianorum manibus verſabantur; ita vt Iudæorum peruerſitas non poſſet vniuerſis codicibus officere: antiquior enim fuit Chriſtianorum de Scripturis notitia, quàm in Iudæorum corde nequitia: nam priùs complures ſacri codices in Chriſtianorum manus deuenerunt, quàm Iudæi cauſam adulterationis agnoſcerent. Vnde ſicut non potuerunt vniuerſos adulterare, ita omnis adulteratio vitiatorum fuiſſet ex integrorum ſinceritate deprehēſa; adeo vt quodcumque vitium, etiam minimum & leuiſsimum, nunquam latere potuiſſet.

Et quidem loci aliqui, vel temporis iniuria, vel alicuius nequitia, vel certè Scriptorum incuria, videntur à priſtina ſinceritate excidiſſe, tum in editione Hebræa, tum etiam in Septuaginta Interpretum verſione. In Hebræa quidē (vt aliqua recenſeam breuiter) Pſalmo 21. in quo agitur de Chriſti paſſione & crucifixione; legunt Iudæi כָּאֲרִי יָדַי idest: *Sicut leo manus mea*. At vulgata noſtra Latina & cæteræ legunt: *Foderunt manus meas &c.* in quo poteſt ſuſpicari, mutationem factam Iudæorum iniuria, ne de Meſsiæ crucifixione per Pſalmiſtam redarguti viderentur. Verùm potiùs Scriptorum incuria talem errorem irrepſiſſe, exiſtimandum eſt, propter affinitatem literarum, facilè enim potuit pro כרו ſcribi כארי mutata Vau in Iod, & addita Aleph. Idque magis clarum redditur ex libro Maſſoreth, quem Rabbini poſt Chriſtum ediderunt, & ibi teſtantur, eo loco Pſalmi 21. legendum eſſe כרו idest: *Foderunt*, & non כארי idest: *Sicut leo*. Hoc etiam ex contextu ipſo patet; ex præmiſſis enim & his quæ ſequuntur, colligitur, legendum potiùs eſſe *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea*. Quàm, *Sicut leo manus mea & pedes mei, dinumerauerunt omnia oſſa mea*. Senſus enim inſulſitas oſtendit lectionis veritatem

Hebræa editio ab originaria puritate in paucis deficit.

Alius locus Iſaiæ 9. numero 6. videtur etiam excidiſſe à priſtina ſinceritate, vbi Hebræi pro וַיִּקָּרֵא *Et vocabitur*, legunt וַיִּקְרָא *Et vocabit*, ibi etiam ex contextu ipſo patet, legendum ſignificatione paſsiua, prout legit vulgata editio Latina cum cæteris. Similiter Ieremiæ cap. 23. Legunt Hebræi pro *vocabunt* plurali numero, in ſingulari *vocabit*, illudque etiam ex contextu ipſo conuincitur.

Hæc & ſimilia, ſiquæ alia enumerari poſſunt, probant etiam, ſua tenuitate & leuitate, ſinceram Scripturarum omnium integritatem; cùm nec in his minimis potuerit aliquale vitium latere. Quomodo ergo latere potuiſſet in multis, & grauioribus? Si iota, aut punctus non latet; quomodo lateret periodus, aut verſus?

Verſio 70. Interpretū quomodo potuerit à ſua integritate in quibuſdã excidere.

Ex verſione Septuaginta Interpretum, & ex illis quæ inde tranſlata ſunt, benè locum vnum aſſignaſti in tuo libro, adulterationis vitio notatum: nempe ex cap. 5. Geneſis, in computatione annorum verſio 70. Interpretum addit ſemper centenarium numerum. Idque reuera integrum non eſt; ſed ſcias, non modò primùm à nobis fuiſſe animaduerſum; ſed ab initio ſtatim poſt vitium fuit à Doctoribus & Sanctis Patribus adnotatum, etiam ante Mahomet pluribus ſæculis. Quod vitium quonam modo irrepere potuerit Auguſt. lib. 15. Ciuit. cap. 13. diſcurrit dicens. *Sed cùm hoc dixero, continuò referetur, illud Iudæorum eſſe mendacium: de quo ſuperiùs ſatis actum eſt.* Et infrà. *Credibilius ergo quis dixerit, cùm primùm de Bibliotheca Ptolemæi deſcribi iſta cœperunt: tunc aliquid tale fieri potuiſſe, in codice vno ſcilicet primitùs inde deſcripto, vnde iam latiùs emanaret, vbi potuit quidem accidere etiam Scriptoris error.* Sic Auguſtinus.

Chaldaic. Paraphraſis nullius authoritatis, in quibus differt à cæteris.

Sicut de verſione Hebræa, & Septuaginta Interpretum, loci aliqui ſigulares aſsignari poſſunt; ita etiam & de alijs verſionibus poſſent loci aliqualiter à ſinceritate deficientes aſsignari. Tamen quicumque defectus cuiuſcumque verſionis, vel ex cæterarum collatione, vel ex contextus inſpectione, deprehenditur. Et quidem verſio Chaldaica in pluribus inuenitur deficere, præſertim in libris Sapientialibus, quia verſio illa Chaldaica facta eſt à quibuſdam Hebræis, poſt Chriſti aduentum, qui plura addentes, potiùs Paraphraſim compoſuerunt,

quàm verſionem fecerint: fuerunt autem, Rabbi Aquila, qui Chaldaicè vocatur Onchelus. Hic totum Moyſis Pentateuchum vertit. Rabbi Ionathas filius Vzielis vertit libros, Ioſue, Iudicum, Regum, Iſaiam, cæteroſque Prophetas. Rabbi Ioſeph Cæcus vertit Pſalmos, librum Iob, Ruth, Eſther, & libros Salomonis.

Et quamuis multa in ea Paraphraſi, prout diximus, commiſcuerint; Nos tamen Chriſtiani eiuſmodi verſiones, & ſimiles omnes, ſeruamus: non quidem vt erroribus illarum fidem tribuamus; ſed vt, ex locis integris, Iudæos alioſque veritatis inimicos, de veritate redarguere valeamus: Non enim valent ſuorum auctorum aſſerta negare, adeo vt ſine refragatione conuincantur. Vnde ex tot tantiſque verſionibus agnoſcitur, quænam Dei eloquia, intemerata ſinceritate, cuſtodiat: Nam cùm adulteratæ non latet vitium, integræ etiam nec latet ſinceritas. Hanc ergo vtilitatem de tanta verſionum multiplicitate Chriſti Eccleſia percipit: vt quamuis illas omnes, tanquam authenticas non recipiat, ex ipſis tamen, quæ authentica cenſenda ſit, dignoſcit; ſicut agnouit, & decreuit, authenticam illam tantummodo editionem, quæ ab exordio, ſuccedentibus ſibi inuicem ſæculis, in Eccleſia Romana, quę caput eſt omnium, lecta & adſeruata fuit. Eaque eſt verſio Latina, propter frequentem vſum, dicta Vulgata. Quam ſancti Patres præ cæteris celebrant eamque Antiquam & Veterem, Vulgatam Italã appellant, vt Concil. Trident. ſeſ. 4. S. Hieronym. in cap. 49. Iſaiæ, S. Gregor. Papa epiſt. dedicat. ad Leandrum cap. 5. in fine, Auguſt. lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 14. in fine vel initio cap. 15. cæterique Patres, ij præſertim qui, vt ſuprà narratum eſt, ante Mahometi tempora viguerunt; ita vt inter illos Chriſtianos, ſine vlla quæſtione, recenſendi ſint à Mahometanis, quos recta via incedere, ſaluari, fideleſque eſſe Scripturarum interpretes, in Alchorano Mahomet ipſe teſtatur, vt ſuprà cap. 1. Verba Auguſtini hæc ſunt. *In ipſis autem interpretationibus Itala cæteris præferatur. Nam eſt Verborum tenacior cum perſpicuitate ſententiæ.*

Biblia Sacra vulgata latina, authentica.

Ex dictis ergo conſtat, cauſationem illam de Scripturarum adulteratione eſſe gratis fictam, & ridiculam; imò & fatuam. Et quidem de Alchorano mutationem aliquam aſſerentem irridendum cenſerem, ſicut & Mahometani facerent. At ſi de Alchorano aſſerere eſſet ridiculum, de ſacra Scriptura eſt

fatuum: Quia aſſerens de Alchorano, aſſereret gratis aliquid facilè poſsibile: Aſſerendo autem de Scripturis ſacris, aſſeritur aliquid moraliter impoſsibile, ratione tot verſionum, & tot diuerſarum linguarum, quibus ſacræ Scripturæ extant exaratæ; quæ ratio non facit pro Alchorano, cùm ſolùm extet lingua Arabica, vel ad ſummũ etiam Perſica, inter Mahometanos; quibus duabus editionibus adulteratis, omnes à priſtina ſinceritate excidiſſent.

CAP. VII.

Reſpondetur ad obiectiones contra ſacras Scripturas.

VErùm reſpondebis, eiuſmodi ſuſpicionem de Scripturarum adulteratione, in Mahometanorum mentem non gratis obuenire, ſed iurè ex ipſarũmet inſpectione conſurgere: plura namque, aſſeris, tibi in ipſis difficultatem facere: quorum exoptas expoſitionem.

SECTIO I.

Reſpondetur ad primam difficultatem.

Genealogia Chriſti quomodo à Mattheo, & quomodo à Luca.

PRimò enim, Euangelia ipſa in ipſo primi capitis limite, tibi difficultatem ingerunt: Dum Chriſti Genealogiam, Mattheus & Lucas diuerſo ordine texunt, nec ſibi conuenire videntur. Mattheus enim per lineam Salomonis à Dauid vſque ad Ioſeph virum Mariæ deſcẽdit. Lucas verò à Ioſeph vſque

que ad Dauid per Nathan aſcendit. Ergo alij parentes Ioſepho tribuuntur à Luca, alij à Matthæo. At omnes verſiones hanc diuerſitatem continent; etiam illa, quam exiſtimatis authenticam, quæ eſt Vulgata Latina. ergò etiam illa Vulgata Latina à ſinceritate deficit.

Hanc difficultatem, quam proponis in tuo libro, non modò, ſed, iampridem ante Mahomet, Chriſtiani animaduerterunt, et ſimul enodauerunt: idque facilè redditur cuicumque Hiſtoriarum ſeries callenti. Hieronymus Preſbyter qui longè ante Mahometum floruit, libro primo Comment. in Matth. ſic inquit. *Iacob autem genuit Ioſeph. Hunc locum obiecit nobis Iulianus Auguſtus diſſonantiæ Euangeliſtarum: cur Euangeliſta Matthæus, Ioſeph dixerit filium Iacob, & Lucas eum filium appellarit Heli: non intelligens conſuetudinem ſcripturarum, quòd alter ſecundùm naturam, alter ſecundùm legē ei pater ſit. Scimus enim hoc per Moyſen, Deo iubente, receptum, vt ſi frater aut propinquus abſque liberis mortuus fuerit, alius accipiat uxorem ad ſuſcitandum ſemen fratris vel propinqui ſui.* Sic propoſitam difficultatem ſoluit Hieronymus, etiam ante Mahometi natiuitatem, trecentis ferè annis: Et benè, nam Matthæus ſeriem genealogiæ ſecundùm naturā texit, vt ſignificat verbis illis repetitis, *genuit*, *genuit*, & in textu Arabico ولد Quod ſignificat deriuationē vnius ab alio per naturalem generationem. Lucas verò, quia non intendebat huiuſmodi deriuationē narrare; ſed eam tantùm, qua vnus alterius cenſetur filius, ſiue per legem imputetur, ſiue per naturam deriuetur, abſtrahendo ab vtroque: propterea non vtitur illo verbo, *genuit*; ſed communi vocabulo, *fuit*, *fuit*; Et in textu Arabico, generali nomine ابن ابن idest: *Filius*: dicit enim textus Latinus, aſcendendo. *Putabatur Chriſtus filius Ioſeph, qui fuit Heli, qui fuit Math at, qui fuit Leui &c*, & textus Arabicus ſect. 10.

وكان يظن انه ابن يوسف بن هالي بن مطيت بن لاوي ۞

idest: *Putabatur, quòd ipſe eſſet filius Ioſeph, filij Heli, filij Mathat &c.*

Dama-

Cur Chriſti GENEAlogia non ad Mariā, ſed ad Ioſeph deducatur.

Damaſcenus item lib. 4. *De fide orthodoxa*, cap. 15. ſic prævenit noſtræ mentis difficultatem, & lumine præit, anteuertens noſtra veſtigia ne cadamus. *Animaduertendum nobis eſt*, inquit, *nec apud Hebræos, nec apud Scripturam ſacram hoc in more poſitum fuiſſe, vt mulierum genus recenſeretur*. Et per hæc reſpondet ad illam tuam petitionem: Quare non Mariæ, ſed Ioſephi genealogia texatur. Subdit deinde Damaſcenus. *Verùm hoc demùm lege cautum erat, ne Tribus vlla vxores ex altera Tribu accerſeret. Ac proinde Ioſeph, qui ex Tribu Dauidica ortum trahebat, iuſtitiamque colebat, vt Euangelium teſtatur, Sanctam Virginem haudquaquàm, præter legis praſcriptum, deſpondiſſet, niſi ex eodem ſceptro genus duxiſſet, ob idque ſatis habuit Euangeliſta demonſtraſſe, vnde Ioſeph ortum traxerit*. Et per hæc ſatisfacit Damaſcenus querelæ illi, qua Mahometani cauſantur, vt in tuo libro refers, genealogiam illam nulla ratione ad Chriſtum pertinere, cùm Chriſtus de Maria Virgine, ſine Ioſephi vel alterius conſortio, ſit editus: Quia ſcilicet eadem genealogia eſt vtriuſque: ſponſus enim & ſponſa, non niſi ex eadem Tribu ſecundùm legem iungebantur.


Sequitur deinde idem Damaſcenus: *Igitur ex ſtirpe Nathan filij Dauid, Leui genuit Melchi & Panther en. Panther autem genuit Barpantheren. Barpanther rurſus genuit Ioachim. Ioachim denique genuit Sanctam Dei Genitricem*. Ecce quomodo Lucas benè Chriſti genealogiam ad Dauid per Nathan refert. Poſtea ſequitur Damaſcenus. *Rurſus, ex ſtirpe Salomonis filij Dauid, Mathan ex vxore ſua genuit Iacob. Mortuo autem Mathan, Melchi ex tribu Nathan, filius Leui ac frater Pantheris, vxorem ipſius Mathan, quæ etiam Iacobi mater erat, matrimonio ſibi copulauit, atque ex ea genuit Heli: ita vterini fratres erant Iacob & Heli: ille nimirum ex Tribu Salomonis, hic ex Tribu Nathan oriundus. Porrò Heli, qui ex Tribu Nathan erat, nullis liberis ſuſceptis, è vita migrauit: eaque de cauſa Iacob, ipſius frater, qui ex Tribu Salomonis fluxerat, ipſius vxorem accepit, fratrique ſuo ſemen excitauit, ac Ioſephum progenuit. Ioſeph itaque natura quidem filius Iacob erat, à Salomone oriundus: legis autem ratione patrem habebat Heli, ex Nathan oriundum*. Et ex his patet

quam

quàm benè Ioſephi genealogiam vterque Euangeliſta narrauerit, Lucas legalem, Matthæus naturalem. Cùm ergo inquit Matthæus, Ioſeh filium fuiſſe Iacobi, intelligendus eſt de generatione reali & vera, qua quis de lūbis genitoris procedit: Cùm autem inquit Lucas, Ioſeph filium fuiſſe Heli, intelligendus eſt de filiatione legali, qua inter filios quis computatur, non qua natura filius gignitur. Quare ſic, ex Damaſceno, genealogiæ Chriſti arbor eſt erigenda: qua certè redarguitur omnis in contrarium præſumpta impoſſibilitas.

An verò ſic præciſè ordo genealogiæ ſe habeat, prout loquitur Damaſcenus: an autem alio conſimili modo nobis antiquitas id facit incertum. (ſalua tamen ſemper tanti Patris authoritate) Illud quidem certiſſimum eſt; genealogiam Chriſti ita ſe habere, quantum ad ea quæ ab Euangeliſtis explicantur: Nam Euangeliſtarum ſermo ex Spiritu ſancto eſt, in quo nulla poteſt eſſe mendacij ſuſpicio. Quod autem, vltra Euangeliorum oracula, ex Damaſceno adducimus; non ideo adducimus, quaſi aſſerentes, ita omnino genealogiam illam fuiſſe diſpoſitam: ſed quia ex Damaſceni diſpoſitione patet, nihil impoſſibilitatis contra Euangelia obijci poſſe: cùm, vel hac, vel ſimili diſpoſitione, genealogiæ Chriſti arbor verè potuerit ordinari, ad mentem, non vnius aut alterius dumtaxat Euangeliſtarum; ſed vtriuſque pariter; ita vt clarè pateat, neque Lucam, neque Matthæum, á veritate alienum eſſe.

Genea-


GENEALOGIAE XPI ARBOR
IESVS XPS.
MARIA
Mater
Putabatur Filius.
Genitor
Desponsata cum esset neptis in 4. gradu.
IOACHIN
IOSEPH
Fratres in tertio gradu.
Nepos in tertio gradu.
Legalis pater.
Genitor
BARPANTHER
Fratres Patrueles
HELI
Fratres Vterini
IACOB
Filius Vxoris.
Patruus
Genitor
PANTHER
Germani
MELCHI alias MATHAT
Vir vxoris eiusdē mortui
MATHAN
Genitor.
LEVI
Propinqui ex eadem Tribu et Familia.
ELEAZAR
Per hanc lineam.
NATHAN
Germani
SALOMON
Genitor
DAVID
Genitor.

Intentio autē Spiritus ſancti in narratione genealogiæ Chriſti erat, illum oſtendere filium Dauid, ut ſimul eſſe Meſſiam & Chriſtum in legē promiſſum, Abrahamo primùm, deinde Iſaac, poſtea Iacob, vltimò verò ipſi etiam Dauid, ut habetur in Geneſi cap. 18.22.26.28., & 49. Item Numerorum cap. 24. ſecundi Reg. cap 7. primi Paralipomenon cap. 17. Pſalmo ſecundo, Pſalm. 88, & Pſalm. 131, & alibi. Propterea ſatis fuit texere genealogiam Ioſeph, qui ſicut ſponſus, ita etiam & conſanguineus erat Virginis Mariæ. Oſtenſo igitur Ioſeph Dauidis filio, oſtenditur etiam & Dauidis filiam eſſe Mariam, & ex illa ortum Meſſiam. Quia autem ex duplici linea ad Dauid Meſſias referebatur, idcircò vnus Euangeliſta vnam, alter alteram (nequa ſileretur) recenſet. Non autem texitur genealogia Mariæ, ratione ſupra ex Ioanne Damaſceno allegata.

Eamdem reddit rationem S. Hieronymus lib. 1. Comment. in Matthęum, proponens difficultatem ſimul & ſoluens, ſic. *Quærat diligens lector & dicat: cùm Ioſeph non ſit pater Domini Saluatoris, quid pertinet ad Dominum generationis ordo deductus vſque ad Ioſeph? Cui reſpondebimus: primùm, non eſſe conſuetudinis Scripturarum, vt mulierum in generationibus ordo texatur. Deinde, ex vna Tribu fuiſſe Ioſeph & Mariam; Vnde ex lege eam accipere cogebatur, vt propinquam.*

Ex his ergo, tàm Hieronymi, quàm Damaſceni verbis, habemus, etiam ante Mahometi ortum, propoſitarum difficultatum ſolutionem; & benè genealogiam Chriſti vtrumque Euangeliſtam narraſſe, quamuis diuerſo modo. Benè etiam ad Ioſephum illam perduxiſſe, nec propterea à Chriſti genealogia alienam eſſe,

SECTIO II.

Reſpondetur ad ſecundam difficultatem.

Ab Abram ad Dauid generationes quatuordecim.

SEcundò difficultatem proponis in genealogia, prout ſolus texit Matthæus, putans malè enumeratas eſſe ab Abraham vſque ad Dauid generationes quatuordecim, & non eſſe niſi tredecim.

Reſpondeo, verè generationes quatuordecim computari: Prima enim generatio eſt ipſius Abraham, 2. Iſaac, 3. Iacob, 4. Iudæ, 5. Phares, 6. Eſron, 7. Aram, 8. Aminadab, 9. Naaſſon, 10. Salmon, 11. Booz, 12. Obed, 13. Ieſſe, & 14. cadit in ipſum Dauid.

Cùm ergo dicit Euangeliſta: *omnes itaque generationes ab Abraham vſque ad Dauid generationes* 14. incluſiuè loquitur, & includenda eſt vtriuſque generatio, tàm Abraham, quàm Dauid.

A Dauid vſq. ad transmigrationẽ Babylonis generationes quatuordecim.

A Dauid autem, cuius generationem iam computauerat, incipiendo ab eius filio Salomone, 14. etiam generationes enumerantur vſque ad tranſmigrationem Babylonis: prima enim eſt Salomonis, 2. Roboam, 3. Abię, 4. Aſę, 5. Ioſaphat, 6. Ioram, 7. Oziam (prætermiſſo Ochozia & duabus alijs, ratione prout infra) octaua Ioatham, 9. Achaz, 10. Ezechię 11. Manaſſes, 12. Amon, 13. Ioſiæ, 14. Iechoniæ, cuius tempore facta eſt tranſmigratio.

Quomodo à traſmigratione Babylonis vſque ad Chriſtum generationes quatuordecim.

Poſt tranſmigrationẽ Babylonis etiã 14. generationes ſunt: nempe 1. Salathiel, 2. Zorobabel, 3. Abiud, 4. Eliacim, 5. Azor, 6. Sadoc, 7. Achim, 8. Eliud, 9. Eleazar, 10. Mathan, 11. Iacob, 12. Ioſeph. Deeſſe videntur duæ generationes: At ſi genealogiæ arbor ſuperiùs deſcripta inſpiciatur, inuenientur vtique 14. generationes vſque ad Chriſtum: Supra enim in ea arbore oſtenſum eſt, Ioſephum Virum Mariæ fuiſſe fratrem, licèt in 3. gradu, Beati Ioachimi Patris Beatę Virginis: Ioachim enim & Ioſeph, erant filij duorum fratrum conſobrinorum, ſcilicet Ioachim filius Barpantheris, & Ioſeph filius legalis Heli, natura filius Iacob, qui erant ambo germani ex eodem

dem vtero, & Patrui conſobrini ipſius Ioachim; fratres ergo erant Ioſeph & Ioachim. At fratres recenſētur in eadem generatione, cùm in eodem gradu genealogiæ maneant, & non eſt inter fratres aſcenſus & deſcenſus: generatio autem ſumitur reſpectu deſcendentis & aſcendentis, patris & filij; non autem reſpectu fratrum, qui in eodem gradu locantur. Ergo Ioſeph & Ioachim in eādem cadunt generationem, tanquam fratres: diximus autem, à tranſmigratione Babylonis, Ioſephum incidere in duodecimam; ergo & in duodecimam etiam cadit Ioachim, frater Ioſephi in 3. Poſt Ioachim ſunt duæ, nempe generatio Mariæ, & generatio Ieſu Chriſti: ergo benè 14. generationes à Matthæo dicuntur: Nec enim Ioſeph & Maria accipiēdi ſunt tanquam cōprincipia generationis Chriſti, cùm ex ſola Virgine (nullo ſecundùm carnem patre) ſit progenitus. Et hæ duæ generationes explicantur illis Euangeliſtæ verbis: *Ioſeph Virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus. Ioſeph*, ecce erat duodecima generatio. *Mariæ* 13. prout explicatū eſt, 14. autem cadit in ipſum Chriſtum. Et hæc explicatio facit ad literam.

Præterea ſacræ Scripturæ non ſolùm eum ſenſum continent, quem literaliter loquuntur; ſed ſuis verbis ad altiora, myſtico etiam ſenſu, nos prouehunt. Quare Hilarius, ſanctiſſimus Vir, & inter Patres, qui ante Mahometi tempora fuerunt, clariſsimus, & eruditiſsimus, in Cōment. in Matthęū cap. 1. ſic inquit, myſticè hunc Matthæi locum intelligens. *Et vſque ad Mariam generationes* 14. *eſſe ſcribuntur, cùm in numero* 13. *reperiantur: nullus error eſſe poterit ſcientibus, non eam ſolùm eſſe Domino noſtro Ieſu Chriſto originem, quæ cœpit ex Maria, ſed in procreatione corporea Natiuitatis Aeternæ ſignificantiam comprehendi.* *Generationes 14. ſecundū Hilarium.*

Ergo, iuxta huius ſancti Patris mentem, cùm dicit Euangeliſta generationes 14. & non 13. voluit nos manuducere ad agnoſcendam duplicem in Chriſto generationem: nempe, non humanam ſolùm qua procederet ex Matre, factus homo; ſed generationem illam etiam, qua procederet ex Patre æternus Deus, iuxta illud Prophetæ, Pſalmo ſecundo: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Si ergo duodecima generatio eſt Ioſeph, decima tertia erit generatio Chriſti humana, quæ apparet exteriùs; 14. verò generatio Chriſti Diuina, ad quam contemplandam interiùs manuducere nos voluit Euangeliſta, dicens: *à tranſmigratione Babylonis vſque ad Chriſtum generationes* 14.

Generationes quatuordecim ſecundũ Auguſt.

Sanctus Auguſtinus alia incedit via ad explicandam Euangeliſtæ mentẽ lib. 2. De conſenſu Euangeliſtarum, cap. 4. dicens: *Vnus quippè in illis progeneratoribus bis numeratur, ideſt Iechonias, à quo facta eſt quædam in extraneas gentes deflexio, quando in Babyloniam tranſmigratum eſt. Vbi autem ordo à rectitudine flectitur, atque vt eat in diuerſum tanquam angulum facit: illud quod in angulo eſt, bis numeratur, in fine ſcilicet prioris ordinis, & in capite ipſius deflexionis.* Vndè hic ſanctus Doctor ea ratione, quam ſuis verbis tam perſpicuam facit, vult Iechoniam bis computandum, ante tranſmigrationem Babylonis cum priori ſerie, & poſt tranſmigrationem, tanquam incipientem aliam ſeriem: Vnde, computato Iechonia in prima generatione, Salathiel pro ſecunda, &c. per ordinem, Chriſtus ſola generatione humana complet 14.

Et quidem haùd dubium eſt fidelibus, omnes huiuſmodi ſenſus intentos à Spiritu ſancto fuiſſe: Vt ſcilicet oſtenderet Mariam cadere vna generatione poſt Ioſeph, cùm ipſe in eamdem cum Ioachimo, Virginis patre, generationem incideret. Voluiſſe item illam reflexionem, quam Auguſt. dicit de Iechonia propter tranſmigrationẽ, ſignificare. Inſuper & iiſdem verbis ſimul & ſemel duplicem Chriſti generationem, humanam & Diuinam, prout notauit Hilarius, indicare. Et ex his etiam patet, quonam modo ſint 42. generationes.

Cur à Mattheo tres generationes neglectæ.

Supereſt, vt rationem afferamus, cur ab Euangeliſta tres fuerint generationes neglectæ. Et cum Ioram genuerit Ochoziam, Ochozias verò Ioam, Ioas deinde Amaſiam, Amaſias verò immediatè genuerit Oziam; Euangeliſta, perinde ac ſi immediatè fuerit Ioram & non Amaſias Oziæ genitor, neglectis, Ochozia Ioa, & Amaſia, dicit Ioram genuiſſe Oziam. Huius rei rationem affert idem Hilarius, de quo ſuprà, 300. circiter annis ante Mahomet. Vt ſcias omnia hæc non eſſe noua, & non perſpecta & animaduerſa à Chriſtianis, longè ante hæc noſtra tempora. Hilarius ergo in Comment. in Matthæum can. 1. ſic inquit. *Conſequens illud eſt, vt quia diximus ſecundùm rerum fidem generationis iſtius ordinem, nec numero ſibi, nec ſucceſſione conſtare, huius quoque rei ratio afferatur; non enim leuis cauſa eſt, vt aliud in narratione ſit, aliud fuerit in geſtis; & aliud referatur in ſumma, aliud verò teneatur in numero; naquè ab Abrahã vſq. ad Dauid 14. generationes numeratæ ſunt: & à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonis in quibuſdam*

dam libris decem & ſeptem deprehenduntur . Sed in hoc non mendacij, aut negligentiæ vitium eſt; tres enim ratione prætæriti ſunt, nam Ioras genuit Ochoziam, Ochozias verò genuit Ioam, Ioas deinde Amaſiam, Amaſias autem Oziam; & in Matthæo Ioras Oziam genuiſſe ſcribitur, cùm quartus ab eo ſit: hoc ita, quia ex gentili fœmina Ioras Ochoziam genuit, ex Achab ſcilicet, qui Iezabel habuit vxorem. Denique, per Prophetam non niſi quarta generatione in throno regio Iſraelis quemquam de domo Achab eſſe ſeſſurum dicitur: purgata igitur labe familiæ gentilis, tribuſque prætæritis iam regulis, in quarto generationum conſequentium ordine numeratur. Hæc Hilarius.

Ratio ergo, quare non recenſuit Euangeliſta Ochoziam, Ioam, & Amaſiam, eſt odium impietatis Achab, cuius generationem omninò delendam comminatus eſt Deus per os Eliæ, vt refertur 3. Regum 21. num. 21. *Inducam ſuper te malum, & demetam poſteriora tua, & interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clauſum, & vltimum in Iſrael; & dabo domum tuam, ſicut domum Ieroboam filij Nabat, & ſicut domum Baaſa filij Ahia quia egiſti, vt me ad iracundiam prouocares &c.* Hic fuit peſſimus inter omnes Reges Iſrael, Idolorum cultui addictiſſimus, ita vt Scriptura dicat ibidem 3. Reg. 21. num. 25. *Non fuit alter talis ſicut Achab, qui venundatus eſt vt faceret malum in conſpectu Domini; concitauit enim eum Iezabel vxor ſua, & abominabilis factus eſt in tantum, vt ſequeretur Idola.* Erat autem Ochozias filius Athaliæ, filiæ Achab & Iezabel; vnde erat ipſi nepos, Ioas verò pronepos, Amaſias tandem ab Achab & Iezabel cadebat in 4. generationem; in 5. autem Ozias, in quo erat iam purgata labes gentilis familiæ: inſuper veluti extincta memoria Achab poſt quartam generationem: vſque ad hanc enim promiſerat Deus ſe viſitaturum iniquitatem parentum in filijs, vt Exod. 20. num. 5. *Non adorabis Idola, neque coles: ego ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartã generationem eorum qui oderunt me.* Hac ergo de cauſa, & propter odium tanti cultoris Idolorum, & propter odium gentilis familiæ, in texenda Chriſti genealogia ſiletur de tribus, & fit mentio de quarta poſt purgationem labis, vt ſupra ex Hilario.

Nec mendacij nota aliqua ibi eſt, cùm non ſolùm dici poſsit filius, à patre genitus, ſed etiam ab auis, & atauis vſque ad primum genitorẽ, quia quãuis auus, abauus, vel atauus, &c. non imme-

immediatè gignant, generant tamen mediantibus filijs, nepotibus, pronepotibus &c. Vnde benè potuit dicere Matthæus Ioram genuiſſe Oziam, cùm fuerit ab eius pronepote genitus. Eſtque frequens vſus in Scripturis, vt antiquiores, patres appellentur & genitores, vt patet in contextu ipſo 1. cap. Matth. dum dicit Chriſtum filium Dauid & filium Abrahæ, ſic dicens: *Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abrahã.* Et 4. Reg. c. 8. n. 26. Dicitur Athalia filia Amri, cùm eſſet neptis, prout conſtat eodem cap. num. 18. Vbi eadem Athalia dicitur filia Achab, qui erat filius Amri, vt habetur 3. Reg. cap. 16. num. 29. *Achab vero filius Amri regnauit ſuper Iſrael* &c. & ibi ter repetitur. Sed plura ad hoc adducere, eſt velle luci claritatem addere.

Cur à Luca inter Arphaxad & Sale generatio Cainan interpoſita.

Simili ratione ſoluitur difficultas, quam proponis ad Arphaxad, Cainan, & Sale: dicis enim, in Geneſi haberi, quòd Arphaxad genuerit Sale, apud Lucã autẽ Arphaxad ponitur pater Cainan, qui poſtea Sale genuiſſe narratur. Verum tamen vterque Scripturæ locus dicit, ſecundùm ipſius morem, quo non ſolùm parentes immediatos, ſed etiam mediatos, progenitores vocare ſolet; vt ſupra notauimus, quòd in eodem cap. 8. lib. 4. Reg. eadem Athalia & filia & neptis Amri dicitur. Quare autem ſiluerit Spiritus ſanctus in Geneſi de Cainan, quem poſtea explicauit per Lucam, poſſet eſſe aliquod myſterium, ſed quia non adeo hìc nobis magni momenti, propterea in hoc non immoramur: cùm in aliquibus codicibus legatur, etiam in Geneſi, de Cainan, vt etiam memini me legiſſe in codicibus quibuſdam Arabicis, qui ex verſione 70. Interpretum transũpti ſunt. Verùm hoc parum refert, & ſcriptura ipſa negligere videtur, dum eumdem nunc dicit filium, nunc verò nepotem; ſignificans non eſſe Scripturarum intentum, genealogiam dicere ſingulorum; ſed vt tantùm clariorum indicet virorum progeniem, Chriſti præſertim, vt pateat, promiſsiones Abrahamo, & Iſaac, Iacob, & Dauid, à Deo factas, in Chriſto fuiſſe completas: finis enim Scripturarum & legis, vt inquit Apoſt. Rom. 10. Chriſtus eſt. Nec error, aut vitium aliquod textus in hoc poteſt ſuſpicari, cùm ſimul conueniant Hebræi codices cum Latinis &c.

Dici item benè poteſt, Moyſen in Geneſi appoſuiſſe rei veritatem: Lucam vero rei exiſtimationem; prout ipſemet indicat ſuo modo loquendi: dicit enim, quod illius genealogiæ erat

talis

talis exiſtimatio : vnde vtitur termino, *putabatur*, in Latino, & in Grçco etiam ὡς ἐνομίζετο *vt exiſtimabatur*, in textu Arabico habetur وكان يظن ideſt : *Et exiſtimabatur* : Et non vtitur in ea genealogia Lucas aliquando verbo aliquo indicante realem generationem. Quare potiùs rei exiſtimationem apud homines talem teſtatur fuiſſe, vt Chriſtus putaretur filius Ioſeph, qui putabatur filius Heli &c. Et Sale putaretur filius Cainan, & hic rurſus putaretur filius Arphaxad: cùm reuera Sale eſſet immediatè filius Arphaxad. Et quidem verum eſt eam fuiſſe exiſtimationem, præſertim apud eos ad quos ſcripſit Lucas Euangelium, nempe ad Grçcos, qui verſione 70. Interpretum vtebantur, in qua per errorem generatio Cainan interpoſita erat Sale ac Arphaxad. Veritatem ergo loquutus eſt Moyſes in Geneſi prout habet textus Hebræus & vulgatus Latinus, ſine interpoſitione Cainan: nec propterea mentitur Lucas, quia ipſe teſtatur, ſuo modo loquendi, ſe in ea genealogia non narrare rem ipſam, ſed tantummodò ipſius rei exiſtimationem: quod verum eſt; nam talis erat apud Græcos exiſtimatio. Non eſt igitur in ſacris Scripturis contradictio.

SECTIO III.

Reſpondetur ad tertiam difficultatem.

TErtiò, circa ſeriem quam texit Matthæus, quoad genealogiã, obijcis etiam, Naaſſon & Salmon non fuiſſe terrã promiſsionis ingreſſos; ea ſcilicet ratione, quia illã intraſſe ſolos Ioſue & Caleb, ex iјs qui ex Aegypto diſceſſerant, Scriptura teſtetur: & propterea Salmon non potuiſſe ex Rahab, vrbis Ierico meretrice, Boozẽ generare; quare Matt. falſa videtur proferre, dum dicit : *Salmon autem genuit Booz de Rahab.*

Nahaſſon terram promiſſionis non eſt ingreſſus, ſed Salmon, eius filius.

Reſpondetur: quod pertinet ad Naaſſon, re vera non fuiſſe terram promiſsionis ingreſſum: quoad Salmon verò, filium eius,

eius, falſum eſt. Cùm autem Scriptura dicit: nullum ex his, qui ex Aegypto abſceſſerant, promiſsionis terram intraſſe: intelligenda eſt de ijs tantùm, qui erant viri viginti annorum, & ſupra, tempore diſceſſus: vt habetur Num. c.14.v.29. his verbis. *In ſolitudine hac iacebunt cadauera veſtra, omnes, qui numerati eſtis à viginti annis, & ſuprà: & murmuraſtis contra me: non intrabitis terram, ſuper quam leuaui manum meam, vt habitare vos facerem, præter Caleb filium Iephone, & Ioſue filium Nun*. De minoribus autem viginti annorum non intelligitur, imò contrarium dicit ibi ſacra Scriptura, ſic immediatè ſubdens. *Paruulos autem veſtros, de quibus dixiſtis, quòd prædæ hoſtibus forent, introducam; vt videant terram, quæ vobis diſplicuit. Veſtra cadauera iacebunt in ſolitudine. Filij veſtri erunt vagi in deſerto annis* 40.&c. Hæc ſunt ſacræ verba Scripturæ; ex quibus patet, non ſolùm Ioſue & Caleb terram promiſſionis intraſſe; ſed etiam eos, qui nati ſunt in deſerto, & qui ex Aegypto egredientes minores erant 20. annorum. Cùm ergo dicitur ſolos Ioſue & Caleb ingreſſos, intelligitur de maioribus viginti annorum: Quia Ioſue & Caleb viginti annos exceſſerant, dum Deus iratus eam pœnam Iſraelitis omnibus eſt comminatus: at immunes illos duos fecit, quia non peccauerunt illo murmurationis crimine. Conſtat etiam ex primo c. Num. ℣.6. quòd Naaſſon de Tribu Iuda, pater Salmonis, impleuerat 20 annos, dum eſt egreſſus cum cæteris de Aegypto, Moyſe duce; ſic .n. ibi habetur ab initio capitis. *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen in deſerto Sinai, in tabernaculo fœderis, prima die menſis ſecundi, anno altero egreſſionis eorum ex Aegypto, dicens: Tollite ſummam vniuerſæ congregationis filiorum Iſrael per cognationes & domos ſuas, & nomina ſingulorum, quicquid ſexus eſt maſculini à vigeſimo anno & ſupra, omnium virorum fortium ex Iſrael; & numerabitis eos per turmas ſuas.* Deinde in enumeratione hæc leguntur: *Quorum iſta ſunt nomina. De Ruben, Eliſur filius Sedeur. De Simeon, Salamiel filius Suriſaddai. De Iuda, Naaſſon filius Aminadab &c.* ergo Naaſſon eſt ille, qui egreſſus eſt de terra Aegypti: filius autem eius Salmon minor viginti annorum tunc temporis, ingreſſus terram promiſsionis, vxorē habuit Rahab, & ex ea genuit Booz, vt benè & verè Spiritus ſanctus, qui non niſi veritatem proloqui poteſt, per os Matthæi Apoſtoli & Euangeliſtæ eſt proloquutus. Quæcumque autem aliter enarrent hiſtoriæ, apo-

crypha

cryphæ ſunt, & falſa loquuntur. Nullæ autem tales hiſtoriæ approbati Authoris aſſignari poſſunt; ſed gratis effinguntur. Anni autem, qui ab egreſſu ex Aegypto vſque ad Dauid prolapſi ſunt, ad ſummam 400. non peruenerunt; ſed fuerunt tantùm circiter ad 356. Sic referunt probatiſſimi Chronologi.

SECTIO IV.

Reſpondetur ad quartam difficultatem.

QVartò diſſenſum obijcis inter Euangeliſtas, ex Matthæi ſect.8. & Marci ſect. 2. Lucæ ſect. 14. & Ioannis ſect. 3. ſecundùm textum Arabicum Romæ excuſum, qui circa vocationem Petri & Andreæ, diſparata loquuntur: nam Marcus & Matthæus dicunt, quòd ambulans Ieſus iuxta Mare Galilææ, vocauit eos; Lucas autem dicit, quòd vocauerit dum eſſet in Petri nauicula; Ioannes verò dicit, quòd Petrus fuerit ab Andrea ad Ieſum adductus. Ergo diſſentiunt, & Euangelia ab integritate deficiunt.

Non eſſe diſſenſum inter Euangeliſtas de Petri & Andreæ vocatione.

Hanc difficultatem ſoluit Auguſt. lib. 2. De Conſenſu Euangeliſt cap. 17. ſic: *Quæri poteſt, quomodo binos vocauerit de nauiculis piſcatores: primò Petrum & Andream, deinde progreſſus paululum alios duos filios Zebedæi, ſicut narrauit Matthæus & Marcus; cùm Lucas dicat, ambas eorum nauiculas impletas magna illa captura piſcium, ſocioſque Petri commemorat Iacobum & Ioannem, filios Zebedæi, vocatos ad adiuuandum, cum retia extrahere plena non poſſent; ſimulque miratos tantam multitudinem piſcium, quæ capta erat, & cum Petro tantùm dixiſſet; Noli timere ex hoc iam homines eris capiens, ſimul eum tamen ſubductis ad terram nauibus ſecutos fuiſſe. Vndè intelligendum eſt, hoc primò eſſe factum, quòd Lucas inſinuat; nec tunc eos à Domino vocatos; ſed tantùm Petro fuiſſe prædictum, quòd homines eſſet capturus; quod non ita dictum eſt quaſi iam piſces numquam eſſet capturus; nam & poſt reſurrectionem Domini legimus eos eſſe piſcatos. Dictum eſt ergo, quòd deinceps capturus eſſet homines; non dictum eſt, quòd iam non*

eſſet capturus piſces. *Vnde datur locus intelligere, eos ad capturam piſcium ex more remeaſſe, vt poſtea fieret quod Matthæus & Marcus narrant; quando eos binos vocauit, & ipſe iuſſit vt eum ſequerentur, primò duobus, Petro & Andreæ, deinde alijs duobus filijs Zebedæi: tunc enim non ſubductis ad terram nauibus, tamquam cura redeundi; ſed ita eum ſecuti ſunt, tamquam vocantem, ac iubentem vt eum ſequerentur*. De Petro autem ducto ab Andrea ad Ieſum, pro vt refert Ioannes, ibi etiam Auguſtinus circa initium Capitis.

Vt autem benè explicentur omnia, quæ ad ſacras Scripturas ſpectant, & præcipuè ad Euangelia, cùm quatuor Scriptores fuerint, qui illa conſcripſerunt; aduertendum eſt, non omnes narrare ſingula, ſed aliquem hæc narrare, illa verò ſilentio præterire: quamuis etiam complura omnes quatuor narrent, aliqua tres, aliqua duo, aliqua verò vnus. Nec tamen ſilentium iſtud eſt mendacio imputandum: Euangeliſtæ enim non ſibi munus aſſumpſerunt ſingillatim narrandi omnia geſta à Chriſto, ſed tantùm geſta aliqua. His poſitis, benè intelligitur, quonam modo procedant in narratione vocationis Apoſtolorum. Ioannes enim primò capite, ſeu ſectione tertia in textu Arabico, Id quod primò geſtum eſt commemorat; priùs enim Andreas venerat ad Chriſtum, edoctus à Ioanne Baptiſta, & ipſe adduxerat Petrum ad Chriſtum, qui tunc ei nomen Petri ſeu Cephæ impoſuit, cum priùs Simon diceretur, dicens, *Tu vocaberis Petrus*, ſeu *Cephas*: deinde receſſerũt Apoſtoli; nõ enim tunc adhæſerant ei, ſemper ſecuturi. Secunda vice accidit quod narrat Lucas, quando ſubductis ad terram nauibus ſecuti ſunt eum, regreſſuri tamen ad piſcationem & naues; cum illas ad terram ſubduxerint, tamquam de illis ſoliciti. Tertiò tandem accidit quod Matthæus & Marcus referunt, quando ambulans iuxta mare Galileæ, prius vidit Petrum & Andream; deinde Ioannem & Iacobum, & vocauit eos; qui ſtatim, ſpretis omnibus, naues non curantes nec retia, ſecuti ſunt eum, non amplius receſſuri. Ecce quomodo ex omnibus Euangeliorum Scriptoribus non ſolùm res & Apoſtolorum vocatio; ſed etiam modus & vocationis ordo deducitur.

S E C T I O V.

Reſpondetur ad quintam difficultatem.

Quomodo omnis prophetia in Ioan. Baptiſta finierit.

QVintò, ſuſpicionem aſſeris facere de Euangeliorum adulteratione in Mahometanorum mente locum alium, in quo Chriſtus dixiſſe narratur, quòd omnis prophetia terminata eſſet in Ioanne Baptiſta: cùm è contra alibi etiam in Euangelio dicat, ſe miſſurum Prophetas, & Scribas. Quomodo ergo dici poterat à Chriſto vltimus Propheta Ioannes, cùm poſt illum alios Prophetas eſſet miſſurus?

Reſpondetur, Dum Chriſtus dixit ſe miſſurum Prophetas, verum vtique dixit, quia re vera poſt Chriſtum complures Sancti & Iuſti futura prænuntiarunt. Hi tamen non dicuntur Prophetæ; ſed potiùs illos dicimus Spiritum habuiſſe propheticum: Prophetas autem illos tantùm dicimus, qui per antonomaſiam & excellentiam quandam dici poſſunt Prophetæ: & hi tantùm ſunt, qui maximum illud Incarnationis myſterium prænuntiarunt; hoc enim præcipuum & excellentiſſimum Dei fuit Orbi promiſſum, & ex hoc vno vniuerſa pendebant, ita vt cætera, vel nulla ſint, vel ſi quæ bona ſunt, inde dependeant. Propterea Dei Incarnationem prænuntiantes, propter boni excellentiam quod prædicebant, excellens Prophetæ nomen meruerunt. Cùm ergo Chriſtus Matth. 11. n. 13. dicit: *Omnes enim Prophetæ, & lex, vſque ad Ioannem prophetauerunt.* Intellexit Prophetæ nomen ſtrictè & ſecundùm explicatam ſignificationem: ita etiam cùm dicit, Ioannem vltimum eſſe Prophetam, quia ſcilicet iam viuente ipſo aderat Chriſtus: illudque excellentiſſimum bonum à Deo promiſſum, quod ipſe erat, Ioannes digito indicauit dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, &c. vt habetur Ioan. 1. Cùm autem dicit Chriſtus, ſe miſſurum poſt Ioannem Prophetas, nomen Prophetæ latiori accepit ſignificatione, pro his qui Spiritum habituri erant propheticum; nec arctiori illa ſignificatione dici poterant vlteriùs Prophetæ, quia illud maximum bonum iam traditum erat hominibus, nec erat in poſterum tribuendum.

Ad illud quod addis, in vno loco Ioannem ſe negare Pro-

 phetam,

phetam, quem Chriſtus vocat, non ſolùm Prophetam, ſed etiam pluſquam Prophetam, alio in loco. Et propterea de adulteratione notas Euangelia.

Reſpondeo, non propterea poſſe de adulteratione Euangelia notari. Quia, conſideratis quibuſdam Prophetæ conditionibus, Ioannes dici poteſt Propheta; attentis alijs, poteſt etiam negari Propheta. Inſuper, quibuſdam alijs inſpectis, poteſt dici pluſquam Propheta. Et quidem Propheta is dicitur, qui futura prædicit: at Ioannes non prædicebat futura; ſed indicabat præſentia, nempe Chriſtum Meſſiam, & hac ratione ſe potuit negare Prophetam: immo, quia nomen Prophetæ ſecum etiam trahit ſanctitatis nomen, & gloriam: Ioannes autem agnoſcens ſibi ſanctitatem non eſſe connaturalem, non proprijs viribus conquiſitam, ſed Dei gratia adeptam, & infuſam: non mendacij vitio, ſed humilitatis affectu, ſe negauit Prophetam. Quia autem Propheta non ſolùm is dici poteſt, qui futura prænuntiat; ſed is etiam, qui præſentia intuetur, cùm ſint abſcondita, ſolique Deo patentia; vt cogitationes cordium, ſanctitas, gratia, & ipſamet Diuina Incarnatio, & myſterium hypoſtaticæ vnionis, qua in vnam perſonam Deus & homo conueniunt: Ioannes verò agnoſcebat, Chriſtum Deum & hominem eſſe, & cæteris prædicabat; propterea, cùm myſterium ſoli Deo cognitum agnoſceret, quamuis præſens, non futurum, poterat dici ea ratione Propheta. Immo, quia multi Prophetæ concupierunt hoc myſterium videre, & habere præſens quod prænuntiabant futurum, prout Iſaias cap. 16. hoc ardens deſiderio clamabat, dicens: *Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ*; & alibi paſſim. Similiter & cæteri Prophetæ, vt ipſe Chriſtus Lucæ 10. ſeu ſect. 39. teſtatur dicens: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis, dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt*. Non ergo viderunt, quod cupiebant; ſed à longè aſpexerunt: Ioannes autem & cognouit, & vidit, & manibus contrectauit; propterea non ſolùm Propheta, ſed plus quàm Propheta à Chriſto dici potuit: Inſuper, quia etiam omnes Prophetas ſanctitate excederet; ſicut Chriſtus Matth. 11. ſeu ſect. 30 teſtatur. *Non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta inter natos mu-*

tos mulierum: Propter ſanctitatis exceſſum, potuit plus quàm Propheta dici.

SECTIO VI.

Reſpondetur ad ſextam difficultatem.

SExtò, vitium adnotas eſſe in Euangelio, dum legitur, à Chriſto dictum Matthæi 11. ſeu ſectione 30. *Venit Ioannes non manducans, neque bibens, &c.* cui contradictorium exiſtimas illud, quod à Marco de eodem Ioanne narratur cap. 1. manducaſſe locuſtas & mel ſilueſtre. *Quomodo dici poſſet, Ioannem Baptiſtam non mãducare neque bibere.*

Ad hoc dat reſponſionem communis modus loquendi, quo ſolemus eum, qui parùm aut inſuetos comedit cibos, dicere non comedere neque bibere. Quia ſcilicet humanos cibos, ſicut alij, non comedit. Inſuper & hoc etiam dixit Chriſtus, vt à conuerſatione & more ſuo Ioannis morem & conſuetudinem contradiſtinguens, Phariſæorum obiurgaret peruicaciam; quia cùm ſimul ambo Prophetæ cenſerentur à populo, tàm Chriſtus, quàm Ioannes; & Ioannes ſegregaret ſe à populis, tanta ſe abſtinentia ſpectabilem reddens; Chriſtus communem cum cæteris ſeruaret conſuetudinem in comedendo: ipſi, ſiue Propheta abſtinente, ſiue Propheta communem vſum ſeruante, nulla ratione ad bonum trahi poſſent. Propterea Chriſtus illos redarguens dicebat: *Venit Ioannes non manducans neque bibens, & dicunt dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax & potator vini.* Eiuſmodi verbis Matth. 11. num. 18. exprobrabat Phariſæis Chriſtus incredulitatem, & cordis duritiem, quæ, nec aſperitate, nec comitate, emolliri poſſet.

Nec propterea maior ſanctitas Ioanni Baptiſtæ tribuitur, quàm Chriſto, dum dicitur, illum abſtinuiſſe, & in veſtitu & victu aſperiorem fuiſſe; quia ſanctitas non eſt poſita *Sanctitas nõ præcipuè in abſtinentia à cibo & potu.*

poſita in vitæ aſperitate, in abſtinentia à cibo & potu; ſed in maiori charitate, & gratia abundantiore. Abſtinentia autem & vitæ aſperitas etiam in peccatore reperiri poſſunt: quot Philoſophi, & Idololatræ Ethnici, & vitijs, plerìſque alijs criminibus obnoxij, omni vitæ voluptate ſponte caruerunt, & ſe veſtitus ac victus aſperitate vexauerunt? nec tamen propterea Sancti aut Iuſti fuerunt. Sicut nec Sancti dicendi ſunt illi, qui filios aut filias Idolis immolauerunt. Verum eſt, in Sanctis maiorem vitæ aſperitatem eſſe excellentioris ſanctitatis indicium; non autem eſt infallibile, & certum.

Decebat autem Chriſtum communem hominum conſuetudinem ſeruare in comedendo, & bibendo, & in vniuerſis quæ ad vitæ vſum pertinent. Si enim aliter feciſſet, & exempla vitæ eius nimiam aſperitatem præſetuliſſent, ſicut in Ioanne Baptiſta, complures in deſperationis barathrum prolapſi potius fuiſſent, quàm ad imitationem excitati; vel corporis imbecillitate, vel animi tenuitate. At, communi hominum conſuetudine, ea quæ vitæ neceſſaria erant corpori miniſtrans, omnibus in vniuerſum vitæ viam planam reddidit & apertam. Nec tamen propterea deſtitit aliquando robuſtioribus aſperioris vitæ exempla præbere: nam & ieiunauit, quadraginta diebus cibo abſtinens, & quadraginta noctibus inſomnis perſiſtens; in deſerti aſperitate labores inediam vigiliaſque perferens: nunc fatigatus ex itinere ſic ſedens ſuper fontem: nunc pernoctans in oratione: nunc iterfaciens per Ciuitates & Caſtella, euangelizans & prædicans: vt ſcilicet omnibus, cuiuſcumque conditionis, virtutis exempla præberet.

SECTIO VII.

Reſpondetur ad ſeptimam difficultatem.

Qua ratione Petrus à Chriſto nunc beatus, & mox deinde Satanas appellatus.

SEptimò, adulterationem eo loci ſuſpicaris Euangelij, cùm Petrus à Chriſto hic dicitur Beatus, alibi autem in eodem Euangelio Satanas appellatur. Quomodo ergo hæc ſibi

ſibi conſtant, vt Petrus Diabolus ſimul dicatur & Beatus?

Hanc difficultatem, priuſquàm intellectum tuum, noſtraſque aures perſtringeret, ſoluit Auguſtinus Tom. 10. ſer. 13. De verbis Domini, cui titulus præfixus eſt: *De Domino Chriſto ambulante ſuper aquas maris, & Petro titubante*, in Euangelium ſecundùm Matth. Verba Auguſtini ſunt hæc: *Ipſe Petrus paulò ante Beatus: poſtea Satanas in momento, vno infra pauca verba miraris differentias? attende cauſas. Quid miraris quia paulò ante Beatus, poſtea Satanas? Attende cauſam, quare Beatus: quia tibi non reuelauit caro & ſanguis, ſed Pater meus qui in Cælis eſt: Ideo Beatus, quia tibi non caro & ſanguis hoc tibi reuelaret de tuo &c. Sed Pater meus qui in Cælis eſt, de meo non de tuo. Ecce audiſti cauſam, quare Beatus, & quare Petrus. Quare autem illud quod horreſcimus, & repetere nolumus?* (ideſt Satanas) *quare niſi quia de tuo? non enim ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ ſunt hominum. Hoc intuentes nos, Eccleſiæ membrum diſcernamus, quid de Dei, & quid de noſtro.* Hæc Auguſt. ibi. Et tom. 9. ſerm. *De 4. feria, ſiue cultura agri Dominici*, circa medium, ſic ait: *Hanc tamen amiſſionem decoris huius timuit Petrus, quando renuntianti Domino paſſionem ſuam dixit; Abſit à te Domine, propitius tibi eſto, ne fiat illud. Sed ille talia ſapientem increpauit, & Apoſtolum diabolum vocauit dicens: Redi retrò Satana, non enim ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ ſunt hominum. Exiſtimauit enim Petrus, totam illam Diuinitatis pulchritudinem aſſorberi potuiſſe in corporis humani ſpecie, & neſciebat agi illud magnum ſacramentum, quòd propterea ſe illam pulchritudinem quodammodo expoliaret, & ſibi coniungere dignabatur ſponſam Eccleſiam; vt eandem ipſam pulchritudinem ipſa veſtiret. Non enim dando perdebat illud, quod erogando creſcebat.* His ergo Auguſtinus ibi ſignificat, qua ratione potuerit Petrus dici, primò Beatus, deinde Satanas: nempe propter diuerſa quæ protulerat; priùs enim agnoſcens Chriſtum Deum confeſſus eſt dicens: *Tu es Chriſtus filius Dei viui:* Et propterea tunc Beatus dictus eſt, cùm tantum myſterium Deo reuelante cognoſceret: at deinde aliud humanæ redemptionis myſterium ignorans; Chriſtum à paſſione & morte retrahere conatus; ne ſacrificium illud, quod in hominum redemptionem & peccatorum expiationem Patri erat oblaturus, offerret; tantum bonum impediturus; prop-

terea dictus eſt Satanas, ideſt aduerſarius. Petrus enim tamquam aduerſarium ſe Chriſto præbebat, cùm diceret: *Abſit hoc à te Domine, &c.* Chriſtus namque, mandatum à Patre ſe accepiſſe, fuerat teſtatus; mandatum, inquam, de ſubeunda morte in peccatorum humani generis expiationem: eiuſq. præcepti fit mentio Iſaiæ cap. 53. num. 10. *Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate: ſi poſuerit pro peccato animam ſuam videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quòd laborauit anima eius, videbit & ſaturabitur: in ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit. Ideo diſpertiam ei plurimos: & fortium diuidet ſpolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt: & ipſe peccata multorum tulit.* Sic Iſaias Patris præceptum Chriſto datum refert. Et ipſe Chriſtus Ioannis 10. ſeu ſect. 23. referens hoc ſibi præceptum exequendum, ſic inquit: *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, vt iterum ſumam eam; nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à me ipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam; & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam: hoc mandatum accepi à Patre meo.* Dictus ergo eſt Petrus Satanas tunc, quia omnis qui impedire tentat, ne præceptum Dei fiat, benè Satanas & diabolus dici poteſt; ſicut è contra is, qui Dei myſteria perſpicit, poteſt dici beatus.

Apoſtoli Chriſti antea imperfecti & rudes: poſtea per Spiritum ſanctum omnium virtutũ ſplendoribus inſigniti.

Nec verò hæc Petri imperfectio, & ſimilia; immo & grauiora, quæ dici poſſunt, tàm de Petro, quàm de cęteris Chriſti Diſcipulis, antequam Spiritus ſancti virtute roborarentur: nam & Petrus negauit Chriſtum, & omnes Apoſtoli inter hoſtium manus eum relinquentes fugerunt. Immo & Iudas eum vendidit, & tradidit; & deſperatione ductus ſemetipſum ſuſpendit, & ſuſpenſus crepuit medius, qui fuerat antea Apoſtolus. Hæc, inquam, nihil faciunt ad ſuſpicionis notam inurendam loco Scripturæ illi, in quo Chriſti Diſcipuli filij Dei appellantur. Quia in tantum quis Dei filius dicitur, in quantum Dei Spiritu ducitur; & tamquam filius Dei mandata cuſtodit: cùm autem quis Dei præcepta non ſeruat, & peccando tranſgreditur, de Dei filiatione in diaboli ſeruitutem cadit; nec Dei filius ampliùs dici poteſt, niſi ad præceptorum cuſtodiam per pœnitentiam denuò conuertatur, cum voluntatis propoſito, ſe ad peccata non am-

pliùs

plius regreſſurum. Sic per Ezechielem Prophet. c. 18. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iuſtitiam, vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor.* Et poſt pauca. *Si autem auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, numquid viuet? Omnes iuſtitiæ eius, quas fecerat non recordabuntur: in præuaricatione, qua præuaricatus eſt, & in peccato ſuo quod peccauit, in ipſis morietur &c.* His ergo patet, quomodo idem vir, modo peccans, modo pœnitens, nunc Dei præcepta ſeruans, nunc transgrediens, dici poſſit filius, vel non filius Dei. Talis nāq; filiatio nō propria & naturalis eſt; ſed metaphorica: quia ſicut filius patris præcepta ſeruat & ſeruare tenetur; ita qui Dei præcepta ſeruat, commutatis terminis, Dei filius dici poteſt: ſic Apoſtoli & Diſcipuli Chriſti, Dei præcepta ſeruantes, filij appellantur. Dei autem præcepta tranſgredientes, tali nomine non cenſentur. Vnde Iudas ille Iſcariotes, ſi quando Dei præcepta ſeruaret, tunc Dei filius dici potuiſſet: at deinde filius Dei nequaquam dici potuit, cùm impœnitens, & in deſperatione deceſſit. Cæteri autem Apoſtoli, qui poſt lapſum ad pœnitentiam redierunt, redeundo, ſimul nomen filij receperunt.

Nec, Apoſtolos dicere peccata aliquando perpetraſſe, infert, illos deinde ſummæ perfectionis viros eſſe non potuiſſe, quia homo eſt vertibilis naturæ; non eſt, ſicut quidam aſſerunt de Angelis, quòd poſtquam ad vnam partem deflexerunt, ampliùs non valent in contrariam inclinari: Homo autem nunc odit, nunc diligit, nunc peccat, nunc ad iuſtitiam redit, & poteſt ad libitum poſt determinationem vnius decernere oppoſitum, decretum iam factum retractare: non ergo mirum ſi Apoſtoli priùs peccatores dicantur, deinde viri excellentiſſimæ ſanctitatis. Peccatores quidem ante Spiritus ſancti aduentum: perfecti verò & Sancti poſt quàm fuerunt Spiritu ſanctitatis imbuti. Nec enim homini connaturalis eſt ſanctitas, vt proprijs viribus illam aſſequatur, ſed ſupra naturam, ſupra vires; nonniſi diuina cooperante virtute. Vnde Gregorius Papa Hom. 30. in Euang. ſic inquit: *Cælorum ergo virtus de Spiritu ſumpta eſt, quia mundi huius poteſtatibus contraire non præſumerent: niſi eos ſancti Spiritus fortitudo ſolidaſſet. Quales*

M *namque*

namque Doctores ſanctæ Eccleſiæ ante aduentum huius Spiritus fuerint ſcimus, & poſt aduentum illius cuius fortitudinis facti ſunt conſpicimus. Certè ipſe Paſtor Eccleſiæ, ideſt Petrus, *quantæ debilitatis, quantæque formidinis ante aduentum Spiritus fuerit, Ancilla oſtiaria requiſita dicat. Vna enim mulieris voce perculſus, dum mori timuit, vitam negauit. Sed vir iſte tantæ formidinis, qualis poſt aduentum Spiritus exiſtat audiamus. Fit conuentus Magiſtratus atque Seniorum, cæſis denuntiatur Apoſtolis; ne in nomine Ieſu loqui debeant: Petrus magna auctoritate reſpondet: obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.* Sancti ergo, & perfecti virtute, euaſerunt Apoſtoli per aduentum Spiritus ſancti, die decimo poſt Chriſti in cælum aſcenſionem, prout Act.2. narratur. Et ex tunc roborati Spiritu, & gratia ſolidati, totum orbem ſanctitatis lumine colluſtrarunt, prout in lib. Act. etiam refertur. Antea autem in aliqua peccata prolapſi ſunt, vt in Euangelio habetur. Hanc autem virtutem in Apoſtolis non antea perficiendam, quàm eos Spiritus ſancti gratia roboraret, ſignificauit Chriſtus illis verbis Io.c.19. & in tex. Arab ſect 35. *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò; cum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Et in Euang. Lucæ, circa finem. *Et ego mitto promiſſum Patris mei in vos. Vos autem ſedete in ciuitate quoadùſque induamini virtute ex alto.* His ergo Chriſtus ſignificauit Apoſtolos nondum fuiſſe virtutis robore ſolidatos; ſed tunc ſolidandos, cùm Spiritus ſanctus adueniret: propterea eos iuſſit ab vrbe Hieroſolyma non diſcedere, vſque dum poſſent, Spiritus virtute muniti, mundi pericula non timere; & propterea ipſi, Iudæorum inſidias timentes, ſemper in vnum collecti perſtiterunt vſque ad Spiritus ſancti aduentum, prout primo & ſecundo cap. Act. habetur. & Ioann. cap.20. num. 19. ſeu ſectione 44.

Non mirum ergo, ſi & pleraque alia de Apoſtolorum imperfectione obijci poſſunt; ſicut & obijcis: Petrum ſignificaſſe Chriſtum mendacem, cùm ei ſibi dicenti, ſe negaturum, reſpondit: *Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor*: licèt hoc non dixerit Petrus, tamquam intendens Chriſtum de mendacio notare: ſed potiùs fuit quidam animi affectus erga Chriſtum, cuius impulſu in illa verba prorupit, ſignificans vehementem ſui amoris propenſionem erga eum, propter quã

in

in nullis periculis ſe ab illo confidebat receſſurum, ſuam non conſiderans imbecillitatem.

Neque id minuit de Chriſti magiſterio; neque arguit, quòd non potuerit Chriſtus ſuis præceptis & inſtitutionibus Apoſtolos ſuos in diſciplina dirigere: Quia id non ideo eſt factum, quòd non potuerit, ſed quòd noluerit: ipſe enim, prout inquit Salomon Sap.8. *Diſponit omnia ſuauiter*, per conuenientia media. Conuenientius autem fuit, Diſcipulos poſt mortem & paſſionem in ſanctitate roborari, quàm priùs; vt notum fieret, ſe ſua morte & paſſione ſanctitatis gratiam diſcipulis promeritum eſſe: ſi enim ante mortem illos in ſanctitate ſtatuiſſet, mors Chriſti & paſſio ad gratiam promerendam neceſſaria minimè viſa fuiſſet.

Conueniens fuit, Chriſti diſcipulos poſt paſſionē eius perfici ſanctitate, & non antea.

SECTIO VIII.

Reſpondetur ad octauam, nonam, decimam, & vndecimam difficultatem.

OCtauò, Vitium putas in Euangelia irrepſiſſe eò quòd dicunt ex vna parte, Chriſtum eſſe Deum, & ex alia Ioan. ſect.2. aſſerunt, Deum inuiſibilem eſſe, dicentia: *Deum nemo vidit vnquam.* At Chriſtum omnes, dum in terris verſaretur, videre poterant. Ergo neceſſe eſt in alterutra propoſitione Euangelia vitiata fuiſſe; non enim vtraque propoſitio vera eſſe poteſt, cùm ſint virtualiter contradictoriæ.

Chriſti diuinitas inuiſibilis, quamuis eius viſibilis eſſet humanitas.

Reſpondeo, neutram partem poſſe de falſitate notari, nec eſſe contradictionem aliquam: in Chriſto enim duas agnoſcimus naturas (vt infra explicabimus, agentes de Chriſti diuinitate) humanam & diuinam. Erat viſibilis Chriſtus & à cunctis videri poterat, dum in terra verſaretur, quoad naturam humanam: inuiſibilis verò quoad naturam diuinam, quæ cùm ſpiritualis ſit, corporeo intuitu cerni non poteſt. Hoc autem in vno etiam puro homine accidit, qui cùm ex anima & corpore conſtet, quoad corpus (cùm ſit materiale) corporeis oculis videtur,

detur, quoad animam verò, cum ſit ſpiritualis, corporeis oculis non videtur; niſi in quantum effectus corporeos in materia operatur. Quid mirum ergo ſi vtrumque dici poſsit de Chriſto?

Quomodo accipiendum illud Christi: Teſtimonium meum non eſt verum.

Nonò Etiã vitium ſuſpicaris in Euangelio, cùm Ioãnis ſect. 12. inducitur Chriſtus ſic dicens. *Si ego teſtimonium perbibeo de me ipſo teſtimonium meum non eſt verum, alius eſt qui teſtimonium perhibet de me.* Huic loco contradictorium putas alium ſec. 20. eiuſdem Ioannis, vbi Chriſtus ſic loquitur. *Et ſi ego teſtimonium perbibeo de me ipſo, teſtimonium meum verum eſt, quia ſcio vnde veni.* Quomodo ergo, inquis, ſibi conſtant hæc duo. *Teſtimonium meum eſt verum*: &, *teſtimonium meum non eſt verum?*

Reſponſio habetur ex contextu. In priori enim loquebatur Chriſtus conditionaliter, ex ſuppoſitione falſæ opinionis, quam de Chriſto ipſo habebant Iudæi, exiſtimantes illum non eſſe Deũ; ſed purum hominẽ: poſita ergo illa conditione, benè ſequebatur; teſtimoniũ Chriſti non eſſe verum, duplici de cauſa. Vna eſt, quia ipſe ſe dicebat Deum; poſita autem illa opinione Iudæorum; falſum vtique fuiſſet, quia illi exiſtimabant, Chriſtum aſſerentem ſe eſſe Deum, non eſſe niſi purum hominem. Altera cauſa eſt, quòd poſita illa conditione & falſa exiſtimatione Iudæorum; nempe quod Chriſtus purus homo eſſet, non Deus: cum in Pſalmo 118. dicatur *omnis homo mendax*, præſertim cùm de ſemetipſo loquitur, Chriſtus, ſi fuiſſet purus homo, ea ratione mendax dici potuiſſet, prout ipſe Chriſtus dicta ſec. 12 ſignificauit dicens: *Si ego teſtimonium perbibeo de me, non eſt teſtimonium meum verum; ſed qui teſtimonium perbibet de me alius eſt.* Sect. autem 20. loquitur Chriſtus abſolutè, rei veritatem conſiderans, non reſpectiuè ad aliquam falſam opinionem, ſed ad rem ipſam prout in ſe & ſic re-uera cùm eſſet Deus, nõ purus homo, verè poterat dicere: *Teſtimonium meũ verum eſt.* Quia Deus falſa proloqui non poteſt. Hoc autem totum facilè patebit cuicumque contextum ipſum inſpicienti. Dicit enim Chriſtus: *Equidem, & ſi teſtimonium perbibeo mibi ipſi, teſtimonium verum eſt; quia ſcio vnde veni, & quo vado. Vos autem neſcitis vnde veni, aut quò vado.* Quaſi diceret, Vos non niſi corporalia, & ea quæ extra ſunt, conſideratis:

ratis: ego autem ſcio tàm quæ extra patent, quàm quæ intrà latent.

Præterea, ſi dicit alium à ſe eſſe Patrem, qui teſtimonium perhiberet, non dixit alium ratione diuinæ naturæ, ſed alium propter diſtinctionem perſonæ: quia licet Chriſtus ſit cum Patre idem Deus, eſt tamen alia à Patre perſona, vt infra explicabimus dum de ſacroſancto Trinitatis Myſterio agimus.

Decimò, Etiam vitium irrepſiſſe putas in illis verbis apud Ioannem c. 10. ſeu ſect. 23. *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam.* Quòd quis poſsit ſemetipſum occidere, hoc ratum habetur in praxi: at quòd quis poſsit ſe mortuum ſuſcitare, nec rectè effingi poteſt in mente. Quomodo ergo Euangelia tam liberè hoc aſtruunt? *Quomodo mortuus poſſet ſe Chriſtus ſuſcitare.*

Reſpondeo, verum eſſe ac certum, neminem ſe poſſe ſuſcitare, quatenus mortuus eſt, & non viuens: quia cauſa ſuſcitans eſt cauſa efficiens, cauſa autem efficiens non poteſt efficere niſi præſupponatur exiſtens, mortuus non exiſtit: ergo nihil poteſt efficere; ac proinde, neque ſe ſuſcitare. At in Chriſto non ſolùm agnoſcimus naturam humanam, ſecundùm quam aliquando mortuus eſt, ſed etiam naturam diuinam, quæ mori non poterat. Chriſtus ergo non potuit ſe ſuſcitare, tamquam homo; ſed ſuſcitauit ſe hominem tamquam Deus. Vnde virtus illa perpetuò viuens, perpetuò exiſtens, ſuſcitauit naturam aliquando mortuam.

Vndecimò, Vitiata etiam putas Euangelia vbi Chriſtus inducitur ſimilia verba Matt. 24. ſeu ſect. 78. proferre. *Venturi Pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia.* Quod dictum nullo modo conſtare poteſt; quia ſigna, & prodigia, fieri nequeunt, niſi per omnipotentiam Dei: At non poteſt vllo modo dici, Deum pſeudoprophetis auxilium præbiturum. Ergo verba illa ſuppoſita ſunt. *Qualia ſigna oſtẽdere poſſint pſeudoprophetæ.*

Ad hoc reſpondeo: prodigia, & miracula: alia eſſe ſecundùm apparentiam tantùm: alia verò non ſecundùm apparentiam, ſed etiam ſecundùm realem exiſtentiam: vtraque dici poſſunt miracula, quia vtraque faciunt admirationem. Et quidem vera, & realia, non niſi à Deo fieri poſſunt: vt mortuos ſuſcitare, cæcos illuminare, claudos erigere, paralyticos ſtabilire, & in vniuerſum illa efficere, quæ naturæ vires excedunt.

Poteſt quidem Diabolus ſimilia per apparentiam tantùm præſtare, vt cadauer tantiſper mouere, ita vt viuum appareat: viſum præſtigijs decipere, ita vt illuſus hoc videat, quod ita non eſt: Et multa, ſenſibus illudendo, miracula falſa confingere. Poteſt etiam Diabolus quædam mirabilia facere, quæ re vera faciat; illa tamen, quæ naturæ vires non ſuperant: videntur tamen ſuperare propter arcanam naturalis cauſæ applicationem. Ipſe enim noſcens naturalia omnia, herbarum vires, lapidum virtutes, ignotas hominibus, illas applicando effectus perficit hominibus admirabiles: non quia in ſe verè naturam excedant, ſed quia tales videntur, eo quòd ignorantur. De his ergo mirabilibus loquitur Chriſtus, non de veris, naturam excedentibus, ſola Dei omnipotentia patrabilibus. Diabolus autem cùm eiuſmodi prodigia facere poſſit apparentia, certè non niſi per pſeudoprophetam faciet & effinget, in hominis deceptionem.

SECTIO IX.

Reſpondetur ad duodecimam difficultatem.

De Petri negationibus Euangeliſtæ nō diſſentiunt.

DVodecimò, Adulterationem putas accepiſſe Euangelia, dum narrant Petri negationes, in quarum narratione Euāgeliſtæ diſſentire vidētur. Vnus dicit ſic, alius autem ſic; ita vt quatuor in quatuor partes diſſideant. Ergo ad ſummum vnus ex quatuor textibus integer eſſe poteſt, tres reliqui omninò dici debent vitiati.

Ad hanc obiectionem neceſſe eſt ſingulorum Euangeliſtarum verba perpendere per ſingulas Petri negationes. Ex ipſis enim clarè patebit, diſſidium non intercedere, ſed maximam eſſe cōuenientiam. Imò mirabili quodam modo ex omnibus quatuor Euangeliſtis, non ſolùm haberi negationem, verùm etiam & colligi modum, & ordinem facti, quo Petrus negauit. Vt autem rei veritatem aſſequamur, in memoriam reuocandum eſt quod ſupra diximus, in tertia obiectione, Euangeliſtas, non ſingulos

nar-

narrare ſingula, ſed alium hoc referre, alium illud ipſum tacere; nec contradictorium dicendum eſt aliquid, niſi quando, vel apertè contradicat, vel non poſſit cum dictis conuenire & ſimul concurrere: ſi autem non ſit apertè contradictorium, & poſſit vtrumque ſimul ſtare, non ſunt duo dicenda contradictoria, nēpe per hoc tantum, quòd vnus id referat, & alius idipſum ſileat. His poſitis aſſeramus ipſa omnium Euangeliſtarum verba ſingillatim de ſingulis negationibus.

Prima vice ſic Petrum negaſſe refert Matthæus cap. 26. verſ. 69. *Petrus verò ſedebat foris in atrio: & acceſſit ad eum vna ancilla, dicens: & tu cum Ieſu Galilæo eras. At ille negauit coram omnibus, dicens: Neſcio quid dicis.* Arabicus autem Textus, Romæ excuſus, anno 1591. ſic inquit ſect. 93.

وان بطرس كان جالسًّا فى الدار خارجًّا فجآت اليه جارية فقالت
له وانت كنت مع يسوع الجليلى فانكر قدام الجمع وقال لست
ادرى ما تقولين ۞

Marcus verò ſic primam negationem refert cap. 14. à verſ. 66. *Et cùm eſſet Petrus in atrio deorſum, venit vna ex ancillis Summi Sacerdotis: & cum vidiſſet Petrum calefacientem ſe, aſpiciens illum, ait: & tu cum Ieſu Nazareno eras. At ille negauit, dicens: Neque ſcio, neque noui quid dicas.* & Textus Arabicus ſect. 50.

وبينما بطرس فى اسفل الدار جاءت فتاه من جوارى رئيس
الكهنة رآته يصطلى فلمّا رآته قالت له وانت ايضًا قد كنت
مع يسوع الناصرى فانكر وقال ليس ادرى ولا اعرف ما تقولين

Lucas autem ſic ait cap. 22. num. 55. *Accenſo autem igne in medio atrij, & circumſedentibus illis, erat Petrus in medio eorum. quem cum vidiſſet ancilla quædam ſedentem ad lumen, & eum fuiſſet intuita, dixit: Et hic cum illo erat. At ille negauit eum, dicens: Mulier, non noui illum.* Et in Textu Arabico ſect. 81.

فاصرموا

فاضرموا نارًا وسط الدار وجلسوا وكان بطرس جالسًا في وسطهم
فلمّا رآه جارية جالسًا عند الضوء تبيّنته وقالت هذا كان معه
فانكر وقال يا امرأة ما اعرفه ۞

Ioannes autem primam Petri negationem ſic narrat cap. 18 à num. 15. *Sequebatur autem Ieſum Simon Petrus, & alius diſcipulus. Diſcipulus autem ille erat notus Pontifici, & introiuit cum Ieſu in atrium Pontificis. Petrus autem ſtabat ad oſtium foris. Exiuit ergo diſcipulus alius, qui erat notus Pontifici, & dixit oſtiariæ: & introduxit Petrum: Dicit ergo Petro ancilla oſtiaria; Nunquid & tu ex diſcipulis es hominis iſtius? Dicit ille: Non ſum. Stabant autem ſerui, & miniſtri, ad prunas: quia frigus erat, & calefaciebant ſe: erat autem cum eis & Petrus, ſtans, & calefaciens ſe.* Textus autem Arabicus ſic habet ſect. 39.

وان سمعون الصفاء والتلميذ الاخر تبعا يسوع وكان عظيم
الكهنة يعرف ذلك التلميذ فدخل مع يسوع الى دار عظيم
الكهنة فاما سمعون فكان واقفًا عند الباب خارجًا فخرج ذلك
التلميذ الاخر الذي عظيم الكهنة يعرفه فقال للبوابة وادخل
سمعان بطرس فقالت الجارية البوابة لسمعون الصفا
أَما انت من تلاميذ هذا الرجل فقال لا وكان العبيد والشرط
قيامًا يوقدون نارًا ليصطلوا لانها كانت ليلة باردة وقام سمعون
ايضًا معهم يصطلي ۞

Siquis ergo benè perpendat prædicta verba omnium Euangeliſtarum, ſingula ad inuicem conferens: nihil reperiet in illis contradictorium, ſed facti ſeries ex illis ſic ordinatur. Sequentes Ieſum Petrus & Ioannes, hic introiuit, tamquam notus Pon-

Pontifici:Petrum verò introire non audentem introduxit Ioãnes, ancillam orando, vt non impediret Petri ingreſſum: qui ſtatim ingreſſus acceſſit ad ignem, & cum ſedentibus calefaciendus conſedit. Intereà oſtiaria illa, poſt ianuæ clauſionem, acceſſit vt agnoſceret quem introduxiſſet: ad ianuam enim ſine lumine illum cognoſcere nequiuit. Reperit autem ſedentem: illa enim oſtium claudente, ſedem occupauerat Petrus: & cognouit eũ ad ignis lumen, & interrogauit: ille verò prima vice negauit. Sic res ſe habuit, ſi omni verba expendantur ſingillatim: quamuis non ſinguli omnia referant;ſed vnus quidem hęc, alius illa. Contradictio autem non eſt, ſi taceat vnus, quod refert alius. De introductione Petri à Ioanne, ſolus ipſe Ioannes mentionem facit; cætera cuncti narrant: Ioannes verò explicat, ancillam illam fuiſſe oſtiariam. addit etiam Ioannes, Petrum poſt negationem ſurrexiſſe, & ibi inter milites ſteciſſe, qui priùs ſedebat.

Secundam negationem Petri ſic narrat Matthæus eodem cap. 26. num. 71. *Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, & ait his, qui erant ibi: Et hic erat cum Ieſu Nazareno. Et iterum negauit cum iuramento: Quia non noui hominem.* Textus autem Arabicus ſic habet eadem ſect. 93.

وخرج الى الباب رآته اخرى فقالت للذين هناك وهذا مع
يسوع الناصرى كان وايضًا نكر وحلف انى لست اعرف
هذا الانسان ۞

Marcus ſic refert, eodem cap. 14. num. 68. *Et exijt foras ante atrium, & gallus cantauit. Rurſus autem cùm vidiſſet illum ancilla, cœpit dicere circumſtantibus: quia hic ex illis eſt. At ille iterum negauit.* Textus vero Arabicus eadem ſect. 50. ſic habet

وخارج الى خارج الدار فصاح الديك ورآته فتاه اخرى فقالت
للقيام ان هذا منهم فانكر ايضًا ۞

Lucas autem ſic ibidem cap. 22. num. 58. *Et poſt puſillum alius videns eum, dixit: Et tu de illis es. Petrus verò ait: O homo, non ſum*. Arabicus Textus ſic eadem ſect. 81.

وبعد قليل ابصره آخر وقال انت ايضا منهم فقال بطرس يا
انسان ما انا هو ۞

Ioan. verò ſic eod. cap. 18. verſ. 25. *Erat autem Simon Petrus ſtans, & calefaciens ſe. dixerunt ergo ei: Numquid & tu ex diſcipulis eius es? Negauit ille, & dixit: Non ſum*. Arabicus autem Textus eadem ſect. 39.

وكان سمعون الصفا واقفا يصطلي فقالوا له لعلك انت من
تلاميذه فانكر وقال لست انا ۞

In narratione negationis Petri, ſecunda vice: prout videre eſt in allatis ex Euãgeliſtis: ſolus Marcus mentionem facit de prima vice qua cantauit gallus, poſt primam negationem: cæteri verò ſilent. Item Marcus & Matthæus egreſſum Petri commemorant: reliqui ſilentio premunt. Regreſſum verò Petri intrò nullus commemorat expreſſis verbis; quia ex hiſtoriæ ſerie apertè colligitur, Petrum poſt egreſſum ſtatim intrò regreſſum, cùm rurſus dicatur interrogatus. Diuerſitatem illam quæ inter Lucæ dictum ex vna parte, qui dicit interrogantem ſecunda vice fuiſſe virum, non ancillam: Et ex alia inter Matthæi & Marci narrationem, qui dicunt fuiſſe ancillam: conciliat Io. cum dicit: interrogatores ſecunda hac vice fuiſſe plures. Verùm animaduertenda ſunt verba diuerſa, diuerſuſque modus loquendi Euangeliſtarum: Non enim Marcus & Matthæus aſſerunt; Ancillam dixiſſe Petro, ſed circumſtantibus: Lucas autem aſſerit, hominem interrogaſſe ipſummet Petrum. Sed ex his Euangeliſtarum dictis hiſtoriæ ſeriem texamus, ex qua patebit; quàm benè & concinnè omnes Euangeliſtæ rem geſtam ad vnguem in conſpectu proponant. Poſtquam prima vice timore correptus negauerat Petrus, ſurrexit, aliquantiſper inter milites conſtitit: deindè

foras

forás extra atrium eſt egreſſus, & tunc prima vice cantauit gallus. Interea ancilla quædam, inter milites commorans, dixit militibus & ſeruis de Petro, abſente iam vel certè non audiente: non enim auſa eſt illo præſente. Deinde Petro intrò regreſſo & ad prunas accedenti miles vel ſeruus, ancillæ verbis excitatus, dixit coràm. Ipſe verò Petrus homini interroganti reſpondit. Ancilla enim auſa eſt tantùm eſſe virorum incentrix, non Petri interrogatrix; vt patet ex verbis Matth. & Marci. Homo verò, firmioris animi, interrogauit Petrum ipſum, prout dicit Lucas, verba ſpecialia interrogatoria hominis referens, & Petri reſponſionem homini factã. *O homo non ſum*. Ioannes verò verbis generalibus narrat, dictũ fuiſſe Petro. Nulla ergo inter Euangeliſtas aſſignari poteſt diſſenſio.

Et tandem quoad negationem tertia vice ſic loquitur Matthæus c.26.n.73. *Et poſt puſillum acceſſerunt qui ſtabant, & dixerunt Petro: Verè & tu ex illis es: nam & loquela tua manifeſtum te facit. Tunc cœpit deteſtari, & iurare, quia non nouiſſet hominem. Et continuò gallus cantauit. Et recordatus eſt Petrus verbi Ieſu, quod dixerat: Prius quàm gallus cantet, ter me negabis. Et egreſſus forás, fleuit amarè.* Et textus Arabicus eadem ſectione 93.

وبعد قليل جآء القيام وقالوا لبطرس حقًّا انك منهم وكلامك
يظهرك حينئذ بدا يحرم ويحلف انى ما اعرف هذا الانسان
وللوقت صاح الديك فذكر بطرس كلام يسوع الذى قال له
انه من قبل ان يصيح الديك تنكرنى ثلث مرّات فخرج بطرس
خارجًا وبكى بكآء مرًّا ۞

Marcus autem c.14 verſ. 70. *Et poſt puſillum rurſus qui adſtabant, dicebant Petro: Verè ex illis es: nam & Galilæus es. Ille autem cœpit anathematizare, & iurare: Quia neſcio hominem iſtum, quem dicitis. Et ſtatim gallus iterum cantauit. Et recordatus eſt Petrus verbi, quod dixerat ei Ieſus. Prius quàm gallus cantet bis, ter me negabis. Et cœpit flere.* Text. Arab. ſic legit ſec.50.

وبعد قليل قال القيام لبطرس حقا انك منهم وانت جليلى و
كلامك يشبه كلامهم فبدا يلعن ويحلف انه مايعرف هذا
الانسان الذى تقولون ثم مكانه صاح الديك ثانية فذكر
بطرس قول يسوع انك قبل ان يصيح الديك مرّتين تنكرنى
ثلث مرّات فجوّل يبكى ۞

Lucas eodem c. 22. num. 59. *Et interuallo facto quaſi horæ vnius, alius quidam affirmabat, dicens: Verè & hic cum illo erat: nam & Galilæus eſt. Et ait Petrus: Homo, neſcio quid dicis. Et continuò adhuc illo loquente cantauit gallus. Et conuerſus Dominus reſpexit Petrum; & recordatus eſt Petrus verbi Domini, ſicut dixerat: Quia prius quàm gallus cantet, ter me negabis. Et egreſſus foras fleuit amare.* Et in Text: Arab: ſic eadem ſec. 81.

وبعد ساعة كرّر عليه القول آخر وقال حقًّا هذا كان معه لانه
جليلى فقال له بطرس يا انسان ما اعرف ما تقول وفيما هو
يتكلّم صاح الديك فالتفت الربّ ونظر الى بطرس فذكر
بطرس كلام الرّب الذى قال له انه قبل ان يصيح الديك اليوم
تنكرنى ثلثًا وخرج بطرس خارجًا وبكى بكاءً مرًّا ۞

Ioannes autem ibidem 18.26. *Dicit ei vnus ex ſeruis pontificis, cognatus eius cuius abſcidit Petrus auriculam: Non ne ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo negauit Petrus: & ſtatim gallus cantauit.* Et in text: Arab: ſec. 39.

قال له واحد من عبيد عظيم الكهنة قريب الذى كان سمعان
الصفاء قطع اذنه اليس انا رايتك معه فى البستان فانكر
سمعان الصفاء ايضًا وفى ذلك الوقت صاح الديك ۞

Nec

Nec diſſidium aliquod aſſignari poteſt in narratione negationis tertia vice. Non enim eſt diſcrepantia, ſi vnus dicit: *poſt puſillum*, dùm alius dicit, *Interuallo quaſi bora vnius*. Nec.n. multũ interualli eſt hora, ſeù quaſi hora: ità vt dici non poſſit puſillum. Nec eſt contradictio ſi Marcus dicit: ſecundò cantaſſe gallum poſt tertiam negationem; cùm prima vice cantaſſet poſt primam, dum exiret ianuam, vt ſuprà: Et alij dicunt cantaſſe gallum ſimpliciter, non addendo prima vel ſecunda vice: Marcus enim minutior fuit in narratione, & non ſolùm galli cantum explicauit; ſed etiam vices enumerauit. Hoc autem non poteſt dici contradictorium: Fuiſſet quidem contradictio, ſi dicente Marco gallum cantaſſe ſecunda vice poſt tertiam negationem; aliquis alius Euangeliſta dixiſſet, gallum poſt tertiam negationem prima vice cantaſſe: ſic enim dictum vnius alterius dictum deſtrueret, cùm vnus diceret, gallum tunc primò cantaſſe, alius verò etiam prius cantaſſe, & tunc ſecundò: At dicere ſimpliciter; cantaſſe, non addendo prima vel ſecunda ſvice, non facit contradictionem propoſitioni aſſerenti; cantaſſe ecunda vice: cantare enim, vel prima vice, vel ſecunda vice, vtrumque cantare eſt.

Nec contradicit Ioannes cæteris dicentibus; interrogationem Petro factam tertiò fuiſſe circa ſermonem & patriam: nempe quia Galilæo ſermone loqueretur; & propterea Galilæus eſſet; cũ ipſe Ioannes dicat: interrogantem Petro obieciſſe, à ſe ipſum viſum eſſe cum Ieſu in horto. *Nonne ego te vidi in horto cum illo?* Vtrumque enim Petro obiectum fuit tertia vice; nempè, & quòd eſſet Galilæus, & quòd cum Ieſu fuiſſet viſus in horto: nec ſunt iſta duo contradictoria, ità vt non potuiſſet Petro vtrumq. ſimul obijci, præſertim cũ etiã ſimul habeant concatenationem; quia eſſe cum Ieſu, & eſſe Galilæum coincidebant: omnes enim Chriſti diſcipuli Galilæi erant, vt Actorum ſecundo dicitur. *Nonne omnes iſti Galilæi ſunt?*

Perſpectis ergo vniuerſis Euangeliſtarum verbis, tollitur diſcordantiæ ſuſpicio, poſito tantùm vero illo & euidenti fundamento: Non eſſe contradictorium rei narratæ ſolum ſilentium; & obſeruato Euangeliſtarum more, qui non omnia per ſingula ſinguli narrare intenderunt. Et hoc vno principio, & hac vna obſeruatione, multa, quæ in Euãgelijs ſuſpicionẽ facere videntur, ab omni vel leuis quidem mẽdacij permixtione longè

abeſſe

abeſſe comprobantur.

Quod verò dicit Lucas; conuerſum fuiſſe Dominum, & reſpexiſſe Petrum. benè fieri potuit; nam Petrus erat in atrio palatij dum negaſſet; quamuis enim poſt primam negationem egreſſus fuiſſet, vt notat Marcus; tamen ex verbis, quæ ſubdunt omnes quatuor Euangeliſtæ, Petri regreſſus intrò euidenter colligitur. (eſt autem boni hiſtorici munus, ea quæ euidenter colliguntur, expreſſis verbis faſtidium potius & tædium quàm notitiam aliquam ingerentibus, non replicare) Petrum ergo in atrio manentem, de porta, de aula, vel ambulacro, vel alia domus parte poterat Ieſus reſpicere: & quia vterque ad lumen manebat, poterant ſe mutuò videre, quamuis nocturno tempore: ne fingamus gratis miraculum aliquod; quod etiam dici poſſet, cùm Chriſto potentia non deeſſet. Tamen hoc non dicimus, dum ſine miraculo etiam fieri potuit.

Verùm potiùs ſentiendum eſt cum ſancto Auguſt. libro tertio de conſenſu Euangeliſtarum cap. ſexto, qui, quamuis non neget, ſicut diximus, fieri potuiſſe: vult tamen hunc reſpectum, non fuiſſe corporeum per oculorum obtutus; ſed ſpiritualem per gratiæ influxum, ipſis Euangeliſtæ verbis motus; cùm non dicat, reſpexiſſe Ieſum, vt ſolet, cum actiones corporeas & perſonales Chriſti enarrat: ſemper enim dicit; *reſpondit Ieſus*, vel *venit Ieſus*, vel *dixit Ieſus*. Sed vocat Dominum dicens; *Conuerſus Dominus reſpexit Petrum*. Quare videtur voluiſſe potiùs Euangeliſta notare reſpectum illum, quo Dominus Deus reſpicit peccatores, dum eos vocatione ſua ſancta de peccato ad pœnitentiam excitat. Et vniuerſaliter quodcumque Dei donum, poſt iram & tribulationem à Deo immiſſam, dicere ſolemus, Dei conuerſionem, prout Iob cap. vlt. dicitur, Dominum conuerſum fuiſſe ad pœnitentiam Iob. Et Propheta
Pſal. 89. 13. in pſalmo eiuſmodi conuerſionem efflagitabat cum diceret: *Conuertere Domine vſquequò*.

Ex his ergo conſtat nullam eſſe contradictionem inter Euangeliſtas de negationibus Petri.

SECTIO-

SECTIO X.

Reſpondetur ad decimamtertiam diſficultatem.

DEcimotertio. Rurſus obijcis, contradictionem eſſe inter Euãgeliſtas de latronibus in cruce medium habentibus Ieſum: cùm vnus Euãgeliſta plurali numero & in tex. Arab. in duali dicat, eos qui crucifixi erant cum eo improperaſſe illi. At ſecundùm Lucam: alter compeſcuit & reprehendit collatronem. Ergo inter Euangeliſtas eſt contradictio. *Nec diſſētiūt Euangeliſtæ de latronibus cū Ieſu Cruci affixis.*

Hanc difficultatem, longè ante tuam propoſitionem, planam reddidit Auguſtinus lib. tertio de conſenſu Euangeliſtarum cap. 16. his verbis. *Quomodo ergo, ſicut Matth. dicit; latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei; vel ſicut Marc. dicit; & qui cum eo crucifixi erant conuitiabantur ei, quandoquidem vnus eorum conuitiatus eſt, ſecundùm Lucæ teſtimonium; alter & compeſcuit eum, & in Dominum credidit; niſi intelligamus Matthæum & Marcum, breuiter perſtringentem hunc locum, pluralem numerum pro ſingulari poſuiſſe; ſicut & in Epiſtola Pauli ad Hebræos cap. 10. legimus pluraliter dictum: clauſerunt ora leonum, cùm ſolus Daniel ſignificari intelligatur* (vt Daniel 6. & 14) *& in plurali dictum: ſecti ſunt, cùm de ſolo Iſaia tradatur. In pſalmo etiam 2. quod dictum eſt: Aſtiterunt Reges terræ & Principes conuenerunt in vnum &c. Pluralem numerum pro ſingulari poſitum: in Actibus Apoſtolorum cap. 4. exponitur: Nam Reges propter Herodem: Principes propter Pilatum, intellexerunt. Sed quia & Pagani ſolent calumniari Euangelio: videant quemadmodum locuti ſunt authores eorum Phædras, Medæas, & Clytemneſtras, cùm ſingulæ fuerint. Quid autem vſitatius, verbi gratia, quàm vt dicat aliquis: & ruſtici mihi inſultant, etiam ſi vnus inſultet? Tunc enim eſſet contrarium quod Lucas de vno manifeſtauit; ſi illi dixiſſent, ambos latrones conuitiatos Domino: Ita enim non poſſet ſub numero plurali vnus intelligi; cùm dictum eſt; latrones, vel: qui cum eo crucifixi erant: nec additum eſt, ambo: non ſolùm ſi ambo feciſſent, poſſet hoc dici; ſed etiam, quia vnus hoc fecit, potuit vſitato locutionis modo, per plu-*

pluralem numerum ſingularis ſignificari . Sic Auguſt:

Et quamuis in textu Arab. legàtur in numero duali اللصان ideſt Duo latrones:quo numero videntur determinari ambo ſimul. Nihilominns Auguſtini explicatio benè etiam cadit ,illo figurato modo loquendi, accepta . Verùm ſi id non recipiatur ab Arabibus ; non propterea error aut diſſenſio inter Euangeliſtas arguenda eſt.Nã ab initio, vt alij Patres cum Chryſoſtomo homil.88. in Matthæum aſſerunt , vterque latro Chriſto conuitiatus fuit : & hoc referunt Euangeliſtæ qui duali numero loquuntur . Vnus tamen decurſu temporis , dum adhuc penderet in Cruce , videns tot, tantaque prodigia, & non dum viſa ſigna : nempe,ſolis obſcurationem , terræmotum , ſciſſiones petrarum , & montis; ſimulque tantam cernens Chriſti patientiam & charitatem, qua etiam pro inſultantibus inimicis & crucifixoribus orabat , ſtatim conuerſus eſt , & facti pœnitens ad pœnitentiam alterum trahere conabatur,dicens : *neque tu times Deum* &c. Et *memento mei Domine* &c. prout refert Lucas.Illud ergo quod priùs geſtum erat , enarrauerunt Matth. & Marc.de vtroque conuitiante:quod autem factum eſt poſteà, explicauit Lucas , de altero pœnitente.

SECTIO XI.

Reſpondetur ad decimamquartam & decimamquintam difficultatem .

Quomodo poſt tres dies Chriſtus reſurrexerit .

DEcimoquarto obijcis item non benè geſtis narratis conſtare dicta Euangelij : dicit enim,Chriſtum aliquando dixiſſe . *Poſt tres dies reſurgam* . Et *ſicut fuit Ionas in ventre cæti tribus diebus , & tribus noctibus;ità erit filius hominis in corde Terræ, tribus diebus & tribus noctibus* . At non ità completum, vt patet in ipſis Euangelijs ; nam Chriſtus ſepultus eſt paulò ante ſolis occaſum die Veneris : reſurrexit autem ante ſolis ortum

tum die Dominico, quando non adhuc impleti erant tres dies.

Ad hoc benè reſpondet Auguſtinus, lib. tertio De conſenſu Euangeliſtarum cap. 24. & lib. 1. quæſtionum Euangelicarum num. 7. dicens: Scripturam ſæpe pro toto partem ſumere, & ponere totum pro parte; vt paſſim apud legiſtas & morales; qui dicere ſolent: quòd dies inceptus habetur pro completo. His poſitis, benè intelliguntur tres dies, & tres noctes; præſertim more Eccleſiæ, quæ diem à die media nocte diſtinguit. Habemus partem reſiduam diei Veneris vſque ad ſolis occaſum, deinde noctem illius diei vſque ad mediam: ecce vnus dies, & vna nox: deinde ſabbatum totum cum ſua nocte, vſque ad mediam noctem, ante Dominicam: & ecce ſecundus dies, & ſecunda nox: Supereſt deinde media pars noctis vſque ad auroram, ecce tertia nox; & tandem illuceſcente aurora Dominicæ, cùm ſit initium diei, habemus cum tertia nocte tertium quoque diem.

Nec obſtat iterum obijcere; quòd Euangelia loquantur adiecta particula, poſt, dicunt enim *poſt diem tertium*. Hoc inquam non obſtat: nam illud, poſt, non eſt intelligendum, ita vt ſignificet elapſum iam & completum diem tertium: ſed accipiendum eſt in alio ſenſu; ſcilicet, vt ſignificet præſentiam diei tertij, vt ſenſus ſit: poſt diem tertium, ideſt, poſtquàm illuxerit dies tertius: Et pro hac ſignificatione facit communis loquendi modus, vt patet. Et ſi aliquando ſcripturæ dicunt *poſt tres dies*: aliquando etiam dicunt: *poſt duos dies*; vt videre eſt apud Oſeam Prophetam cap. 6. num. tertio. Quem locum Patres cõmuniter, de Chriſti reſurrectione intelligunt. Ex huiuſmodi ergo diuerſo ſcripturarum loquendi modo ſignificatur, non eſſe ſenſum de diebus completis, ſed de diebus moraliter intellectis, non phyſicè & in rigore.

Decimoquintò, Obijcis præterea; non conuenire Euangeliſtas in narratione reſurrectionis Dominicæ, apparitionis eius, numero & ordine mulierum venientium ad viſendum ſepulcrum, in quibus multæ inuoluuntur difficultates. *Euangeliſtas de Chriſti reſurrectione, & apparitionibus, nõ diſſentire.*

Omnes autem clariſſimè ſoluit Auguſt. lib. tertio de Conſenſu Euangeliſt. cap. 24. Vbi; poſt quam explicauit, idem eſſe quod dicit Marc. *Et valde mane vna ſabbatorum veniunt ad monumentum oriente iam ſole*. Et quod dicunt cæteri: *Valde diluculo*. Vel: *cùm adhuc tenebræ eſſent*; vel: *veſpere ſabbati, quæ luce-*

luceſcit in prima ſabbati: omnium enim ſenſus vnus eſt; ſcilicet, in aurora, antequàm ſol appareret corpore, qui iam inſpici cęperat ſuis radijs, & lumine. Poſtquàm etiam explicauerat, per ſingula, omnia quæ difficultatem videbantur facere: tandem ſic texit ex omnium Euangeliſtarum narratione vniuerſam hiſtoriam: quam ideò hic apponimus; ſola enim ſufficiet ad omnes difficultates diſſoluendas. Sanctus ergo Doctor ſic inquit: *Quapropter hæc omnia, quæ circa tempus reſurrectionis Domini facta ſunt, ſecundùm omnium Euangeliſtarum teſtimonia in vnam quandam narrationem, quantum nos Dominus adiuuerit, quemadmodum geri potuerint, ordinemus. Prima ſabbati diluculo, ſicut omnes conſentiunt, ventum eſt ad monumentum. Iam factum erat quod ſolus Matth. commemorat, de terræmotu, & lapide reuoluto, conterritiſque cuſtodibus; ita vt in parte aliqua velut mortui iacerent. Venit autem, ſicut Ioannes dicit, Maria Magdalena, ſine dubio, cum cæteris mulieribus, quæ Domino miniſtrauerant, plurimùm dilectione feruentior; vt non immeritò Ioannes ſolam commemoraret, tacitis eis quæ cum illa fuerunt; ſicut alij teſtantur. Venit ergo, & vt vidit lapidem ſublatum à monumento, antequam aliquid diligentiùs inſpiceret, non dubitans ablatum inde eſſe corpus Ieſu, cucurrit, ſicut dixit idem Ioannes; & nunciauit Petro atque ipſi Ioanni. At illi currere cæperunt ad monumentum; Et præueniens Ioannes inclinauit ſe, & vidit poſita linteamina; nec intrauit. Petrus autem conſecutus intrauit &c. deinde & Ioannes intrauit &c. Abierunt ergo diſcipuli. Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans; ideſt ante illum ſaxei ſepulchri locum, ſed tamen intra illud ſpatium quod iam ingreſſæ fuerant: hortus quippe illic erat, ſicut idem Ioannes commemorat. Tunc viderunt Angelum ſedentem à dextris ſuper lapidem reuolutũ à monumento, de quo Angelo narrant Matt. & Marc. Tunc eis dixit: Nolite timere vos: ſcio enim quod Ieſum, qui crucifixus eſt, quæritis: Non eſt hic, ſurrexit enim ſicut dixit: venite, & videte locum, vbi poſitus erat Dominus. Et citò euntes dicite diſcipulis eius; quia ſurrexit: & ecce præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis. Ecce prædixi vobis &c: Ad hæc verba Maria, dum fleret, inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum: & vidit duos Angelos; ſicut dixit Ioannes, ſedentes in albis, vnum ad caput, & vnum ad pedes; vbi poſitum fuerat corpus Ieſu. Dicunt ei illi: mulier quid ploras? dicit: quia tule-*

tulerunt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eum. Hinc intelligendi ſunt, ſurrexiſſe Angeli, vt etiam ſtantes viderentur, ſicut eos Lucas viſos fuiſſe cõmemorat, & dixiſſe, ſecundũ eumdẽ Lucam, timentibus mulieribus, & vultum in terrã declinantibus: Quid quæritis viuentem cum mortuis? Non eſt hic; ſed ſurrexit: recordamini, quale locutus eſt vobis &c. Poſt hæc conuerſa eſt retrorſum Maria, & vidit Ieſum ſtantem, ſicut dicit Ioannes: & non ſciebat, quia Ieſus eſt, exiſtimans quia hortulanus eſſet &c. Poſt hæc egreſſa eſt à monumento, hoc eſt ab illo loco, vbi erat horti ſpatium ante lapidem effoſſum; Et cum illa aliæ, quas ſecundùm Marc. inuaſerat tremor & pauor, & nemini quicquam dicebant. Tunc iam ſecundùm Matth. ecce Ieſus occurrit illis dicens: Auete; illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius. Tunc ergo ait illis: Nolite timere: Ite nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam: ibi me videbunt. Venit ergo Mariâ Magdalenæ annuncians diſcipulis &c. Non ſolùm ipſa, ſed & aliæ quas Lucas commemorat, nunciauerãt & diſcipulis &c. Ex huiuſmodi narratione conſtat, quàm verè omnes Euangeliſtæ loquantur: nec enim, ſi vnus ſileat quæ ab alijs commemorantur, contradictio eſt: quæ ſolùm tunc appareret, quando dicta ab vno aliquis negaret; vel aliquo modo ex dictis vnius impoſſibilia conuincerentur eſſe ab alio commemorata: quod hic non accidit, vt patet ex narratione.

SECTIO XII.

Reſpondetur ad decimamſextam, decimamſeptimam, decimamoctauam, decimamnonam, & vigeſimam difficultatem.

Decimoſextò obijcis præterea adulterationem Euangelij ex eo quod dicit Marc. vltimo, quòd qui non crederent eſſent puniendi. *Qui autem non crediderit condemnabitur.* At, inquis, videmus quòd multi non crediderunt, & tamen puniti

non ſunt : ergo falſum eſt illud in Euangelio, ac proinde non Euangelicum, ſed ſuppoſititium.

Miror quidem, prudentis ingenij talem eſſe obiectionem; cùm clariſſimè pateat ex contextu; non eſſe accipiendam damnationem & punitionem in præſenti, ſed in futuro ſeculo; cùm poſt huius vitæ terminum, impij ſimul cum infidelibus, tartari ſupplicijs, condignas ſuorum criminum pœnas dabunt.

Quomodo in omnem terrã Apoſtolicæ Prædicationis ſonus exierit.

Decimoſeptimò, obijcis item Euangelia à veritate deficere, quando dicunt: Euangelium ipſum prædicatum eſſe toto orbe terrarum; dicis enim; hiſtoriarum volumina aſſerere: Apoſtolos Chriſti propter Iudæorum metum ſemper occultos permãſiſſe.

At in hac obiectione falſa aſſumuntur. Nec enim eſt verum, ſemper occultos manſiſſe Apoſtolos: ſi quando verò dicit liber Actuum Apoſtolorum, ſeu Ioannis Euangelium, cõgregatos Apoſtolos in vnum propter metum Iudæorum, loquitur tantùm de decurſu temporis, quod interceſſit inter Chriſti paſsionem, & Spiritus ſancti aduentum, qui fuit decimo die à Chriſti in cælum aſcenſione; ex tunc autem, vt in eodem libro habetur; per orbem diffuſi ſunt, incipientes prædicationem in ipſa Vrbe Hieroſolyma, in monte Sion, vbi deſcendit Spiritus ſanctus; in eadem enim domo ſtatim cœpit Euangelij prædicatio: completumque eſt illud Iſaiæ cap. 2. *de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem.* Dicere autem, Chriſti Apoſtolos occultos permanſiſſe, & Euangelium non prædicaſſe; eſt etiam Alchorani eiuſq. Gloſsarũ verba negare: prout ſupra c. 5. dictũ eſt de Petro, de Paulo, de Ioanne, de Matthæo, ex gloſſis Alchorani & ex cáp يس

Præterea pugnat cum totius orbis fide, nam diuerſæ mundi partes ſingillatim ſuum loquuntur Apoſtolum. Petrum & Paulum Roma tenet: vbi propter fidei prædicationem à Nerone occidi iuſsi ſunt: Petrus per Crucem, & Paulus per enſem. Italia, Syria, Græcia, & complures mundi regiones vtrumque Apoſtolum pariter loquuntur; vt patet etiam ex Epiſtolis Petri, & Pauli; cùm ad illas regiones epiſtolas miſerint, quas Euangelij fide imbuerant. Ioannem omnes Aſiæ Eccleſiæ, Epheſus, Smyrna, Pergamus, Thyatira, Sardus, Philadelphia, Laodicæa, prædicant. Nec Hieroſolymis, ſed Epheſi ex hac vita

migra-

migrauit, vbi & eius ſepulchrum habetur. Iacobum maiorem Hiſpania & Iudæa proloquuntur. Philippum Scythia, & Phrygia. Iacobum minorem Hieroſolyma, cui Antiſtes prępoſitus fuit. Bartholomæum India citerior, & Armenia. Matthæum Aethiopia. Simonem Chananæum Aegyptus Thadæum, qui dicebatur etiã Iudas Iacobi, Meſopotamia; & ſimul cum Simone vos Perſę Thadæum loquimini; nam in Perſiã occubuerunt Simon & Thadæus. Andream loquitur Epirus, Thracia, Europæ Scythia, & Achaia. Thomam Parthi, Medi, Perſæ, Hyrcani, Bactri, & Indi. Matthiam verò prædicat ipſa Iudæa. Quòd ſi ſemper clauſi Apoſtoli perſtitiſſent Hieroſolymis, Hieroſolymis vtique vitam cum morte commutaſſent, nec Petrus & Paulus occubuiſſent Romæ, nec Ioannes in feruentem olei caldariam fuiſſet aliquando cremãdus intromiſſus, nec in inſulã Patmos aliquando deportatus: nec Thomas ab Indorum Rege, propter Euangelij prædicationem, telis configi iuſſus aliquando fuiſſet. Nec Philippus, propter eiuſdem Euangelij prædicationem, Hierapoli Phrygiæ Vrbe fuiſſet aliquando cruci affixus, & lapidibus obrutus. Nec Bartholomæus Albani, maioris Armeniæ Ciuitate, viuus aliquando decoriatus fuiſſet aut capite truncatus. Sed omnes Hieroſolymis defeciſſent. Non ergo ſemper pauidi intra domus anguſtias ſe Apoſtoli continuerunt, ſed per totum orbem Chriſti fidem prædicauerunt; iuxtà illud Pſ. 18. *In omnem terram exiuit ſonus eorũ, & in fines orbis terræ verba eorum.* Et iuxtà Pauli teſtimoniũ ad Rom. ſcribentis c. 1. *Fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mũdo.* Et iuxta Chriſti præceptum Apoſtolis Marc. vltimo & Mat. vltim. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos* &c. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.*

Nõ diſſẽtire Euangeliſtas de Archiſynagogi filia à Chriſto ſuſcitata.

Decimooctauò, ad illud quod obijcis: non eodem modo ab Euangeliſtis narrari: circa ſuſcitationem filiæ Archiſynagogi: cùm Matth. Sectione 24. in tex. Arabico dicat: Principem Synagogæ mortuam dixiſſe filiam. Marcus verò ſect. 16. Et Lucas ſect. 31. dicant: non mortuam, ſed morti appropinquare. Ad hoc inquam, & omnia, quæ ibi difficultatem facere videntur, reſpondet ſic Aug. lib. 2. de conſenſu Euangeliſtarum cap. 28. *Conſiderandum eſt*, inquit, *ne repugnare videatur; & intelligendũm eſt, breuitatis cauſa, Matthæum hoc potiùs dicere voluiſſe, rogatum eſſe Dominum vt faceret, quod eum feciſſe manifeſtum eſt; vt*

eſt; vt ſcilicet mortuam ſuſcitaret: Attendit enim, non verba Patris de filia ſua; ſed (quod eſt potiſſimum) voluntatem, & talia verba poſuit, qualis voluntas erat. Ita enim deſperauerat; vt potiùs eam vellet reuiuiſcere, non credens viuam poſſe inueniri, quam morientem reliquerat. Duo (ideſt Marcus, & Lucas) itaque poſuerunt, quid dixerit Iairus: Matthæus autẽ quid voluerit, atque cogitauerit. Vtrũque ergo petitum eſt à Domino; vt, vel morientem ſaluam faceret, vel mortuam ſuſcitaret. Sed cùm inſtituiſſet Matthæus totum breuiter dicere, hoc inſinuauit patrem rogantem dixiſſe, quod & ipſum certum eſt voluiſſe, & Chriſtum feciſſe. Sic Auguſtinus. Præterea, ſolemus dicere de eo, cuius deſperata ſalus eſt, & morti proximo; iam mortuum eſſe. Rursùs, nulli dubium eſt parem potẽtiam requiri ad impediendam mortem neceſſariò ſequuturam, ac pro ſuſcitatione: Vndè, petere à Chriſto vt talem mortem impediret, idem fuit ac petere, vt mortuam ſuſcitaret.

Quando autem dixit Chriſtus de mortua puella, nõ eſſe mortuã, ſed dormire; eodẽ modo locutus eſt metaphoricè; ſicut Io. 11. ſeu ſect. 25. de Lazaro mortuo inquit; *Lazarus amicus noſter dormit, vado vt à ſomno excitẽ eũ.* Vbi diſcipulis reſpondentibus: *Si dormit ſaluus eſt.* Explicauit metaphorã, manifeſtè dicens. *Mortuus eſt.* Vbi ſubiungit Euangeliſta quòd *De ſomno mortis dixiſſet.* Et benè tàm Lazarus, quàm puella, licèt mortui, dormire dici poterant, cùm tanquam à sõno mox eſſent à mortuis excitandi. ergo nihil ſequitur contra Euangelia.

Cõſuetudo iurandi facilè in periurium prolabitur.

Decimononò, illud quod circa iuſiurandum in Euangelijs dicitur, non prohibet iuramentum cum debitis circumſtantijs; iuſtitiæ, neceſſitatis, & veritatis: ſed prohibet periurium, & frequentem iurandi conſuetudinem, ex qua quis facilè in periurium prolabitur. Item iuramentum in communi ſermone ſine neceſſitate, quod erat frequentiſſimum: Propterea Chriſtus tantoperè inculcauit.

Vigeſimò, Nec eſt cõtradictio inter Euangeliſtas, quoad Crucis geſtationem ad Caluariæ locum; patet enim ex contextibus; priùs geſtaſſe Chriſtum; deinde Simonem Cyrenenſem. Sic Auguſt. lib. 3. *De conſenſu Euangeliſtarum cap.* 10.

Inſuper idẽ S. Doctor in quatuor lib. editis De conſenſu Euãgeliſt. pluribus etiam ante Mahometum ſæculis, omnem difficultatem circa Euangelia, quam vel humanæ mentis imperitia

poſſet

poſſet incurrere, vel ſophiſticæ adinuentionis peruicacia poſſet obijcere, ita diſſoluit & explicat; vt nullus ſit locus dubitationi relictus.

CAPVT VIII.

Reſpondetur ad ea quæ obijciuntur contra Euangelium, in quantum eſt Moſaicæ legis abrogatorium.

SECTIO PRIMA.

De Chriſti auctoritate ad Moſaicam legem abrogandam.

Non benè inferri, vitium eſſe in Euangelijs, eo quòd legi Moyſis derogent.

OBijcis pluribus in tui libri locis: adulterata fuiſſe Euangelia, in his præſertim, in quibus Moyſi legem tollere, & veteri Teſtamēto derogare conātur. Vt eſt locus, in quo prohibetur libellus repudij, & vxorū pluralitas; alter in quo prohibetur vltio, & talionis pœna: itē in quo adulteræ lapidatio præpeditur à Chriſto. In his, & ſimilibus locis, in quibus legi Moyſis derogāt; omnino vitiata eſſe ſentis. Dicis enim, non ſolū facere contra legem Moyſis; verùm etiam & contra alium locum Euangelij, in quo Chriſtus ait: *Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege*, ergo non poteſt derogari Moyſis legi: & loca Euangelij derogatoria, Euangelica non ſunt, ſed ſuppoſita.

Reſpondetur: ex his non benè inferri adulterationem Euangeliorum: nec eſſe aliquam in Euangelijs contradictionem: quod facilè patet, omnia, & ſingula, legis præcepta perſpicienti. Inter cætera enim præcepit Deus per Moyſen: expectandum eſſe Meſſiam, ipſumque audiendum, illique in omnibus obtemperandum: inobedientes verò, & Meſſiæ rebelles, exterminandos. Hoc præceptum legis Moyſi præcipuum habetur Deuteronomij 18. verſ. 15. *Prophetam de gente tua & de fratribus*

tuis

tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ipſum audies, vt petiſti à Domino Deo tuo in Horeb; quando concio congregata eſt, atque dixiſti: vltrà non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait Dominus mihi. Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui: & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit; ego vltor exiſtam. His verbis promittit Deus Prophetam à ſe mittendum: & ſimul præcipit, vt illi in omnibus obedientia præſtetur, vt præallegata verba ſonant. Hoc ergo mandatum, eſt mandatum legis Moyſi; quod quicumque ſeruauerit, negari certè non poteſt, illum legis Moyſi præceptum ſeruare, & ſeruare legem Moyſi: illam enim legem dicendus eſt ſeruare, cuius legis præceptum quiſque ſeruat. Qui autem illud præceptum non ſeruat, certè ſoluit legem Moyſi, & dici poteſt legis Moyſi tranſgreſſor dum legis Moyſi præceptum non ſeruat. Eſt autem præceptum, de obediendo Meſſiæ: ergo, quicumque Meſsiæ præceptum non vult ſeruare, legi Moyſis non vult obedire. Patet autem, nec eſt diſſenſio inter Chriſtianos & Mahometanos, Chriſtum Meſsiam eſſe Ieſum Mariæ filium. Ergo quicumque præcepta à Ieſu Mariæ filio non ſuſcipit, hic legem Moyſis deſtruit.

Qui Euangelicam legem non ſuſcipit legi Moſaicæ non obedit.

Hic poſitis: patet, quàm benè loquatur Chriſtus; dum in Euangelio dicit: Se veniſſe ad complendam legem latam per Moyſen: quia in ipſo complertur illa promiſsio de Meſsia à Deo facta. Benè etiam dicit; nec vnũ Iota, nec apicẽ prætereundum à lege; ſed omnia complenda. Nam cùm anteà cætera præcepta, tàm cæremonialia, quàm iudicialia, quàm etiam & moralia, legis veteris, à ſanctis viris plerumq. impleta fuiſſent: hoc vnum nondum erat impletum, quia nondum Meſsias aduenerat: vnde, nec illi obedientia reddi poterat iuxta illud præceptum: per aduentum autem Chriſti factum eſt, vt poſſet impleri: ac proinde illud Iota, ille apex; ideſt illa pars legis quæ nondũ aliquando fuerat impleta, & poterat dici præterijſſe: per aduentum Chriſti factum eſt, vt non preteriret, quia impletum eſt illud quod ſupererat implendum. Et ex tunc dici potuit: nullus apex, nullum Iota à lege præterijt. Voluit quodammodo manuducere Hebræos Chriſtus illis verbis ad ſcrutanda legis promiſſa, & præcepta: vt benè omnia perſpicientes, inter

cætera

cætera hoc etiam à Deo præceptum animaduerterent, & Meſſiam in lege promiſſum agnoſcerent; prout etiam Io. 5.n.39. ſeu ſect.12. aliàs dixit; *Scrutamini ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere; & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me; & non vultis venire ad me, vt vitam habeatis.*

Quòd ſi benè perpendatur illud Moſaicæ legis præceptum: conſtabit, virtualiter continere duo veluti contraria: ſcilicet, vt poſſet infirmare legem & derogare omnibus & ſingulis eiuſdem legis præceptis: & ex altera parte, ipſam legem eo modo infirmando; reddere etiam quodammodo æternam. Illo enim præcepto, & promiſſione Meſſiæ, ſignificatur dandam Meſſiæ venturo plenam poteſtatem infirmandi, derogandi, mutandi &c. cùm dicatur vbi ſupra Deuter. 18. *Qui autem verba eius quæ loquetur audire noluerit, ego vltor exiſtam; & ponam verba mea in ore eius, & loquetur ad eos omnia, quæ præcepero &c.* Quare, ſi veniens Meſſias dixiſſet; nolo, ſiue, non vult Deus vt ampliùs illa præcepta ſeruentur: ſed hæc alia vobis eius nomine præſcribo. Tunc vtique eſſet omnibus Veteris legis præceptis derogatum (ſupponimus enim, Meſſiam auctoritatem & poteſtatem à Deo habuiſſe; vt illis verbis patet; & nulli dubium eſt, poſſe legi à legis conditore derogari) vnde in eo caſu Lex antiqua eſſet aboleta, nempe quoad omnia præcepta. Ex alia verò parte, adhuc in ſuo robore perſiſteret: imò actu magis compleretur quoad illud vnicum præceptum, de Meſſia audiendo, illique obtemperando; cùm ſubditi Meſſiæ actu obtemperarent, & noua ab ipſo lata præcepta actu ſeruarent. Et ſic ſimul dici poſſet lex aboleta, & completa.

Euāgelica lex Moſaicam legem perficiēdo abrogat, & abrogando perficit.

Ita in caſu noſtro: De facto venit Meſſias, noua præcepta dedit, prout in Euangelio: imperfecta quædam permiſſa in veteri, prohibens in noua: tollens pœnam talionis, libellum repudij, vxorum pluralitatem, &c. Quæ prohibens, & noua ſubſtituens Meſſias, non deſtruxit legem, ſed impleuit; nempe promiſſum illud à Deo in lege per Moyſen factum: de Meſſia mittendo &c. Nec dicendus eſt Chriſtus propterea legis tranſgreſſor, quia ipſa lex teſtatur: illum habere poteſtatem: & Princeps, legis conditor, non poteſt dici legis tranſgreſſor, dum legem mutat in aliam: quamuis dici poſſit legis derogator. Is verò tantùm dicitur legis tranſgreſſor; qui, cùm ſubditus ſit, & à Principe poteſtatem non habeat, audet legem infringere, mutare,

vel non ſeruare. Chriſtus autem mutauit legem habens mutandi poteſtatem, vt patet ex allegatis.

Miror autem Mahometicæ ſectæ profeſſorem audere, Chriſtum Ieſum de eiuſmodi mutatione notare; cùm eius poteſtatem in Alcorano Mahomet clariſsimè fateatur, præſertim c. 2. cui titulus eſt سورة آل عمران *De familia Amran*, pag. mihi 55, ante med. cap. vbi his verbis Chriſtum inducit loquentem.

إِنِّي أَخْلُقُ لَكُمْ مِنَ ٱلطِّينِ كَهَيْئَةِ ٱلطَّيْرِ فَأَنْفُخُ فِيهِ فَتَكُونَ
طَيْرًا بِإِذْنِ ٱللهِ وَأُبْرِئُ ٱلْأَكْمَهَ وَٱلْأَبْرَصَ وَأُحْيِي ٱلْمَوْتَى بِإِذْنِ ٱللهِ وَ
أُنَبِّئُكُمْ بِمَا تَأْكُلُونَ وَمَا تَدَّخِرُونَ فِي بُيُوتِكُمْ إِنَّ فِي
ذَلِكَ لَآيَةً لَكُمْ إِنْ كُنْتُمْ مُؤْمِنِينَ وَمُصَدِّقًا لِمَا بَيْنَ يَدَيَّ مِنَ
ٱلتَّوْرِيَةِ وَلِأُحِلَّ بَعْضَ ٱلَّذِي حُرِّمَ عَلَيْكُمْ بِآيَةٍ مِنْ رَبِّكُمْ
فَٱتَّقُوا ٱللهَ وَأَطِيعُونِ ۞

Ideſt. *Ecce ego creo vobis de limo effigies volucrum, & inſufflo in eas, & euadent volucres veri per Dei omnipotentiam; & ſano mutos, & leproſos, & viuifico mortuos, Diuina ope: & annuntio vobis, quid comedatis, & quid recondatis in domibus veſtris, in ſignum vobis, ſi fideles eſtis; & in teſtimonium, & confirmationem eorum quæ per me fiunt, ſeu dicuntur ex Tora, ſeu lege Moyſi; & vt permiſſa, & licita faciam vobis quædam, quæ prohibita erant vobis per legis articulum à Domino veſtro. Timete ergo Deum; & obteraperate mihi*. Et capit. cui titulus eſt س الزخرف *De domo affabrè extructa & ornata*, pag. mihi 470 ſimilia repetit Alchoranus

وَلَمَّا جَاءَ عِيسَى بِٱلْبَيِّنَاتِ قَالَ قَدْ جِئْتُكُمْ بِٱلْحِكْمَةِ وَلِأُبَيِّنَ
لَكُمْ بَعْضَ ٱلَّذِي تَخْتَلِفُونَ فِيهِ فَٱتَّقُوا ٱللهَ وَأَطِيعُونِ ۞

Ideſt

Ideſt: *Et cùm veniſſet Ieſus cum euidentibus ſignis dixit: Veni ad vos cum ſapientia, & vt declarem vobis quædam, in quibus diſſentiunt ad inuicem. Time ergo Deum, & obedite mihi*. Cùm ergo clarè aſſerat Alchoranus prędicto cap. 2. Chriſtum potuiſſe mutare legem, & ea quæ prohibita erant permittere & ſoluere, prout ipſe loquitur, ſeu facere licita: non poteſt Mahometanus Chriſtum de mutatione legis arguere: propterea exiſtimo huiuſmodi calumniam ab alio, Iudæo forte aliquo, ſuppoſitam in tuo libro, non à te appoſitam; ſicut & execrationem illam in Beatos Chriſti Apoſtolos, de qua ſuprà: fuerunt forte ſuppoſita dum Perſide Romam per tantos viarum tractus incederet.

Et ex his patet, non benè inferri adulterationem Euangeliorum in illis locis, in quibus Veteris legis præcepta tollunt, & de imperfecto ad perfectum reuocant; narratur enim ibi, factum eſſe à Chriſto, quod in Veteri lege ab ipſo faciendum prænunciatur & faciendi poteſtas declaratur. Item dicitur illis locis Chriſtum feciſſe id, quod neque Alchoranus auſus eſt, propter rei euidentiam ſeu certitudinem, inficiari. Non ergo poſſunt in illis locis Euangelia de adulteratione notari.

SECTIO II.

Quàm conueniens fuerit Moſaicam legem per Euangelicam abrogari.

Conueniēs fuit Moſaicā legem per Euāgelicam perfici.

FVit autem conueniens, legis Moſaicæ in Euangelicam mutatio: ſicuti conueniens eſt, imperfectum ad perfectionem deducere: talis eſt enim Dei ordinatio, etiam in naturalibus; exempli gratia: Plantas priùs facit germinare, exindè paulatim creſcere, deinde floreſcere, & tandem fructus producere; & ſic de ſingulis: vt facilè patet conſideranti: Ità in moralibus: ab initio Deus per naturale lumen rationis, naturalem legem hominis menti indidit. Deinde, cùm ſola non videretur ſufficere propter mentis acumen originali culpa hebetatum, ſcriptam addidit legem per Moyſen: & tandem, cùm illa Moy-

ſis in multis deficeret; vt ipſe Deus per Ezechielem Prophetam c.20.n.25. teſtatur, dicens. *Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non viuent.* Propterea tandem miſit Ieſum Meſsiam; vt vltimam legi manum imponeret, & perfectiſsimis omninò præceptis compleret. Et cùm homo non ſolùm deficeret cognitione, ignorans Dei voluntatem: verùm etiam deficeret arbitrio, & propenſione: quamuis enim Dei legem agnoſceret, tamen propter animi propenſionem ad malum, Dei legem non implebat: quarè duo hi hominis defectus non poterant ſola legis propoſitione ſuppleri: ſed vltra legis propoſitionem, qua illuminatur intellectus, requirebatur etiam auxilium aliquod, quo firmaretur & alliceretur affectus: lex verò Moyſis vnicum tantùm præbebat ex ſe lumen, vt Dei voluntatem ſciret intellectus, nullum verò præbebat per ſe auxilium quo ad obtemperandum moueretur affectus: quamuis nullo tempore deſtiterit Deus, tã ſub lege naturæ, quàm etiam ſub lege Moyſis, ex Chriſti prævisis meritis, gratiæ ſuæ dona & adiumenta prebere, ad vtriuſque legis adimplenda pręcepta, quæ aliàs ſine tali robore impleri minimè potuiſſent. Sed talis gratia non erat illis legibus propria; ſed à lege Chriſti, quæ lex gratiæ eſt, veluti emendicata. Deus enim intuitu meritorum Chriſti, quæ pro lege gratiæ ſeu Euangelica ſeruabantur, hominibus ſub lege naturæ vel ſcripta militantibus, ſuæ gratiæ munus conferebat. Vnde gratia & robur proprium legis Euãgelicæ, ſeu ex meritis Chriſti Euangelicæ legis conditoris, veluti commodabatur Moſaicæ legi: ipſa enim tale robur non præſtabat ex ſe; propterea Apoſtolus ad Hebræos 7.19. *Nihil ad perfectum adduxit lex.* Ergo in multis lex illa deficiebat: Tum quia præcepta plurima non erant perfectiſſima, quæ homini conuenirent: Tum quia non præberet auxilium, quo voluntatem moueret: Auxilium verò propter imbecillitatem homini debebatur: Vnde in ea lege, propter imbecillitatem, imperfectiones illæ permiſſæ ſunt; vt libellus repudij, pluralitas vxorum; & cætera complura: Chriſtus verò adueniens, per legem Euangelicam, cenſuit decentius fuiſſe, mediante gratia imbecillitatem roborare ad perfectiſſima præcepta implenda, quàm, non præbendo gratiam, legis imperfecta permittere. Duo ergo fecit pręcipuè Chriſtus: Primò mutauit præcepta rudiora in perfectiora, tollens libellum repudij, vxorum pluralitatem

ralitatem, & cætera permiſſa in Veteri lege propter hominum ruditatẽ, & imbecillitatẽ. Secundo tradidit gratiam & auxiliũ, vt perfectiora illa pręcepta poſſent impleri In lege igitur Moyſis imperfecta tolerata ſunt; quia natura non fuerat adhuc per Chriſti gratiam & redemptionem roborata: Vndè propter penuriam gratiæ minutum eſt de perfectione iuſtitiæ. Non quidem, vt ſemper defectus legis faceret in homine defectum ſanctitatis; ſed, vt qui propter rei tenuitatem non poſſet adhuc ſummam omnem implere, ſolueret tamen aliquem intereà cenſum; vſque dum, factus Chriſti munificentia ditior, debiti totius expenderet ſolutionem. Propterea Chriſti aduentus tulit ſecum robur gratiæ; & cum gratiæ robore legis plenitudinem, rigoremque iuſtitiæ; imperfectionem in lege non vltrà permittens, & omnia ad debitam perfectionem adducens. Patet autem diſcurrendo per ſingula quæ obijcis: an Chriſtus perfecerit vel minuerit de mandatorum perfectione.

Et quod ad coniuges pertinet: quis ignorat, conuenientius humanę naturæ, rationique magis conſonum, vni viro vnicam eſſe vxorem quàm plures ſimul: nam proptereà Deus ab initio, dum hominem formauit, non duas aut plures, ſed vnicam tantùm Adamo coniugẽ dedit: & hoc ipſum allegauit Chriſtus Phariſæis Matt. 19. n. 4. ſeu ſect. 59. *Non legiſtis, quia qui fecit hominẽ ab initio, maſculum & fœminam fecit eos; & dixit: propter hoc dimittet homo Patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ: & erunt duo in carne vna: itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro.* Quibus verbis indicauit Chriſtus: quid factum ſit ab initio, quod etiam narratur Gen. 2. quando Deus Euam de Adami coſta formauit. Vbi obſeruandum eſt: Deum non feciſſe ipſi Adamo plures; ſed vnicam: quia conuenientius erat, Et certè, ſi quando tribuendæ fuiſſent vni viro plures vxores, nunquam fuiſſet opportuniùs; imo quando magis ratio dictaret, & veluti neceſſitas vrgeret; quàm tunc ab initio, vt citiùs hominibus mundus impleretur: tamen Deus non fecit, quia ſcilicet erat conuenientiùs, & rationabiliùs. Sicut è contra; quanta ſequuntur mala, & inconuenientia ex vxorum pluralitate? quod mala patiuntur fęminæ? quàm acriter zelotypiæ ſtimulis vexantur, quanta æmulatio inter filios? quanta perditio in bonis? cum filij diuerſarum ad inuicem pugnent: ità vt vnica domus ſibi met ipſi aduerſetur, & ſeipſam deſtruat. Inſuper, &

Naturale eſt vnicam vxorem vni viro, & non plures eodem tẽpore ſociari.

matri-

matrimonium quod ad procreandos liberos, homines propagandos, debitamque illis ſubſtantiæ portionem diſtribuendam fuerat ordinatum, fit ex iſta pluralitate perditio eorumdem. Experiuntur hoc Turcarum Principes, quibus, mortuo Patre, neceſſaria fit aliorum fratrum mactatio; vt regnare nequeant, niſi fratres occiderint: nam plures matres inter ſe, tàm pro ſe, quàm pro liberis, vel ſecretis vel publicis odijs perpetuò neceſſe eſt diſſidere. Hoc autẽ non ſequitur cùm vnica eſt mater, & fratres etiam vterini: mortuo enim Patre, ſupereſt identitas matris, quę non habet contra quam pugnet, & fratres, duplici faternitatis vinculo colligati, arctiori charitatis nodo conſtringuntur, & ordo maioritatis aufert cauſas diſſidentiarum. Vndè patet, quàm ſit conuenientiùs, vni viro vnicam tantùm eſſe vxorem. Et propterea benè Deus ab initio ordinauit; & Adam rationali illo, quod Deus eius menti indiderat, lumine proſpiciens dixit: *Propter hoc relinquet homo Patrem ſuum, & matrem; & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* Non dixit: erunt tres, vel plures; ſed duo; ſignificans; hoc eſſe humanæ naturæ conſentaneum, non illud. Teſtante etiam (pręter naturalẽ zelotypiam quæ abhorret conſortium) coniugali amore, qui naturali quodam pondere in vnicũ tantũ obiectum rapitur, & non in plura diſtrahitur.

In creatione perfectiſſima lex eſt menti hominis indita.

In qua re: ad maiorem claritatem breuiter animaduertendum eſt: Deum etiam ab initio perfectiſſimam, & humanæ naturæ debitã legẽ, homini tradidiſſe: legem illã inquã, quæ naturalis dicitur, dans illis intellectum, qua honeſta ab inhoneſtis diſcerneret: Inſuper dans etiam eius voluntati propenſionem ad honeſta facienda, & inhoneſta & turpia fugienda.

Homo in creatione ad finẽ ſupernaturalem deſtinatus: & non creatus in puris naturalibus.

Preterea, quãuis poſſet illũ in puris naturalibus creare, nõ ordinãdo illũ ad aliquid, quod eius naturã excederet: tamen noluit; ſed potius illum creando direxit ad finem ſupernaturalem, naturæ humanæ non naturaliter debitum, ſed excedentẽ, & ſupra eius naturam; ideſt ad Dei fruitionem, quæ eſt diuinæ beatitudinis participatio. Itaque homo creatus eſt, vt fieret Deus per gratiam: Non vt in ſola humanæ naturæ vilitate iaceret, ſed vt ad Dei conſortium aſcenderet. Vndè dicit Auguſt. tom. 9. libro altero Meditationum, cui titulus eſt *De diligendo Deo* duab. circiter col. poſt initium, *Deus creauit hominem, vt ſummum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando poſſideret,*

poſſidendo

poſſidendo frueretur. Hunc finem vt aſſequeretur tribuit illi robur quoddam ſupernaturale, quod dicimus gratiam; quæ eſt aliquid naturæ non debitum, at neceſſarium ad illum finem ſupernaturalem aſſequendum: nam robur naturale & vis naturalis, non eſt proportionata ad faciendum aliquid ſupra naturam, vel aſſequendum ſupernaturale: ſed proportionali modo vires naturales ſufficiunt ad ſola naturalia: ad ſupernaturalia verò ſupernaturalia requiruntur auxilia: media enim proportionē habere debent ad finem; quæ proportio inter ea, quæ ſunt diuerſi ordinis, non intercedit. In tali ergo ſtatu conditus fuit homo, mentiq. eius indita lex peſectiſſima mediante non ſolùm naturali intellectus, lumine: ſed etiā addito ſupernaturali fulgore gratiæ. At deinde per peccatum Dei præceptum tranſgrediens, amiſit gratiam illam ſupernaturalem: & naturalis etiam eius vis eſt imminuta, & infirmata. Et cùm homo in illo ſtatu originalis iuſtitiæ eſſet potēs duplici virtute & fortitudine; nempe gratiæ, & naturæ: poſt peccatum duplicem incurrit debilitatem, nempe defectum gratiæ & infirmitatem naturæ. Vnde id quod priùs facere poterat duplici inſignitus robore: deinde non valebat, duplici deſtitutus munere, duplici infirmatus vulnere: vno, quo interijt gratia: altero, quò ægrotauit natura. Quod ſignificauit Chriſtus in Euang. Luc. 10. ſeu ſect. 40. afferēs parabolam illam de homine, qui in latrones inciderat, à quibus expoliatos eſt & vulneratus: expoliatio ſignificat amiſſionem gratiæ; acceptio autem vulnerum infirmationem naturæ; nam gratia omninò ammiſſa eſt: natura verò non omninò perijt, ſed remanſit infirma, & debilis. Ille enim homo, qui ante peccatum ſui intellectus acumine cuncta perſpiciebat, & ſine formidine rerum naturalium veritatem intuebatur: Ille, qui ante peccatum ſuæ voluntatis imperio ſenſus omnes ſuaſque potentias ſine reluctatione moderebatur: Poſt lapſum ita minutus eſt intellectus lumine, vt nō niſi raro cum certitudine, ſæpiſſimè cum formidine, de rebus ratiocinetur, & non niſi formidoloſa conſilia voluat; vt ille inter homines ſapientiſſimus id aſſerere ſit coactus, Sap. 9. n. 14. dicens, *Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ: corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Et difficilè æſtimamus, quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt inuenimus cū labore*: Poſt lapſum item, vo-

Per peccati lapſum amiſſa eſt gratia & infirmata hominis natura

luntatis

luntatis imperium ita euaſit infirmũ,& inferiores ſenſuum potẽtiæ ita euaſere rebelles; vt voluntatis imperio reluctentur, & ſubditæ reginã opprimant, illam ſæpiſsimè tyrannicis præceptis ſubijcientes: ipſaq. viribus deſtituta, deſtituta propemodũ videtur & animo reluctandi. Hæc, & pleraque alia mala incurrit homo, cũ Dei præcepto debita renuit obſequia præſtare. Iuſta prorſus retributio: vt qui ſuperiori obedientiam denegauerat, ab inferiori opprimeretur.

Remediũ homini à Deo promiſſũ ſtatim poſt lapſum.

Reſpiciens iuſtus ſimul & miſericors Deus tantam hominis calamitatem; nè diabolus gloriaretur; ſuis verſutijs hominem de fine ſibi à Deo præſtituto deuiaſſe, ſeque illi vias præcluſiſſe ad illum capeſſendum: cùm Iuſtitia hominem gratia ſpoliaſſet; excogitauit quomodo cũ miſericorditer ad gratiã reuocaret, nolens illũ iacere in infimis, ſed ad eundẽ finẽ ab initio propoſitum deſtinare. Vndè iam tunc ab initio, ſtatim poſt hominis lapſum, remedium homini pollicitus eſt: ſerpenti ſimul, ne gloriaretur; comminans illis verbis, Geneſis 3. *Inimicitias ponam inter te & mulierem; & ſemen tuum & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius.* Hoc autem de peccato originali primi parentis, & remedio quod Deus pollicitus eſt; eſt tam vulgatum apud omnes, vt etiam in Alchorano Mahomet appoſuerit, pluribus in locis, & præſertim سوره البقره *De Vacca*, quod eſt primum Alchorani caput. Non longè ab initio capitis ſic dicens:

فتلقى آدم من ربه كلمات فتاب عليه انه هو التواب الرحيم
قلنا اهبطوا منها جميعا فاما ياتينكم مني هدى فمن تبع
هداى فلا خوف عليهم ولا هم يحزنون ۞

ideſt. *Et ſuſcepit Adam à Domino ſuo verba, & miſertus eſt eius, quia ipſe eſt pœnitens miſerator. Diximus: egredimini ex eo,* ideſt de Paradiſo, *omnes. Veruntamen ecce veniet ad vos omninò ex me Magiſter* ſeu *director Meſſias, & quicumque ſecuti fuerint Meſſiam meum, non erit contra eos timor, & non contriſtabuntur.* idem ferè habetur cap. طه circa finem. Hic autem

Ma-

Magiſter Dux ſimul & Redemptor, iam tunc exinde promiſſus, Chriſtus Ieſus eſt. Propterea ſacra Scriptura dicit, verbis prællegatis, de ſemine mulieris, non dixit de ſemine viri; eo quòd ſemen mulieris contriturum eſſet Diaboli caput: hoc autem in ſolo Chriſto completum eſt; non enim eſt alius homo de ſola muliere natus, ſine viri conſortio, quod etiam fatetur Alchoranus, tàm c. primo 3. libri, cui titulus eſt سورة مريم *De Maria*, quàm c. 2. lib. primi, cui titulus eſt سورة آل عمران *De familia Amrani*, & alibi quoque. Ergo Chriſtus ibi promittitur homines redempturus. Atque hoc fuit diuinæ mentis conſilium, ne homo periret. Dignum prorſus tantæ bonitatis inuentum: in quo viciſſim emicant & Iuſtitiæ ſplendores, & miſericordię fulgores; cùm hominẽ propter peccatum puniens, vindicante iuſtitia; noluit omnino perire, dictante miſericordia.

Et quamuis iam tunc ab initio poſt lapſum ordinatum fuerit hoc remedium: non tamen illico eſt datum: Deus enim omnia ordinatè & ſuauiter diſponit; & ſicut diximus, de imperfecto ad perfectum paulatim omnia per profectus adducit: vt & homo ipſe primò debilis infans, exinde puer, tum adoleſcens, deinde iuuenis, & in robore ætatis. *Nō tamē poſt lapſum diles tribuendum.*

Nec ſolùm propter dictam rationem, ſed etiam propter alias, non illicò homini remedium eſt datum, quamuis illicò promiſſum: ſi enim ſtatim remedium habuiſſent homines, miſerias, in quas prouoluti erant per peccatum, non cognouiſſent. Vndè inter cætera duo præcipuè mala exoriebantur: vnum eſt, quòd Dei offenſam paruipendiſſent, cùm tam citò videretur remiſſa. Alterum eſt quòd remediũ non tanti, quanti erat æſtimandum, æſtimaſſent: propterea Miſericordia ſtatim remedium promiſit; Iuſtitia verò ne ſtatim adhiberetur præpediuit. Expediebat itaque hominem aliquantiſper in ſua infirmitate tabeſcere, nec ſtatim medicinæ remedium obtinere; vt ex pœnæ aſperitate delicti grauitatem agnoſceret, & medicamenti lenitatem poſt longa deſideria chariorem haberet. Addi poteſt tertium, ſcilicet vt ſuam debilitatem & imbecillitatem expertus, ſpem omnem in Dei auxilijs addiſceret collocare. Quia ergo retardandum erat remedium ordinãte Iuſti-

Q tia:

Poſt lapſũ ãte exhibitũ remedium promiſſum eſt omnibus per fidem in futurum mediatorem.

tia: ne homines, qui interea ex hac vita migrarent, interirẽt, prouidit miſericordia, dans illis fidem in futurũ Mediatorẽ, in venturum Redemptorem: ſicque primus homo, cauſa originalis culpæ pœnis addictus, per fidem n futurum Mediatorem ſaluus eſt effectus, vt Salomon inquit Sap. 10. *Hæc illum, qui primus formatus eſt à Deo pater orbis terrarum; cùm ſolus eſſet creatus, cuſtodiuit, & eduxit illum à delicto ſuo.* Ita & omnes, qui in gratia deceſſerunt ante Chriſti aduentum, ſalui facti ſunt per fidem in venturum Redemptorem, vt etiam ſanctus Iob. c. 19. *Quis mihi tribuat, vt ſcribantur ſermones mei? Quis mihi det, vt exarentur in libro ſtylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte ſculpantur in ſilice? Scio enim quòd Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum ſaluatorem meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Omnes ergo, etiam ante Chriſtum, ſalui effecti ſunt per Chriſtum, mediante fide in eum venturum.

Permiſſa quædam imperfecta in veteri lege ante reparationem.

Interea ergo, antequam per Chriſtum redemptio compleretur, & gratia per eum abundanter obtineretur; propter naturæ lapſæ imbecillitatem, vſque dum ad robur priſtinum per Chriſti gratiam reuocaretur, quædam minus perfecta fuerunt permiſſa. At adueniente gratiæ robore & plenitudine, decebat imperfecta illa non amplius tolerari, & propterea Chriſtus, quæcumque in lege Moyſis imperfectionem ſapiebant, Euangelicæ legis præceptis abrogauit, vniuerſa ad debitam & priſtinam reuocans perfectionem.

SECTIO

SECTIO III.

Imperfecta quædam legis Moſaicæ ad perfectum reuocata per Euangelicam.

ET quod pertinet ad Vxorum pluralitatem, iam ex dictis conſtat vni viro magis conuenire coniugem vnam, quàm plures ſimul. Quoad repudij libellum: & quis non videat, eſſe etiam conuenientius, non poſſe quacumque de cauſa vxorem dimitti? nam cum ſint facti vir & vxor vna caro, non debet leuis eſſe cauſa, quæ ad ſeparationem ſufficiat: talis enim coniunctio à Deo facta eſt, vt Chriſtus Math. 19. n. 6. ſect. 59. *Quod ergo Deus coniunxit homo non ſeparet*. Eſt autem cauſa, quâ poſſit vxor dimitti, eaque vna eſt: ſi adulterium commiſerit: vt habetur ibidem Matth. 19. n. 9. *Dico autem vobis, quia quicumque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimiſſam duxerit, mœchatur*. Eſt autem conueniens, vt dimittatur quæ fornicata eſt; cum per fornicationem ipſa fidem priùs fregerit, viro alteri ſe proſtituens: & capitis damnationem incurrens, vt Leuit. 20. n. 10. Deut. 22. n. 22. propterea Chriſtus hac ſola de cauſa dimiſſionem eis licere dixit, non alia; quia vinculum tam arctum non erat niſi grauiſſima hac de cauſa eo modo, capitali ſcilicet pœna adulteræ, diſſoluendum. Moyſes autem, ſi alijs de cauſis repudij libellum permiſit, ea ratione fecit, quam ipſe Chriſtus aſſignat ibidem. Matth. 19. verſ. 8. *Quoniam Moyſes ad duritiem cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras; ab initio autem non fuit ſic*. Quia proſpiciebat Moyſes, tantam eſſe Hebræorum cordis duritiem, vt procliues illos cerneret ad occiſionem vxorum, quæ ſibi amplius minimè placuiſſent: Propterea melius cenſuit illas dimiſſas viuere, quàm matrimonio copulatas interfici: permittebat ergo minus malum ad euitandum maius: vndè imperfectio in ea lege negari non poteſt. Chriſtus autem in lege Euangelica noluit eſſe talem imperfectionem: propterea per Matrimonij Sacramentum dat gratiam viris ſimul & vxoribus, vt ſe inuicem diligant, duritiem illam cordis de medio tollens: nè, propter illum defectum in mente viri, alius defectus eſſet

Imperfectio quædam legis, repudij permiſſio.

 in legẽ

in lege permittendus: & ſic optimè prouiſum eſt (quantum eſt ex parte legis, & legiſlatoris) vt ablato interfectionis timore, libellus etiam tolleretur repudij; quàm, perſiſtente occiſionis periculo, libellus repudij permitteretur. Melius enim fuit duo mala, & imperfecta, ad perfectionem reuocare; quàm vtrumque in ſua imperfectione relinquere.

Glorioſius iniuriã remittere: quàm vindictã expetere.

Similiter pœnam Talionis, & vindictam expetendam prohibuit Chriſtus; quia perfectius eſt, inimico parcere, quàm de ipſo vltionem ſumere: eaque res tam clara eſt, vt ab ipſiſmet gentilibus magni animi virtus haberetur; & præcipui Romanorum Imperatores in primis, ſe inimicis pepercisse, gloriabantur. Quare & eloquentiſſimus quidam orator nomine Marcus Tullius Cicero, ante Chriſti aduentum & legis Euangelicæ cognitionem, in oratione pro M. Marcello deſumpſit argumentum ad Iulium Cæſarem laudibus euehendum, quòd poſt victoriam cùm poſſet de inimicis vindictam ſumere, maluiſſet parcere: Vnde & dicebat orator ille. *Tantam manſuetudinem; tam inuſitatam, inauditamque clementiam, tacitus præterire nullo modo non poſſum.* Deinde poſtquam multas Cæſaris prærogatiuas enumerauerat, hæc ſubiungit. *Tamen affirmo nullam in his eſſe laudem ampliorem; quàm eam, quam hodierno die conſequutus es.* Deinde, *& cæteros quidem omnes victores bellorum viceras: hodierno verò die te ipſum viciſti. Ipſam victoriam viciſſe videris; cùm ea ipſa, quæ illa erat adepta, victis remiſiſti.*

Eſſe autem perfectius inimicis parcere: patet etiam ex libris ſacris, ad Teſtamentum Vetus ſpectantibus. Dauid nonne multum commendatur eò quòd inimicis pepercisset? ipſe Dauid gloriatur 2. Reg. 16. & pſal. 7. *Si reddidi retribuentibus mihi mala, &c.* Imo & ipſius inimicus Saul miratus eſt tantam Dauidis virtutem, vt cùm poſſet ſe vlciſci, noluiſſet; & ex tanto virtutis actu ad charitatem conuerſus eſt pro illo tempore erga Dauid, quem perſequebatur; & illum certò regnaturum coniecit. Vndè 1. Reg. c. 24 n. 18. hæc dixit ad Dauid: *Iuſtior tu es, quàm ego: tu enim tribuiſti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala. Et tu indicaſti hodie, quæ feceris mihi bona: quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, & non occideris me. Quis enim cùm inuenerit inimicum ſuum dimittet eum in via bona? ſed Dominus reddat tibi viciſſitudinem hanc pro eo quod hodie*

operatus

operatus es in me. Et nunc, quia ſcio, quòd certiſſimè regnaturus ſis, & habiturus in manu tua Regnum Iſraël: Iura mihi in Domino, ne deleas ſemen meum poſt me, neque auferas nomen meum de domo patris mei. Et iurauit David Sauli, &c. Ex his ergo patet, hoc eſſe perfectius: quia verò difficile, propterea aliquid circa illud in lege Veteri fuit permiſſum propter debilitatem naturæ, & defectum plenitudinis gratiæ: non permittendum in Euangelica lege, propter gratiæ plenitudinem.

Quod autem pertinet ad lapidationem adulteræ; reſpondeo, Chriſtũ prohibere potuiſſe, vt patet ex dictis: Tamen in Euangelio non habetur, quòd ſimpliciter prohibuerit; ſed quòd interrogatus à Phariſęis: an cęſeret adulteram illam lapidandam, Chriſtus non reſpondit; ſed inclinans ſe, digito ſcribebat in terra: deinde erectus ad Phariſæos. *Qui veſtrum* (inquit) *ſine peccato eſt, primus in illam iaciat lapidem*; ſic loquebatur Chriſtus: hæc tantùm dixit, hæc fecit. Iudæi autem hæc videntes, hæc audientes, vnus poſt alium omnes diſceſſerunt: non quòd Chriſtum cenſerent legis propterea eſſe tranſgreſſorem; ſed quòd ſibi timerent, eò quòd ipſi quoque eſſent adulteri, alijſque ſcelerum flagitijs obuoluti, ne eos detegeret, eorumque reuelaretur turpitudo. Hoc autem patet ex contextu: quia Phariſęi aliud non perquirebant, quàm accuſandi cauſam, & anſam reprehendendi Chriſtum: quòd ſi tunc cauſam adepti eſſent, vtique non diſceſſiſsent, ſed potius, eam culpam illi objicientes, perſtitiſſent: nulla autem talis culpa deprehenſa eſt, quia ipſe nõ prohibuit expreſſè lapidationem; ſed dixit, illam ab eo lapidandam, qui in conſimili culpa non eſſet. Phariſæi autem reſponſionem tanta prudentia perlibratam & expenſam à Chriſto audientes, qua eos redarguens, non poſſet ab ipſis in aliquo reprehendi; propterea confuſi diſceſſerunt. Chriſtus verò, cùm ſolus remanſiſſet, dixit adulteræ: *Vbi ſunt qui te accuſabant, quis te condemnauit?* Illa reſpondit, *Nemo Domine*. At Chriſtus videns non eſſe accuſatorem, nec iudicialiter de adulterio conſtare: propterea, nec ipſam voluit ſententiæ ſubiacere, ſed dixit. *Nec ego te condemnabo, ſed vade & noli amplius peccare*. Sic habetur huius hiſtoriæ narratio apud Ioannem cap. 8. & in textu Arabic. ſectione 19. vbi apparet, Chriſtum in hoc tunc legi non derogaſſe, quamuis potuiſſet.

Prudens ad Iudæos Chriſti reſponſio, de adultera ad lapidationem expoſtulata.

SECTIO IV.

De triplici legis Moſaicæ præceptorum genere.

Præcepta veteris legis, vel moralia, vel ceremonialia vel iudicialia

ET ne cogamur per ſingula, quæ obijcis, longam reſponſionem facere: ad tria capita reuocemus omnia; vt ſic breuiter ad omnia reſpondeamus. Clara eſt & celebris diſtinctio præceptorum Moſaicæ legis. Alia enim ſunt moralia, ad morum regulationem pertinentia, moreſque moderantia. Alia ſunt iudicialia, id eſt ad iudicia, & ſententias, condemnationem, vel liberationem ſeu abſolutionem Rei &c. Alia erant cęremonialia, pertinentia ad ritus diuini cultus, & ſacrificiorum diuerſitatem, & modum.

Præcepta moralia conueniens fuit per Euangelium perfici.

Et primò, quod pertinet ad præcepta moralia, conueniens fuit non tolli, ſed potiùs perfici: morum enim integritas facit rationalis creaturæ perfectionem, illam ordinando ad Deum, vt ſit deuota, ad proximum, vt ſit iuſta; ad ſe ipſam, vt ſit honeſta. Vnde is ſanctior eſt & iuſtior, qui honeſtioribus decoratur moribus: & decebat legis Euangelicæ profeſſorem, eſſe profeſſore legis Moſaicæ honeſtiorem. Et legis Euangelicæ Mediatorem decebat perfectiorum præceptorum auctorem eſſe. Inſuper & præmium maius, quod in lege Euangelica à Deo promittitur, erat conuenientius, per merita digniora conſequendum.

Primò decebat, Mediatorem dare perfectiora præcepta, quia Chriſtus erat Moyſe longè perfectior: Imò quia erat Deus, vt infra oſtendemus, decebat ab ipſo perfectiſſima prouenire mandata, quibus humana creatura maximè perficeretur in moribus, in quibus eius perfectio conſiſtere videtur. Vnde Auguſtinus libro octogintatrium quæſtionum, quæſt. 53. vel 54. *Inchoatio ergo*, ait, *quædam facta eſt ſub pædagogo; vt magiſtro perfectio ſeruaretur: cum tamen idem Deus & pædagogum paruulis dederit, legem illam ſcilicet per famulum ſuum; & magiſterium grandioribus, id eſt Euangelium per Vnicum ſuum.*

Secundò decebat eos, qui Euangelicam legem accipiebant, eſſe

eſſe honeſtiores moribus; cùm de ſeruitute ad filiorum & amicorum libertatem vindicarentur, cùm de timore in amorem raperentur: & propterea Dei amicos, Dei filios, honeſtiores & perfectiores decebat eſſe, quàm ſeruos. Certum enim eſt, legem Moyſis fuiſſe legem ſeruitutis, & timoris; qua Deus, tamquam ſeruos, illicò peccatores puniebat: pro qualibet ferè culpa ſtatim lapidatio imminebat. Non ſic in lege Euangelica; quæ eſt lex amoris, & filiorum, & amicorum. Vnde Io. 1. dicitur: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*. Et Chriſtus dixit Apoſtolis: Io. 15. ſeu ſect. 34. *Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos.*

Tertiò etiam ratione præmij in Euangelica lege mores decebat eſſe honeſtiores; quia præmium, quod illicò poteſt obtineri ſtatim poſt mortem, eſt gloria æterna, beatitudo, Dei viſio; quæ eſt Diuinæ beatitudinis participatio. In lege autem Moyſi ex hac vita migrantes non illicò beatitudinem conſequebantur, quamuis Sanctiſſimi: Paradiſi enim ianuæ per Chriſti mortem recluſæ ſunt, quæ per peccatum clauſæ fuerant: & propterea, antequam peccati ſatisfactio per Chriſti ſanguinem Deo ſoluta eſſet, ianuæ cælorum numquam fuerunt recluſæ. Hoc ergo maius præmium in promptu poſitum ab honeſtioribus decebat accipiendum. Vnde Chriſtus Matthæi ſect. 8. in fin. ſeu cap 5. num. 20 *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum Cælorum.*

Quartò, etiam ratione auxilij, quo infirmitas humana roboratur ad maiora virtutis opera: decebat etiam in Euangelica lege perfectiora dari moralia præcepta, ſicut ſupra tactum eſt. His omnibus penſatis; & alijs etiam, quæ facilè conſideranti occurrent; patet, quàm benè à Chriſto honeſtiora, & perfectiora morum præcepta in Euangelica lege fuerint præſcripta. Hoc enim erat humanæ creaturæ proprium, & rationali naturæ conſentaneum. Talibus namque præceptis ordinatur homo, vt piè ſe habeat ad Deum, iuſtè ad proximum, honeſtè ad ſe ipſum, & rationabiliter ad omnes.

Et quod pertinet ad iudicialia, fuit etiam conueniens illa abrogari; quia nimis ſeuera erant: pro quolibet ferè crimine imminebat lapidatio; erat lex nimis rigoroſa, lex timoris, lex ſeruitutis, ita vt dicere poſſet Petrus Actor. 15. num. 10. *Quid tentatis Deum imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum*, *Iudicialia decuit per Euangelium abrogari.*

quod

quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus? Chriſtus autem Euangelicam voluit dare legem, ideſt legem boni nuncij: non aſperam, ſed ſuauem, ſicut dixit in Euangelio Matth. 11. in fin. ſeu ſect. 32. *Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue*. Non timoris, ſed amoris, vt Ioann. cap. 3. ſeu ſect. 7. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*. Et alibi Ioan. 15. 12. ſeu ſect. 34. *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos*. Et alibi Lucæ 9. 56. ſeu ſect. 37. *Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare*. Non ſeruitutis ſed filiationis, vt Ioan. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*. Non ſeruitutis, ſed amicitiæ, vt Ioan. 15. 14. ſeu ſect. 34. *Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos meos*. Decebat ergo, vt lex ſuauis, lex amoris, lex filiationis & amicitiæ tolleret ea, quæ erant rigoroſa, incutientia timorem, & ſeruitute prementia, prout erant Iudicialia præcepta; propterea Chriſtus per Euangelicam legem abrogauit.

Cæremonialiũ Moſaicæ legis vtilitas per Euangelium enacuata eſt.

Quoad cæremonialia verò, conueniens fuit etiam, vt omnia abrogarentur; quia per cæremonias illas, ſacrificia, oblationes, ritus, &c. ſignificabatur (præfigurando) aliquid circa venturum Meſſiam: vel natiuitas, vel vita, vel paſſio, mors, qualitas mortis, & cætera huiuſmodi; vt conſideranti ſingula facilè patebit, noſque breuitatis cauſa præterimus: ſufficit illud tantùm Apoſtoli adnotare ad Corinthios priori vice ſcribentis cap. 10. 11. *Omnia in figura contigebant illis*. Cùm ergo aduenit Chriſtus, præſens adfuit ipſum ſignificatum; propterea non erant ampliùs neceſſariæ illæ præſignificationes, erat præſens ipſummet corpus, & exemplar; propterea non ampliùs opus erat imaginibus, & figuris; erat præſens veritas, propterea adumbrationes illæ, quæ per cæremonias habebantur, ablatæ ſunt. Sic Aug. contra Fauſtum lib. 19. c. 13. *Sacramenta veteris legis ſunt ideo ablata, quia impleta. Et alia ſunt inſtituta, virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.*

SECTIO

SECTIO V.

Quomodo Moſaica lex dicatur æterna.

SEd dices haberi in lege, pleriſque locis, legem illam eſſe æternam: ergo non potuit à Chriſto, aut ab alio, illi derogari.

Quomodo ſit accipienda Moſaica legis æternitas.

Ad hoc duplicem poſſumus dare reſponſionem. Primò quòd vſus Scripturæ in ea locutione (in æternum) talis eſt, vt non ſumatur propriè plerumque; ſed ſignificare ſolet vſque ad certum tempus, per alias eiuſdem Scripturæ partes præſtitutum, vt cap. 21. Exodi num. 6. dicit, quòd ſeruus de filijs Iſrael ſeruiens alteri, ſi noluerit fieri liber certo quodam tempore, perforetur auris eius, & ſit ſeruus in æternum: vbi ly, (æternum) non ſignificat omne tempus vitæ; ſed tantum, quantum ſupererat tunc, vſque ad annum Iubilæi; tunc enim omnis ſeruus ex filijs Iſrael, ſine aliqua redemptione, ſolo temporis aduentu, liber euadebat; prout habetur Leuit. cap. 25. num.54. ſic etiam in caſu noſtro, dicitur lex æterna, ideſt vſque ad Meſsiæ aduentum, cui per aliam legis partem, vt diximus, omnis poteſtas ſupra legem tribuitur, vt poſſet ad libitum vniuerſa mutare: Interea verò nemo auderet legi derogare, illiuſque præcepta non exequi: & ſic reſpectu illorum quorumcumque omnium, excepto Meſsia, dicebatur æterna, quòd numquam haberent poteſtatem mutandi, eique in aliquo derogandi.

Secundo modo dicitur æterna ſpectando legem, prout continet illud præceptum, quo iubet, vt omnes Meſsiæ obedientiam præſtent: & hæc lex, prout hoc præceptum continens, eſt æterna, quia ſemper & in æternum eſt Meſsiæ obediendum. His modis ergo dicitur Moyſi lex æterna.

SECTIO VI.

Chriſtus quædam præcepta veteris legis abrogauit per Apoſtolos ſuos.

Apoſtoli teſtes Chriſti, eiuſque præceptorum.

NEc poteſt obijci rurſus: non fuiſſe omnia à Chriſto mutata, ſed fuiſſe à Chriſti Apoſtolis, Petro, Ioanne, Paulo, Matthæo, &c. & propterea, licèt quædam iurè fuerint abrogata per Chriſtum, pleraque per Apoſtolos mutata, non eſſe rite abrogata.

Hoc inquam non obſtat; quia idem eſt fuiſſe abrogata per Chriſtum immediatè per ſe; ac fuiſſe abrogata per Apoſtolos ordinante Chriſto, quia iam conſtat paria eſſe, per ſe Dominum præcipere, ac præceptum inſinuare per ſeruos; eamdem enim vim habet vtrumq præceptum. Si ergo Apoſtoli abrogarunt, vt in tuo libro aſſeris, animaduertẽdum eſt: an habuerint poteſtatem à Chriſto: ſi enim poteſtate Chriſti abrogarunt, vtique abrogata ſunt: ſi autem poteſtate à Chriſto non accepta, abrogare præſumpſerunt; certè abrogata non ſunt: Chriſto namque tribuitur facultas abrogandi præallegato capit. 18. Deuteron. prout etiam in Alchorano cap. 2. præallegatis verbis fatetur etiam Mahomet. At conſtat in Euangelio; Apoſtolos, præcipuè Petrum, à Chriſto hanc habuiſſe poteſtatem, dixit enim Petro Chriſtus Ioan. vlt. *Paſce oues meas*. Et Apoſtolis omnibus Lucæ 10. ſeu ſect. 38. *Qui vos audit me audit*. Et Ioan. 16. 12. ſeu ſect. 35. *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò: cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Et Ioan. 14. num. 26. & 25. ſeu ſect. 34. *Hæc loquutus ſum vobis apud vos manens; Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis*. Et Matth. vlt. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis*. His Chriſti verbis patet, ipſum Chriſtum dediſſe Apoſtolis poteſtatem, complura ſuo nomine circa legem interpretandi, & Spiritu ſancto dictante, mutandi: eaque mutatio tanti valoris eſſet, ac ſi immnediatè facta eſſet ab ipſo Chriſto: Hoc enim verba

illa

illa ſonant; *Qui vos audit me audit*. Et illa; *Spiritus ſanctus ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis*. Vnde ſuggeſta à Spiritu, ſunt etiam à Chriſto mandata, & dictata. Quòd autem ipſe Chriſtus ex ſe immediatè omnia in carne præſens non dictauerit præcepta, ſed aliqua eſſe deinde præcipienda, Spiritu ſancto dictante Apoſtolis, patet etiam illis verbis. *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò, cùm autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*. His poſitis patet; quonam modo fuerint à Chriſto abrogata omnia illa Veteris legis præcepta; vel immediatè, vel mediantibus Apoſtolis.

Ita Circumciſio per Apoſtolos à Chriſto abrogata eſt; prout Actorum cap. 15. vbi narratur, quòd Apoſtoli poſt acceptionem Spiritus ſancti ſimul congregati hæc decreuerunt, & in ſcriptis miſerunt ad populos, qui Chriſti fidem ſuſceperant. *Apoſtoli, & Seniores fratres his, qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex gentibus ſalutem. Quoniam audiuimus, quia quidam ex nobis exeuntes turbauerunt vos verbis euertentes animas veſtras, quibus non mandauimus: placuit nobis collectis in vnum, eligere viros, & mittere ad vos cum chariſſimis noſtris Barnaba, & Paulo, hominibus, qui tradiderunt animas ſuas pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Miſimus ergo Iudam, & Silam, qui & ipſi vobis verbis referent eadem. Viſum eſt enim Spiritui ſancto, & nobis: nihil vltra imponere vobis oneris; quàm hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione; à quibus cuſtodientes vos, bene agetis. Valete*. Hæc ſcripſerunt Apoſtoli gentibus illis, ad eos monendum; ne mouerentur quorumdam Hebræorum dictis, qui eis circumciſionis & legalium præceptorum onus imponere volebant: vt notum illis eſſet, ſe ad cæremonialia & iudicialia legis non teneri: propterea ſcripſerunt, nihil vltra oneris eis eſſe portandum, quàm illa neceſſaria de quibus in dicta epiſtola. Quibus ſignificatur moralium præceptorum neceſſariam eſſe cuſtodiam; quia illa naturalia ſunt, & humanæ naturæ conuenientia, prout homo eſt: decet enim hominem rationis participem, religioſum eſſe erga Deum, iuſtum erga proximum, honeſtè viuere ad omnes; cùm ergo naturalia præcepta ſint, ſecundùm naturam ei conuenientia: propterea non eſt illis de-

Abrogatio Circumciſionis, & veteris legis cæremonialium.

Moraliũ præceptorum ad perfectiorem gradum eleuatio per Euangelium.

rogatum;ſed potius iuſſa perfectiora, prout Matth. c. 5. 6. & 7. & in tex. Arab. à ſect. 8. vſq. ad 14. vbi Chriſtus, poſtquam dixerat, ſę. veniſſe non ad ſoluendam ſed ad implendam legem; & apicem vnum à lege non prætereundum; mox ſubdit hæc: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: non occides;qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri ſuo, raca: reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennæ ignis;* Et poſt pauca: *Audiſtis*, inquit, *quia dictum eſt antiquis: non mœchaberis. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo* &c. ibi ſingillatim naturalia & moralia præcepta ad perfectiorem gradum eleuat, vt patet: maior enim perfectio eſt, ſe cuſtodire etiam ab ira in proximum, quàm ab homicidio tantùm proximi: & ſic diſcurrendo per ſingula. Non igitur abrogauit naturalia & moralia præcepta, quæ in Decalogo continentur, quia quod naturale eſt, ſemper eſt debitum naturæ, & mutari non poteſt, ſicut ipſa natura immutabilis eſt, idque etiam Ariſtoteles 5. Ethicorum, cap. 7. præſertim adnotauit, vbi de lege naturali ait: Vniuerſis hominibus ſemper & vbique eſſe eamdem; *Sicut*, inquit, *ignis, non ſolum hic, ſed etiam apud Perſas vrit*. Cætera verò, quæ naturalia non erant, abrogata ſunt per Chriſtum, vel immediatè, vel per Apoſtolos, tamquam per ſeruos & legatos. Petrus etiã dicto c. 15. Actorum, ſignificans qua poteſtate præſumeret Circumciſionem cum cæteris legalibus abrogare, ſic inquit num. 7. *Viri fratres, vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere*: Ergo in nomine Dei, & poteſtate ſibi à Chriſto tradita, hæc præcipiebat. Sequitur deinde Petrus, narrans: quomodo Spiritus Sanctus de illa quæſtione (An Chriſtiani eſſent circumcidendi) teſtimonium per ſigna dederit, ibid. num. 8. *Et qui nouit corda Deus, teſtimonium perhibuit, dans illis* (ideſt gentibus incircumciſis, ſuper quos venerat Spiritus Sanctus, vt habetur Actorum cap. 10. num. 44. & 45.) *Spiritum Sanctum, ſicut & nobis; & nihil diſcreuit inter nos & illos, fide purificans corda eorum: Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus. Sed per gratiam Domini Ieſu Chriſti*

ſti credimus ſaluari, quemadmodum & illi. Ecce quomodo, Spiritu Sancto dictante, & Chriſto ordinante, abrogata eſt circumciſio, cæteraque legis Moſaicæ præcepta.

SECTIO VII.

De conuenientia abrogationis Circumciſionis.

Abrogatio Circumciſionis fuit conueniens.

FVit autem conueniens, inter cætera etiam Circumciſionem tolli; quia circumciſio erat remedium paruulorum; vt, ſi decederent in infantili ætate, ſaluari poſſent; cum enim actum liberum in ea ætate elicere non poſſent, quo ad Deum conuerterentur, propterea Sacramentum Circumciſionis fuerat inſtitutum. At in Lege Noua ordinatum eſt Sacramentum Baptiſmi, quo omnia peccata delentur: eſtque Circumciſione longè efficacior, & ſuauior, in quo non ſanguis effunditur, ſed aqua: propterea in lege Euangelica, poſito hoc, excluſum eſt illud, tamquam ſuperfluum, & non ampliùs neceſſarium. Præterea, erat Circumciſio quædam præſignificatiua venturi Meſsiæ confeſsio, propterea in ea parte accipiebatur, qua fit humana propagatio. At poſtquam venit Meſsias, non ampliùs erat venturus: & propterea illud Circumciſionis ſacramentum non ampliùs ſignificatiuum, ac proinde reijciendum.

Miror autem per librum tuum ſignificari, contradictionem eſſe in verbis Chriſti, quando dicit, Ioannis 7. 22. ſeu ſect. 18. Circumciſionem Iudęis per Moyſen præſcriptam fuiſſe: Deinde ſubiũgit, non eſſe ex Moyſe, ſed ex Patribus. Cùm ex Geneſi, & reliquis Moyſi libris, vtrumque verum eſſe conſtet: Nempe pręceptã fuiſſe in lege Moyſis; ſed non tunc primò, nã antea Patribus Abrahã, Iſaac, & Iacob de Circũciſione mandatũ fuerat.

At

At illis non fuit præceptum in ſcriptis ſicut per Moyſen. Et hic eſt ſenſus illorum verborum, nec aliqua inuoluitur contradictio: &. facilè ex contextu patet: propterea ad reliqua tranſeamus.

Conuenientia abrogationis cæremonialiũ Veteris Teſtamenti.

Quod diximus de Circumciſione, dici etiam poteſt de cæremonialibus reliquis, quibus ſignificabatur Meſſias venturus, paſſurus, moriturus, vel aliud quippiam de Meſſia. Quæ omnia, poſtquam completa ſunt, realiter & ipſa re adſunt per ipſum Meſſiam: fruſtra igitur deinceps figuris & vmbris, eorum expeteretur præſentia.

SECTIO VIII.

De abrogatione ſacrificiorum Moſaicæ legis. Et de ſacroſancto Euangelicæ legis ſacrificio.

EAdem de cauſa abrogata ſunt ſacrificia, rituſq. varij oblationum Veteris legis: quia ſacrificia illa ad Meſsiæ mortẽ præfigurandam fuerunt inſtituta, propterea enim Deus ſacrificia, nonniſi in vno templo Hieruſalem volebat offerri: de quo, ſi quis curioſè perquirat cauſam; cur Deus prohibuerit in lege Moyſis, ſacrificium ſibi offerri extra templum Hieruſalem: certè non aliud occurret, niſi quia ſacrificia illa erant figuratiua paſſionis Chriſti, quod erat verum ſacrificium Deo gratiſsimũ: hoc autem in Vrbe Hieroſolymâ erat cõplendum; propterea Deus interea, antequam verum offerretur, acceptabat ſacrificia figuratiua, ibi tantùm, vbi figuratum erat ſuſcipiendum. Alioqui enim ſi ſacrificia illa de ſe, ſine tali præfiguratione, grata Deo fuiſſent, vt quid in pluribus locis noluiſſet offerri? quia ſcilicet, non niſi cum tali præfiguratione acceptabat: quod magis patet conſideranti ipſos varios ſacrificiorum ritus à Deo inſtitutos, qui ſingillatim aliquid circa Chriſti paſsionem de ſe oſtendunt præfigurare, ſimilitudine

quadam

quadam. Vt exempli gratia; ſacrificium agni, eiuſque commeſtio à Deo inſtituta Exod. cap. 12. cùm illis circumſtantijs, vt eſſet maſculus, ſine macula, & ſeruaretur vſque ad quartam decimam diem menſis primi, & ne aliquod os illius confringerent, præſignificabat Chriſti paſsionem, & mortem, completā die quartadecima menſis primi: tunc enim fuit cruci affixus: eiuſque innocentiam præfigurabat Agnus ſine macula: illudque, *Os non confringetis ex eo*; iuſſum fuit ad præfigurandum id, quod dicitur in Chriſti paſsione accidiſſe, nempe dum latronibus fracta ſunt crura, Chriſto non fuerunt fracta; ſed vnus militum latus eius aperuit. Sic per ſingulos ſacrificiorum ritus patet applicatio ad figuratum. Sed breuitati ſtudentes illud tantùm referemus, quod etiam Alchoranus retulit capt. 1. de ſacrificio Vaccæ rufæ, quod Numerorum cap. 19. præcipitur, vt ſcilicet adducerent vaccam rufam, integræ ætatis, ſine macula, educerentque illam extra caſtra, ibique imolarent in conſpectu omnium. Hoc etiam ſacrificium Chriſti paſsionem præfigurauit; Chriſtus enim ſine macula, integræ ætatis; anno enim 33. ſuæ ætatis expleto paſſus eſt, eductuſque eſt extra portam ad Caluariæ locum, ibique in conſpectu omnium cruci affixus. Et, vt clariùs huiuſmodi ſacrificiorum præfigurationem percipias, rogatum te velim, vt in Veteri Teſtamento ſacrificiorum varios ritus adnotes, deinde ex Euangelijs Chriſti paſsionem mediteris; facilè enim patebit, quàm verum ſit, ſacrificia illa præfigurationes fuiſſe; Chriſti verò paſsionem & mortem eſſe præfiguratum; Eaque de cauſa Deum illa ſacrificia acceptaſſe: non quidem ſimpliciter ex ſe; ſed tantùm prout veri ſacrificij (paſſionis inquam Chriſti) præfiguratiua; & propterea indicans, ſe non delectari illis animalium mactationibus, dicebat per Pſalmiſtam, pſal. 49. *Numquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo*. Et per Iſaiam cap. 1. num. 11. *Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus? Plenus ſum. Holocauſta arietum, adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Cùm veniretis ante conſpectum meum, quis quæſiuit hæc de manibus veſtris, vt ambularetis in atrijs meis? ne offeratis vltra ſacrificium fruſtra: incenſum abominatio eſt mihi. Neomeniam, & Sabbatum, & feſtiuitates alias non feram, &c.* Et per Amos Prophetam cap. 5. num. 22.

Quòd

Quòd ſi obtuleritis mihi holocauſtomata , & munera veſtra , non ſuſcipiam : & vota pinguium veſtrorum non reſpiciam . Et poſt pauca: *Numquid hoſtias & ſacrificium obtuliſtis mihi in deſerto quadraginta annis , domus Iſrael ?* Ergo Deus his ſacrificijs per ſe non delectabatur ; ſed tantùm in ordine ad illud vnicum , & verum ſacrificium , quo Chriſtus ſemetipſum morti obtulit , vt Deo obedientiam redderet : & eo ſacrificio delectatus eſt Deus , qui non vult animalia , carnes , & ſanguinem ; ſed obedientiam , reuerentiam , honorem , à rationali creatura exhibita , & in his delectatur . Vnde poſt illud ex pſalm. 49. *Numquid manducabo carnes taurorum , aut ſanguinem hircorum potabo ?* ſtatim ſubiungit . *Immola Deo ſacrificium laudis , & redde altiſſimo vota tua , &c.* Et præcipuè in Chriſti paſſione eiuſmodi gloriam , honorem , & obedientiam gratam habuit ; quia Chriſti perſona paſſionem , obedientiam , &c. faciebat pretioſiora : Chriſti namque perſona infinitæ erat dignitatis , quia Deus erat , & non purus homo (vt ſuo loco demonſtrabimus diuinæ atteſtationis auctoritate :) cùm ergo infinitæ eſſet dignitatis , obedientia ab ipſo præſtita , eius paſſio , & cætera obſequia , liberè ab ipſo Deo reddita , fuere infiniti valoris: Valor nãque operis ſequitur perſonæ dignitatem ; & talis eſt actio , qualis eſt perſona actionem præſtans ; quod clarum eſt apud Philoſophos, tàm morales quàm naturales: actiones enim , inquiunt , ſunt ſuppoſitorum ; Et operari ſequitur ad eſſe . Poſito ergo , quòd Chriſtus , propter obedientiam Deo exhibendam ſe etiam morti ſponte offerens, infinitæ ſit dignitatis ; ſequitur , quòd meritum tanti operis infiniti ſit quoque valoris . Et propterea hoc in primis fuit Deo gratiſſimum ſacrificium , vnica vice à Chriſto oblatum ſui ſanguinis effuſione , & morte, in loco Caluariæ; quo pro omnium peccatis ſatis Deo fecit : ab alio autẽ numquam potuiſſet ſatisfieri ; quia non alius vmquam potuit opus exhibere infiniti valoris , cùm nullus alius homo fuerit aliquando infinitæ dignitatis. Immo nec omnes creaturæ ſimul , quę omnes , quantumuis plurimæ , ſemper tamen continentur intra terminos finiti . Peccatum autem erat offenſio Dei , ac proinde demeriti infiniti : vnde in rigore iuſtitiæ non poterat fieri compenſatio , niſi per opus meriti infiniti : Ac propterea non alius , niſi Chriſtus tantùm potuit huiuſmodi ſatisfactionem perficere . Atque ex his re-

Cõdigna Chriſti ſatisfactio pro peccatis.

reſpondetur petitioni tuæ: Quomodo Chriſtus pro peccatis ſatisfecerit? Oblato igitur hoc ſacrificio, quod erat figuratum, abroganda erant illa ſacrificia figuratiua, quia non erant ampliùs neceſſaria.

At quia ſacrificium hoc ſemel tantùm à Chriſto offerendum erat, & non pluries: ſufficiebat enim ſemel mori & ſemel pati: non propterea Euangelica lex ſacrificij oblatione eſt deſtituta, vt non poſſit à Chriſtianis Deo aliquid ſacrificari. Sed prouidit Chriſtus, vt eſſet etiam in Euangelica lege ſacrificiũ, quod poſſent offerre quotidie Chriſtianorum Sacerdotes: ſed tale, vt eſſet illius vnici ſacrificij, à Chriſto per ſanguinem oblati, memoratiuum. Inſtituit ergo, vt offerretur panis, & vinum: quæ per diuina verba in corpus & ſanguinem ipſius Chriſti conuerſa & mutata, verum ſacrificium conſtituerent. Et hoc quotidie in Eccleſia Dei per Chriſti miniſtros & Euangelicæ Legis Sacerdotes offertur, & de hoc prædixit Spiritus ſanctus per os Dauid pſal.109. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*. Non dixit: ſecundùm ordinem Aaron, vel Eleazar, vel Phinees; quia ſcilicet non erat oblaturus animalia, aut mactaturus bruta, in ſacrificium Deo; prout Aaron, Eleazar, & Phinees; ſed dixit: *Secundùm ordinem Melchiſedech*. Quia ſicut Melchiſedech panem & vinum obtulit, vt Gen.14. habetur, ita Chriſtus in æternum, ideſt vſque ad ſæculi finem, per ſuæ legis miniſtros, erat panem & vinum Deo in ſacrificium oblaturus. Et hoc ſacrificium ipſi Deo gratiſſimum eſt, quia repræſentat illud, quod ſemel à Chriſto fuerat cruenter oblatum. Immo & ſub ſpeciebus panis & vini iterum & pluries Deo offertur idem Chriſtus. In quo, obſeruandum eſt, duo præcipua ineſſe, nempe formam ſacrificij, quod eſt incruentum; & memoriam illius ſacrificij cruenti. Ratio ſacrificij conſiſtit, vt Deo offeratur aliquid ſenſibile, permanens, quod ritu myſtico conſecratum, conſumatur in agnitionem ſupremi dominij Diuinæ Maieſtatis à legitimo miniſtro. Dum autem Sacerdos Euangelicæ legis offert panem & vinum, diuiniſque Chriſti verbis conſecrat, & in corpus & in ſanguinem Chriſti mutat, omnia requiſita ad ſacrificium habentur.

Sacrificium Euangelicæ legis.

Quid ſit Sacrificium.

Primò offertur Deo aliquid ſenſibile, & permanens: talia enim ſunt panis & vinum.

Secundò, conſecrātur; nam panis & vinum ſacra fiunt, dum Deo offeruntur: item conſumuntur, nam,per verborum Chriſti prolationē, nō ampliùs remanēt ſubſtantiæ panis & vini, ſed in corpus & ſanguinē Chriſti per diuinā potētiā conuertuntur.

Tertiò, fit talis conſumptio & conſecratio ad Dei gloriam, in agnitionem ſupremi eius dominij.

Quartò, fit à legitimo miniſtro, dum offertur à ſacerdote à Chriſto inſtituto. Omnia ergo inſunt huic oblationi, quæ requiruntur ad verum ſacrificium.

Alterum, quod ineſt huic oblationi & ſacrificio,eſt commemoratio paſsionis Chriſti, eiuſque ſacrificij cruenti, ſua morte oblati. Nam poſt conſecrationem præſens adeſt Chriſti corpus ſub ſpeciebus panis, & Chriſti ſanguis ſub ſpeciebus vini: & in huiuſmodi ſpecierum diuerſitate, fluuidi & ſolidi, inter ſe diuerſorum, repræſentatur ſeparatio ſanguinis Chriſti à corpore; ac proinde illius mors & paſsio. Vnde, ſicut in Veteri Lege occidebatur animal, conſumebatur ad gloriam Dei, &c. & ſic occiſum, & de viuo conſumptum & tranſmutatum offerebatur,non prout viuum & exiſtens in ſui eſſe; ſed offerebatur prout mortuum & conſumptum: quamuis vtrumq. requiratur, vnum vt terminus à quo, alterum verò vt terminus ad quem: ſacrificium enim in actione conſiſtit,eſt enim oblatio; vnde neceſſe eſt,vt in ea ſint terminus à quo & terminus ad quē; ſed præcipuè oblatio conſiſtit in termino ad quē, prout Philoſophi de generatione philoſophantur. Itaq. dum offertur panis & vinum, & mutātur in corpus & ſanguinē Chriſti; panis & vinum ſe habēt vt terminus à quo, corpus verò & ſanguis Chriſti vt terminus ad quem;& hoc præcipuè eſt id quod offertur:licet etiam illa offerantur, & vtraq. ſuo modo ſint ſacrificij oblatio. Cùm ergo ipſemet Chriſtus offeratur Deo, eſt materialiter idē ſacrificium quod offertur quotidie Deo, dum offertur panis & vinum,ac illud quod obtulit Chriſtus pendens in cruce. Quamuis aliquo modo dici poſsit diuerſum, quod ex ſupradictis colligi poteſt. Hoc autem ſacrificium eſſe Deo gratum per ſe, & non illa ſacrificia Antiquæ Legis, teſtatus eſt ipſemet Deus per Malachiam Prophet. cap. 1. à num.10. *Quis eſt in vobis qui claudat oſtia, & incendat altare meum gratuitò? non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim Solis vſque ad*

ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſanctificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Per Zachariam etiam Prophetam cap. 9. poſtquam de Chriſto dixerat, quòd per ſuum ſanguinem redempturus eſſet Orbem, dicens. *Tu quoque in ſanguine Teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua*. Poſtquam dixerat: *Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Hieruſalem: ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus, & ſaluator: ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ*. Tandem hæc ſubdit eodem cap. *Quid enim bonum eius, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Plura addi poſſent, ſed breuitati ſtudentes ſilemus quæ eamdem facerent probationem: ex his enim ſatis patet, quodnam ſacrificium Deo ſit gratum.

Conueniebat etiam, mutari ſacrificia mutata lege; nam connexionem habent ad inuicem, Sacerdotium, Sacrificium, & Lex ad Dei cultum inſtituta: vnde arguit Apoſtolus c. 7. num. 22. ad Hebræos ſcribens: *Tranſlato Sacerdotio, neceſſe eſt vt & Legis tranſlatio fiat*. Et è contra dici poteſt propter connexionem: Tranſlata Lege, transferri debet Sacerdotium; non enim, ſine Sacerdotio & ſacrificio, haberi poteſt diuinus cultus, & diuina Lex. Et in caſu noſtro clarè patet, ita fuiſſe complendum: quia in lege Moyſi, ſicut ſacrificium non licebat offerre, niſi in vno tantùm templo Hieruſalem; ita nec Sacerdotes ex alia gente aſſumebantur, niſi ex vna Tribu Leui: & hoc quidem ſufficiebat pro lege Moyſi, quæ tantùm Iſraelitis Tribubus duodecim data fuerat: non enim fuit data vniuerſis populis & gentibus; ſed illi tantùm populo Hebræorum: vnde ſufficere poterat vna Tribus ad ſupplendos Sacerdotes, & poterat aliquo modo vnicum ſufficere templum ad offerenda ſacrificia. Chriſti autem lex non eſt ſoli Iudæorum populo data, ſed vniuerſo Orbi, vt Matth. vlt. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* & Marc. vlt. *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ*. Propterea non ſufficiebat vna Tribus ad præbendos Sacerdotes, nec vnicum Templum ad offerenda ſacrificia: ſed ſicut ex omnibus gentibus conueniebat aſſumi poſſe Sacerdotes, ſic & per totum Orbem decebat poſſe offerri ſacrificium; non in vnico tantùm

Mutatio legis ſecum etiam trahit ſacrificij mutationem.

Pro Sabbato conuenienter ſubſtitutum Dominicum diem in Euāgelica lege.

ſabbatū cuſtodire; quia in eius cuſtodia Deo aguntur gratiæ de ſupremo omnium beneficio, quod eſt Orbis creatio: & natura ipſa dictat, eius diei memoriam eſſe colendam, in quo quis ſingulare beneficium accepit; ſeu eius diei, qui magis eſt de ſe accepti beneficij in memoriam reuocatiuus: At ſabbatum eſt talis dies, quo in memoriam reducitur beneficium creationis; quia in eo Deus requieuit & compleuit omne opus, prout in Geneſi: ergo ſabbati cultus eſt de iure naturæ.

Verùm, etiam ſi concederetur talis diſcurſus, inde etiam ſequeretur, benè debuiſſe mutari ſabbati cultum in cultum Dominicæ; etiam, inquam, ſi priùs fuiſſet cuſtodia ſabbati, propter adductam rationem, de lege naturæ. Quia, licèt in lege Veteri fuiſſet de lege naturæ cuſtodia ſabbati, propter beneficium Creationis; ſuperueniente tamen maiori beneficio in lege Euangelica, nempe beneficio Redemptionis, ipſa acceptione maioris beneficij, ceſſat obligatio illa, & inducitur noua: Quia natura dictat, maioris beneficij maiorem rationem eſſe habendam: vnde ex tunc lex naturæ incepit dictare, vt non ampliùs dies Sabbati, ſed ille dies eſſet ſeruandus, qui magis beneficij Redemptionis eſſet memoratiuus: Hic eſt dies Dominicus, in quo Chriſtus à mortuis reſurrexit, natus eſt, inſuper miſit Spiritum ſanctum in Diſcipulos, ſuamque Eccleſiam ſuæ virtutis gratia roborauit. Ergo illa ratio facit modò pro die Dominico, quæ in Lege Veteri faciebat pro Sabbato. Colendus erat, antequam tot mirabilia complerentur in die Dominica, ſolus dies Sabbati, quia non erat aliud tam celebre beneficium, ſicut mundi creatio: vnde in tanti beneficij memoriam Sabbatum colebatur. At ſuperueniente maiore beneficio, illi fieret iniuria, ſi Eccleſia, magnifaciens illud vetus, rationem non haberet noui, & maioris; proſequens antiquam Sabbati culturam: ne ergo in hanc ingrati animi notam incideret Eccleſia, agnoſcens noui beneficij magnitudinem & exceſſum, in eius memoriam, loco Sabbati, benè ſubſtituit diem Dominicum; iuxta illud à Deo promiſſum Leuit. 26. num.10. *Et vetera, nouis ſuperuenientibus, proÿcietis.*

Redēptio, beneficiū creatione praſtabilius.

Fuiſſe autem mundi redemptionem longè ampliùs beneficium, quàm Orbis creationem, ecquis non videat? In creatione enim non laborauit Deus, ſed dixit, & facta ſunt. At in reparatione non ſolùm dixit, ſed &, ſecundùm humanita-

tem ſuam, ſudauit, laborauit, doluit, paſſus eſt, & occiſus. In creatione protulit verba, at in reparatione pertulit verbera: In creatione nobis indidit naturalia, at in reparatione dedit ſupernaturalia: Tunc donauit nobis humana, at modò nobis largitur diuina. Si ergo iurè tunc debuit Hebræorum populus colere Sabbatum, quantò magis nunc debet Chriſtianorum Eccleſia cuſtodire Dominicam?

Quòd ſi quis rurſus inſtet, Sabbati cultum ad Dei imitationem in Veteri Lege præceptum, quia ipſe Deus ab omni opere, quod in prima creatione patrarat, Sabbato requieuiſſet. Iterum reſpondebo: Tunc congruenter in eo Deum fuiſſe imitandum; quia Dei in homine exemplaria non erant, quæ nobis imitanda proponerentur. At poſt Dei in carne aduentum, Chriſtus adeſt exemplar noſtrum, Dei in Chriſto adſunt exempla, quæ imitari valeamus: exempla, inquam, humana, homini magis conſona, & hominis propria, atque ſimul etiam diuina, quia Chriſtus Deus eſt (vt infra patebit Diuinæ auctoritatis teſtimonio) & in Euang. lege hæc nobis à Chriſto fuerunt propoſita. vt Ioann. 15. ſeu ſect. 34. *In hoc clarificatus eſt Pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli*. Et Ioan. 13. ſeu ſect. 31. *Exemplum dedi vobis*, inquit Chriſtus, *vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*. Et Matth. 11. ſeu ſect. 32. *Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me*. Et Matth. 23. ſeu ſect. 76. *Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus*. Et alibi paſſim in Euangelio.

Vt autē ſignificaret Chriſtus, poſt ſuam paſſionem benè ſubſtituendam Dominicam loco Sabbati, complures ſanitates (prout in Euangelio narratur) perfecit ipſo die Sabbati. Vnde & Phariſæi calumniæ anſam ſumebant, dicentes in Chriſtum Ioan. 9. 16. ſeu ſect. 22. *Non eſt hic homo à Deo, qui Sabbatum non cuſtodit*. Et aliàs dicebant eis qui ad Chriſtum curandi accedebant, Lucæ 13. 14. ſeu ſect. 51. *Sex dies ſunt, in quibus oportet operari: in his ergo venite, & curamini; & non in die Sabbati*. Et aliàs pluries in Euangelio narratur huiuſmodi Phariſæorum cauſatio in Chriſtum. Chriſtus autem aliquando reſpondit, vt Matth. cap. 12. ſeu ſect. 33. habetur: *Dominus eſt filius hominis etiam Sabbati*. Significans, quòd ipſe poteſtatem haberet, mutandi illum diem, vt alius eius loco ſubſtitueretur, & coleretur; quod poſtea Apoſtoli, Spiritu

ſancto

At illis non fuit præceptum in ſcriptis ſicut per Moyſen. Et hic eſt ſenſus illorum verborum, nec aliqua inuoluitur contradictio: &. facilè ex contextu patet: propterea ad reliqua transeamus.

Conuenientia abrogationis cæremonialiũ Veteris Teſtamenti.

Quod diximus de Circumciſione, dici etiam poteſt de cæremonialibus reliquis, quibus ſignificabatur Meſſias venturus, paſſurus, moriturus, vel aliud quippiam de Meſſia. Quæ omnia, poſtquam completa ſunt, realiter & ipſa re adſunt per ipſum Meſſiam: fruſtra igitur deinceps figuris & vmbris, eorum expeteretur præſentia.

SECTIO VIII.

De abrogatione ſacrificiorum Moſaicæ legis. Et de ſacroſancto Euangelicæ legis ſacrificio.

EAdem de cauſa abrogata ſunt ſacrificia, rituſq. varij oblationum Veteris legis: quia ſacrificia illa ad Meſsiæ mortẽ præfigurandam fuerunt inſtituta, propterea enim Deus ſacrificia, nonniſi in vno templo Hieruſalem volebat offerri: de quo, ſi quis curioſè perquirat cauſam; cur Deus prohibuerit in lege Moyſis, ſacrificium ſibi offerri extra templum Hieruſalem: certè non aliud occurret, niſi quia ſacrificia illa erant figuratiua paſſionis Chriſti, quod erat verum ſacrificium Deo gratiſsimũ: hoc autem in Vrbe Hieroſolymā erat cõplendum; propterea Deus interea, antequam verum offerretur, acceptabat ſacrificia figuratiua, ibi tantùm, vbi figuratum erat ſuſcipiendum. Alioqui enim ſi ſacrificia illa de ſe, ſine tali præfiguratione, grata Deo fuiſſent, vt quid in pluribus locis noluiſſet offerri? quia ſcilicet, non niſi cum tali præfiguratione acceptabat: quod magis patet conſideranti ipſos varios ſacrificiorum ritus à Deo inſtitutos, qui ſingillatim aliquid circa Chriſti paſsionem de ſe oſtendunt præfigurare, ſimilitudine quadam

quadam. Vt exempli gratia; ſacrificium agni, eiuſque commeſtio à Deo inſtituta Exod. cap. 12. cùm illis circumſtantijs, vt eſſet maſculus, ſine macula, & ſeruaretur vſque ad quartam decimam diem menſis primi, & ne aliquod os illius confringerent, præſignificabat Chriſti paſsionem, & mortem, completā die quartadecima menſis primi: tunc enim fuit cruci affixus: eiuſque innocentiam præfigurabat Agnus ſine macula: illudque, *Os non confringetis ex eo*; iuſſum fuit ad præfigurandum id, quod dicitur in Chriſti paſsione accidiſſe, nempe dum latronibus fracta ſunt crura, Chriſto non fuerunt fracta; ſed vnus militum latus eius aperuit. Sic per ſingulos ſacrificiorum ritus patet applicatio ad figuratum. Sed breuitati ſtudentes illud tantùm referemus, quod etiam Alchoranus retulit capt. 1. de ſacrificio Vaccæ rufæ, quod Numerorum cap. 19. præcipitur, vt ſcilicet adducerent vaccam rufam, integræ ætatis, ſine macula, educerentque illam extra caſtra, ibique imolarent in conſpectu omnium. Hoc etiam ſacrificium Chriſti paſsionem præfigurauit; Chriſtus enim ſine macula, integræ ætatis; anno enim 33. ſuæ ætatis expleto paſſus eſt, eductuſque eſt extra portam ad Caluariæ locum, ibique in conſpectu omnium cruci affixus. Et, vt clariùs huiuſmodi ſacrificiorum præfigurationem percipias, rogatum te velim, vt in Veteri Teſtamento ſacrificiorum varios ritus adnotes, deinde ex Euangelijs Chriſti paſsionem mediteris; facilè enim patebit, quàm verum ſit, ſacrificia illa præfigurationes fuiſſe; Chriſti verò paſsionem & mortem eſſe præfiguratum; Eaque de cauſa Deum illa ſacrificia acceptaſſe: non quidem ſimpliciter ex ſe; ſed tantùm prout veri ſacrificij (paſſionis inquam Chriſti) præfiguratiua; & propterea indicans, ſe non delectari illis animalium mactationibus, dicebat per Pſalmiſtam, pſal. 49. *Numquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo*. Et per Iſaiam cap. 1. num. 11. *Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus? Plenus ſum. Holocauſta arietum, adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Cùm veniretis ante conſpectum meum, quis quæſiuit hæc de manibus veſtris, vt ambularetis in atrijs meis? ne offeratis vltra ſacrificium fruſtra: incenſum abominatio eſt mihi. Neomeniam, & Sabbatum, & feſtiuitates alias non feram, &c.* Et per Amos Prophetam cap. 5. num. 22.

Quòd

Quòd ſi obtuleritis mihi holocauſtomata, & munera veſtra, non ſuſcipiam: & vota pinguium veſtrorum non reſpiciam. Et poſt pauca: *Numquid hoſtias & ſacrificium obtuliſtis mihi in deſerto quadraginta annis, domus Iſrael?* Ergo Deus his ſacrificijs per ſe non delectabatur; ſed tantùm in ordine ad illud vnicum, & verum ſacrificium, quo Chriſtus ſemetipſum morti obtulit, vt Deo obedientiam redderet: & eo ſacrificio delectatus eſt Deus, qui non vult animalia, carnes, & ſanguinem; ſed obedientiam, reuerentiam, honorem, à rationali creatura exhibita, & in his delectatur. Vnde poſt illud ex pſalm. 49. *Numquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo?* ſtatim ſubiungit. *Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua, &c.* Et præcipuè in Chriſti paſſione eiuſmodi gloriam, honorem, & obedientiam gratam habuit; quia Chriſti perſona paſſionem, obedientiam, &c. faciebat pretioſiora: Chriſti namque perſona infinitæ erat dignitatis, quia Deus erat, & non purus homo (vt ſuo loco demonſtrabimus diuinæ atteſtationis auctoritate:) cùm ergo infinitæ eſſet dignitatis, obedientia ab ipſo præſtita, eius paſſio, & cætera obſequia, liberè ab ipſo Deo reddita, fuere infiniti valoris: Valor nãque operis ſequitur perſonæ dignitatem; & talis eſt actio, qualis eſt perſona actionem præſtans; quod clarum eſt apud Philoſophos, tàm morales quàm naturales: actiones enim, inquiunt, ſunt ſuppoſitorum; Et operari ſequitur ad eſſe. Poſito ergo, quòd Chriſtus, propter obedientiam Deo exhibendam ſe etiam morti ſpontè offerens, infinitæ ſit dignitatis; ſequitur, quòd meritum tanti operis infiniti ſit quoquè valoris. Et propterea hoc in primis fuit Deo gratiſſimum ſacrificium, vnica vice à Chriſto oblatum ſui ſanguinis effuſione, & morte, in loco Caluariæ; quo pro omnium peccatis ſatis Deo fecit: ab alio autẽ numquam potuiſſet ſatisfieri; quia non alius vmquam potuit opus exhibere infiniti valoris, cùm nullus alius homo fuerit aliquando infinitæ dignitatis. Immo nec omnes creaturæ ſimul, quę omnes, quantumuis plurimæ, ſemper tamen continentur intra terminos finiti. Peccatum autem erat offenſio Dei, ac proinde demeriti infiniti: vnde in rigore iuſtitiæ non poterat fieri compenſatio, niſi per opus meriti infiniti: Ac propterea non alius, niſi Chriſtus tantùm potuit huiuſmodi ſatisfactionem perficere. Atque ex his re-

Cõdigna Chriſti ſatisfactio pro peccatis.

reſpondetur petitioni tuæ: Quomodo Chriſtus pro peccatis ſatisfecerit? Oblato igitur hoc ſacrificio, quod erat figuratum, abroganda erant illa ſacrificia figuratiua, quia non erant ampliùs neceſſaria.

At quia ſacrificium hoc ſemel tantùm à Chriſto offerendum erat, & non pluries: ſufficiebat enim ſemel mori & ſemel pati: non propterea Euangelica lex ſacrificij oblatione eſt deſtituta, vt non poſſit à Chriſtianis Deo aliquid ſacrificari. Sed prouidit Chriſtus, vt eſſet etiam in Euangelica lege ſacrificiũ, quod poſſent offerre quotidie Chriſtianorum Sacerdotes: ſed tale, vt eſſet illius vnici ſacrificij, à Chriſto per ſanguinem oblati, memoratiuum. Inſtituit ergo, vt offerretur panis, & vinum: quæ per diuina verba in corpus & ſanguinem ipſius Chriſti conuerſa & mutata, verum ſacrificium conſtituerent. Et hoc quotidie in Eccleſia Dei per Chriſti miniſtros & Euangelicæ Legis Sacerdotes offertur, & de hoc prædixit Spiritus ſanctus per os Dauid pſal.109. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*. Non dixit: ſecundùm ordinem Aaron, vel Eleazar, vel Phinees; quia ſcilicet non erat oblaturus animalia, aut mactaturus bruta, in ſacrificium Deo; prout Aaron, Eleazar, & Phinees; ſed dixit: *Secundùm ordinem Melchiſedech*. Quia ſicut Melchiſedech panem & vinum obtulit, vt Gen. 14. habetur, ita Chriſtus in æternum, ideſt vſque ad ſæculi finem, per ſuæ legis miniſtros, erat panem & vinum Deo in ſacrificium oblaturus. Et hoc ſacrificium ipſi Deo gratiſſimum eſt, quia repræſentat illud, quod ſemel à Chriſto fuerat cruenter oblatum. Immo & ſub ſpeciebus panis & vini iterum & pluries Deo offertur idem Chriſtus. In quo, obſeruandum eſt, duo præcipua ineſſe, nempe formam ſacrificij, quod eſt incruentum; & memoriam illius ſacrificij cruenti.

Sacrificium Euangelicæ legis.

Ratio ſacrificij conſiſtit, vt Deo offeratur aliquid ſenſibile, permanens, quod ritu myſtico conſecratum, conſumatur in agnitionem ſupremi dominij Diuinæ Maieſtatis à legitimo miniſtro. Dum autem Sacerdos Euangelicæ legis offert panem & vinum, diuiniſque Chriſti verbis conſecrat, & in corpus & in ſanguinem Chriſti mutat, omnia requiſita ad ſacrificium habentur.

Quid ſit Sacrificium.

Primò offertur Deo aliquid ſenſibile, & permanens: talia enim ſunt panis & vinum.

Secundò, conſecrãtur; nam panis & vinum ſacra fiunt, dum Deo offeruntur: item conſumuntur, nam,per verborum Chriſti prolationẽ, nõ ampliùs remanẽt ſubſtantiæ panis & vini, ſed in corpus & ſanguinẽ Chriſti per diuinã potẽtiã conuertuntur.

Tertiò, fit talis conſumptio & conſecratio ad Dei gloriam, in agnitionem ſupremi eius dominij.

Quartò, fit à legitimo miniſtro, dum offertur à ſacerdote à Chriſto inſtituto. Omnia ergo inſunt huic oblationi, quæ requiruntur ad verum ſacrificium.

Alterum, quod ineſt huic oblationĩ & ſacrificio,eſt commemoratio paſsionis Chriſti, eiuſque ſacrificij cruenti, ſua morte oblati. Nam poſt conſecrationem præſens adeſt Chriſti corpus ſub ſpeciebus panis, & Chriſti ſanguis ſub ſpeciebus vini: & in huiuſmodi ſpecierum diuerſitate, fluuidi & ſolidi, inter ſe diuerſorum, repræſentatur ſeparatio ſanguinis Chriſti à corpore; ac proinde illius mors & paſsio. Vnde, ſicut in Veteri Lege occidebatur animal, conſumebatur ad gloriam Dei, &c. & ſic occiſum, & de viuo conſumptum & tranſmutatum offerebatur,non prout viuum & exiſtens in ſui eſſe; ſed offerebatur prout mortuum & conſumptum: quamuis vtrumq. requiratur, vnum vt terminus à quo, alterum verò vt terminus ad quem: ſacrificium enim in actione conſiſtit,eſt enim oblatio; vnde neceſſe eſt,vt in ea ſint terminus à quo & terminus ad quẽ; ſed præcipuè oblatio conſiſtit in termino ad quẽ, prout Philoſophi de generatione philoſophantur. Itaq. dum offertur panis & vinum, & mutãtur in corpus & ſanguinẽ Chriſti; panis & vinum ſe habẽt vt terminus à quo, corpus verò & ſanguis Chriſti vt terminus ad quem;& hoc præcipuè eſt id quod offertur:licet etiam illa offerantur, & vtraq. ſuo modo ſint ſacrificij oblatio. Cùm ergo ipſemet Chriſtus offeratur Deo, eſt materialiter idẽ ſacrificium quod offertur quotidie Deo, dum offertur panis & vinum,ac illud quod obtulit Chriſtus pendens in cruce. Quamuis aliquo modo dici poſsit diuerſum, quod ex ſupradictis colligi poteſt. Hoc autem ſacrificium eſſe Deo gratum per ſe, & non illa ſacrificia Antiquæ Legis, teſtatus eſt ipſemet Deus per Malachiam Prophet. cap. 1. à num.10. *Quis eſt in vobis qui claudat oſtia, & incendat altare meum gratuitò? non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim Solis vſque ad*

ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſanctificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Per Zachariam etiam Prophetam cap.9. poſtquam de Chriſto dixerat, quòd per ſuum ſanguinem redempturus eſſet Orbem, dicens. *Tu quoque in ſanguine Teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua*. Poſtquam dixerat: *Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Hieruſalem: ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus, & ſaluator: ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ*. Tandem hæc ſubdit eodem cap. *Quid enim bonum eius, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Plura addi poſſent, ſed breuitati ſtudentes ſilemus quæ eamdem facerent probationem: ex his enim ſatis patet, quodnam ſacrificium Deo ſit gratum.

Mutatio legis ſecum etiam trahit ſacrificij mutationem.

Conueniebat etiam, mutari ſacrificia mutata lege; nam connexionem habent ad inuicem, Sacerdotium, Sacrificium, & Lex ad Dei cultum inſtituta: vnde arguit Apoſtolus c.7. num.12. ad Hebræos ſcribens: *Tranſlato Sacerdotio, neceſſe eſt vt & Legis tranſlatio fiat*. Et è contra dici poteſt propter connexionem: Tranſlata Lege, transferri debet Sacerdotium; non enim, ſine Sacerdotio & ſacrificio, haberi poteſt diuinus cultus, & diuina Lex. Et in caſu noſtro clarè patet, ita fuiſſe complendum: quia in lege Moyſi, ſicut ſacrificium non licebat offerre, niſi in vno tantùm templo Hieruſalem; ita nec Sacerdotes ex alia gente aſſumebantur, niſi ex vna Tribu Leui: & hoc quidem ſufficiebat pro lege Moyſi, quæ tantùm Iſraelitis Tribubus duodecim data fuerat: non enim fuit data vniuerſis populis & gentibus; ſed illi tantùm populo Hebræorum: vnde ſufficere poterat vna Tribus ad ſupplendos Sacerdotes, & poterat aliquo modo vnicum ſufficere templum ad offerenda ſacrificia. Chriſti autem lex non eſt ſoli Iudæorum populo data, ſed vniuerſo Orbi, vt Matth. vlt. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* & Marc. vlt. *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ*. Propterea non ſufficiebat vna Tribus ad præbendos Sacerdotes, nec vnicum Templum ad offerenda ſacrificia: ſed ſicut ex omnibus gentibus conueniebat aſſumi poſſe Sacerdotes, ſic & per totum Orbem decebat poſſe offerri ſacrificium; non in vnico tantùm

Templo Hieruſalem: & propterea mutatum eſt Sacerdotium, & Sacrificium: & vt Malachiæ cap. 1. habetur, hoc eſt Deo gratum. *Ab ortu enim Solis vſque ad occaſum,* inquit ibi Deus, *magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda,* Non ſanguinolenta cruore, alijſque immunditijs contaminata; ſed munda, prout panis & vinum, quibus Sacerdos non cruentatur, aut aliquo modo deturpatur, prout in illis Antiquæ Legis ſacrificijs.

Moſaica lex fuit preparatoria, & veluti diſpoſitio ad Euangelicam.

Ex his ergo patet, quàm fuerit conueniens illa legis Moyſis cæremonialia mutari. Et in vniuerſum de omnibus poteſt hæc communis ratio aſſignari, quia lex Moyſi non fuit data per ſe primò, vt in ea ſiſteretur, ſed vt eſſet veluti præparatoria, & diſpoſitoria lex ad Meſſiam. Quia enim ab initio poſt hominis lapſum Deus homini promiſerat redemptionem, & à lapſu erectionem per Chriſtum; cùm non illico, propter rationes ſupra aſſignatas, eſſet Chriſtus mittendus: tanti ponderis erat eius ad redemptionem aduentus; vt non ſine pręuia monitione in Orbem cenſeretur inducendus. Propterea, vt notum fieret orbi, de qua nam gente, de qua progenie, per quam lineam eſſet oriturus, gentem ſibi peculiarem ex omnibus elegit, ex qua tantum ac talem præſtolaretur orbis; eaque fuit gens Iudæorum, quam propterea peculiari lege imbuens, à cæteris ſegregauit; & ne inopinatus adueniret Chriſtus, prophetarum teſtimonia præmiſit. Inſuper per diuerſos ritus oblationum, ſacrificiorum, & ſacramentorum, præfigurauit; vt non ſolum genus, de quo carnem erat ſumpturus, ſed & locus, vbi oriturus, vbi educandus, & tempus quo erat venturus, & miracula quæ erat perpetraturus, mortem & mala quæ erat paſſurus, & in vniuerſum plura quæ operaturus erat, innoteſcerent: vt cùm aduenisset, prę ſens agnoſceretur. Omnia ergo illa, quę ad hunc finem ordinabantur, tamquam media poſt adeptum finem, non ampliùs erant neceſſaria; & propterea vniuerſa abrogata. Quia verò moralia præcepta, non tamquam media fuerant inſtituta; ſed illa humana requirit conuerſatio, & natura ipſa rationalis exigit honeſtè viuere. Imò Chriſtus propterea venit in mundum, vt ait Apoſtolus ad Titum ſcribens c. 2. *Dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum, acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.* Propterea præcepta mo-

ralia non abrogata ſunt, ſed in perfectiora mutata, quia Chriſti mors & paſſio ad perfectionem morum & vitę ſanctitatem ordinatur, non è contra.

SECTIO IX.

De mutatione Sabbati in Dominicam.

Sabbati cuſtodiā potuiſſe abrogari per Euangelium.

Contra hæc rurſus inſiſtis, ad probandam Euangeliorum adulterationem, ſaltem in ea parte, vbi ſabbatum ſoluit: ſimul etiam reprehendens Chriſtianorum Eccleſiam, quòd ſabbati diem non colat, & pro ipſo diem dominicum ſubſtituerit, inquis enim, præceptum de ſabbato ſeruando eſſe inter illa decem, quæ abrogata non ſunt, & moralia dicuntur, naturalia, & diuina, in duabus tabulis, digito Dei ſcriptis, Moyſi tradita. Vnde non licet ſabbato derogare, cùm ſit præceptum naturale diuinum.

Ad hoc facilis eſt reſponſio, diſtinguendo in ipſo præcepto duo, quæ virtualiter præcipiuntur: prius eſt, vt debeat ex diebus hebdomadæ vnus diuino cultui deſtinari. Alterum, vt ſit talis dies determinatus ex ſeptem. Quoad priorem partem natura ipſa docet, Deo eſſe aliquo tempore vacandum, ita vt, cùm ſex dies operibus tribuantur, ſaltem ſeptimus, ſiue vnus ex ſeptem, Deo tribueretur. Quoad alteram partem, præceptum non eſt naturale, ſed poſitiuum: nec enim docet natura, vt potius die vltimo, quàm primo Deo vacetur. quòd ſi naturæ relinquendum eſſet, natura ipſa potius dictaret ſuo lumine, primo die, & non vltimo, eſſe Deo vacandum, & ſic potius dies Dominicus qui eſt primus, quàm dies Sabbati qui eſt vltimus, fuiſſet præſcribendus: nam primitiæ ſunt Deo tribuendæ, & à Deo incipiendum eſt. Non ergo, quoad iſtam partem, eſt naturale præceptum, ſed tantùm poſitiuum; vnde mutabile erat, & potuit cum cæteris poſitiuis abrogari.

Quòd ſi quis contendere velit, eſſe etiam de iure naturæ, ſab-

Pro Sabbato conuenienter ſubſtitutum Dominicum diem in Enāgelica lege.

ſabbatū cuſtodire; quia in eius cuſtodia Deo aguntur gratiæ de ſupremo omnium beneficio, quod eſt Orbis creatio: & natura ipſa dictat, eius diei memoriam eſſe colendam, in quo quis ſingulare beneficium accepit; ſeu eius diei, qui magis eſt de ſe accepti beneficij in memoriam reuocatiuus: At ſabbatum eſt talis dies, quo in memoriam reducitur beneficium creationis; quia in eo Deus requieuit & compleuit omne opus, prout in Geneſi: ergo ſabbati cultus eſt de iure naturæ.

Verùm, etiam ſi concederetur talis diſcurſus, inde etiam ſequeretur, benè debuiſſe mutari ſabbati cultum in cultum Dominicæ; etiam, inquam, ſi priùs fuiſſet cuſtodia ſabbati, propter adductam rationem, de lege naturæ. Quia, licèt in lege Veteri fuiſſet de lege naturæ cuſtodia ſabbati, propter beneficium Creationis; ſuperueniente tamen maiori beneficio in lege Euangelica, nempe beneficio Redemptionis, ipſa acceptione maioris beneficij, ceſſat obligatio illa, & inducitur noua: Quia natura dictat, maioris beneficij maiorem rationem eſſe habendam: vnde ex tunc lex naturæ incepit dictare, vt non ampliùs dies Sabbati, ſed ille dies eſſet ſeruandus, qui magis beneficij Redemptionis eſſet memoratiuus: Hic eſt dies Dominicus, in quo Chriſtus à mortuis reſurrexit, natus eſt, inſuper miſit Spiritum ſanctum in Diſcipulos, ſuamque Eccleſiam ſuæ virtutis gratia roborauit. Ergo illa ratio facit modò pro die Dominico, quæ in Lege Veteri faciebat pro Sabbato. Colendus erat, antequam tot mirabilia complerentur in die Dominica, ſolus dies Sabbati, quia non erat aliud tam celebre beneficium, ſicut mundi creatio: vnde in tanti beneficij memoriam Sabbatum colebatur. At ſuperueniente maiore beneficio, illi fieret iniuria, ſi Eccleſia, magnifaciens illud vetus, rationem non haberet noui, & maioris; proſequens antiquam Sabbati culturam: ne ergo in hanc ingrati animi notam incideret Eccleſia, agnoſcens noui beneficij magnitudinem & exceſſum, in eius memoriam, loco Sabbati, benè ſubſtituit diem Dominicum; iuxta illud à Deo promiſſum Leuit. 26 num. 10. *Et vetera, nouis ſuperuenientibus, proÿcietis.*

Redēptio, beneficiū creatione praſtabilius.

Fuiſſe autem mundi redemptionem longè ampliùs beneficium, quàm Orbis creationem, ecquis non videat? In creatione enim non laborauit Deus, ſed dixit, & facta ſunt. At in reparatione non ſolùm dixit, ſed &, ſecundùm humanita-

tem

rem ſuam, ſudauit, laborauit, doluit, paſſus eſt, & occiſus. In creatione protulit verba, at in reparatione pertulit verbera: In creatione nobis indidit naturalia, at in reparatione dedit ſupernaturalia: Tunc donauit nobis humana, at modò nobis largitur diuina. Si ergo iurè tunc debuit Hebræorum populus colere Sabbatum, quantò magis nunc debet Chriſtianorum Eccleſia cuſtodire Dominicam?

Quòd ſi quis rurſus inſtet, Sabbati cultum ad Dei imitationem in Veteri Lege præceptum, quia ipſe Deus ab omni opere, quod in prima creatione patrarat, Sabbato requieuiſſet. Iterum reſpondebo: Tunc congruenter in eo Deum fuiſſe imitandum; quia Dei in homine exemplaria non erant, quæ nobis imitanda proponerentur. At poſt Dei in carne aduentum, Chriſtus adeſt exemplar noſtrum, Dei in Chriſto adſunt exempla, quæ imitari valeamus: exempla, inquam, humana, homini magis conſona, & hominis propria, atque ſimul etiam diuina, quia Chriſtus Deus eſt (vt infra patebit Diuinæ auctoritatis teſtimonio) & in Euang. lege hæc nobis à Chriſto fuerunt propoſita. vt Ioann. 15. ſeu ſect. 34. *In hoc clarificatus eſt Pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli.* Et Ioan. 13. ſeu ſect. 31. *Exemplum dedi vobis*, inquit Chriſtus, *vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Et Matth. 11. ſeu ſect. 32. *Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me.* Et Matth. 23. ſeu ſect. 76. *Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus.* Et alibi paſſim in Euangelio.

Vt autē ſignificaret Chriſtus, poſt ſuam paſſionem benè ſubſtituendam Dominicam loco Sabbati, complures ſanitates (prout in Euangelio narratur) perfecit ipſo die Sabbati. Vnde & Phariſæi calumniæ anſam ſumebant, dicentes in Chriſtum Ioan. 9. 16. ſeu ſect. 22. *Non eſt hic homo à Deo, qui Sabbatum non cuſtodit.* Et aliàs dicebant eis qui ad Chriſtum curandi accedebant, Lucæ 13. 14. ſeu ſect. 51. *Sex dies ſunt, in quibus oportet operari: in his ergo venite, & curamini; & non in die Sabbati.* Et aliàs pluries in Euangelio narratur huiuſmodi Phariſæorum cauſatio in Chriſtum. Chriſtus autem aliquando reſpondit, vt Matth. cap. 12. ſeu ſect. 33. habetur: *Dominus eſt filius hominis etiam Sabbati.* Significans, quòd ipſe poteſtatem haberet, mutandi illum diem, vt alius eius loco ſubſtitueretur, & coleretur; quod poſtea Apoſtoli, Spiritu

ſancto

ſancto edocti, & ipſo Chriſto ordinante, vt ſupra dictum eſt, perfecerunt.

Illud autem quod obijcis, à Chriſto dictum diſcipulis Matthæi ſection. 78. ſeu cap. 24. numero 20. *Cauete ne ſit fuga veſtra hyeme vel ſabbato*. Non obſtat: non enim per hoc voluit præcipere Chriſtus, vt in Noua Lege ſabbatum ſeruaretur: ſenſus autem alius eſt; intendebat enim Chriſtus illis verbis monere Apoſtolos, ne tardè & ſerò pericula animaduerterent; ità vt non poſſent illa facilè declinare; ſed vt opportuno tempore imminentia mala præcauerent: quod patet ex contextu; nam ibi Chriſtus prædixerat diſcipulis ruinam Hieruſalem, quæ facta eſt ſub Tito & Veſpaſiano, quando Ciuitas diruta eſt, omniſque populus Iſrael in captiuitatem ductus, & non vltra dimiſſus. prænunciauerat etiam extremam, ante iudicium, Orbis calamitatem: dicebat namq. Chriſtus Matth. 24. a num 16. *Tunc qui in Iudæa ſunt fugiant ad montes, & qui in tecto non deſcendat tollere aliquid de domo ſua, & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam ſuam. Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus*. Deinde verba illa ſubdit. *Orate autem vt non fiat fuga veſtra in hyeme vel ſabbato, erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vſque modo, neque fiet*. His ergo patet, Chriſtum monitos voluiſſe diſcipulos, vt citò, & tempore opportuno, illa pericula præcauerent: non hyeme, quando propter pluuias temporiſque iniuriam non licet fugere, niſi cum diſpendio & iactura: nec ſabbato, ideſt non tardè, quo fuga non poſſit capi: ſumpta metaphora ab ipſo dierum ordine; in hebdomada enim dies ſabbati eſt omnium poſtremus & vltimus.

Alchoranus etiam ſignificauit cap. 3. cui titulus eſt, *De mulieribus*: non amplius colendum eſſe ſabbati diem. Imo deteſtatur ſabbati cultum, his verbis, pagina mihi 83.

او نلعنهم كما لعنا اصحاب السبت

ideſt, *Aut maledicemus eos ſicuti maledix imus ſabbatizantibus ſeu ſabbatum cuſtodientibus*. Vnde etiam ex Alchorano, ſabbati cultus non eſt ampliùs neceſſarius; imo potius damnabilis, ſicuti legalia omnia, abrogata per Chriſtum.

SECTIO

SECTIO X.

Soluuntur aliæ quædam difficultates.

Lex Moyſi, non ãplius ſi-bi, ſed euã-gelicæ legi, obediẽtia exi-git.

OBijcis contra dicta auctoritatem Apoſtoli ſcribentis ad Galatas cap.5. num.3. *Teſtificor autem rurſus omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ*. Ergo, ex Apoſtolo, adhuc legis præcepta vniuerſa ſeruanda ſunt.

Verùm, non per illa verba ſignificare intendit Apoſtolus, legem Moyſi & vniuerſa eius præcepta adhuc eſſe ſeruanda: ſed illa dixit vt deterreret Galatas à circumciſione, quam parati erant ſuſcipere, vt patet ex contextu; ibi enim reprehendit Apoſtolus illum Galatiæ populum, quòd ſe ſeduci à quibuſdam Iudæis ſiuiſſent, adhibentes illis fidem, aſſerentibus, Chriſtianos debere circumciſionem accipere: quod ipſi ſuſcipientes, ad circumciſionem parabantur. Dicit ergo Apoſtolus; vt eos de falſa opinione reuocaret: in principio eiuſdem capitis. *State, & nolite iterum iugo ſeruitutis contineri. Ecce ego Paulus dico vobis: quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit*. Deinde ſubinfert prædicta verba. *Teſtificor omni circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ*. Galatæ quidem, ex lege Veteri, exiſtimabant, tantùm accipiendam circumciſionem, non autem reliqua ſeruanda: Apoſtolus autem reddit rationem illis, vt animaduerterent omnia ſimilem habere obligationem; & propterea, vel eſſe ſeruanda omnia, vel nulla; quia non erat maior ratio vnius, quàm omnium: ſi ergo ipſi putarent, accipiendam circumciſionem; pari ratione exiſtimare deberent, ſe teneri ad omnia: & ideo illa verba protulit. *Teſtificor omni circumcidenti ſe &c.* Hoc autem dixit, non vt illos ad circumciſionem & præceptorum Veteris Legis ſeruationem induceret; ſed, vt illis veritatem, hoc diſcurſu, proponeret agnoſcendam, illis verbis virtualiter talẽ continentibus ſillogiſmũ ſeu enthymema: Certũ eſt, nos non teneri ampliùs ad ſeruanda præcepta Veteris Legis. Ergo neque ad circumciſionem. Hoc autem totum clariſſimè ex contextu patet.

Ad illam tuam inductionem, qua aſtruere conaris; nos Chriſtianos non poſſe vnam ex iſtis concluſionibus effugere, dum Euangelia aliaque Scripturarum teſtimonia aſſerunt, Moyſi legem bonam eſſe, noſque illam non ſeruamus. Nempe, vel Scripturas verum non dicere. Vel Septuaginta Interpretes malè vertiſſe. Vel Euangelia mutata eſſe. Patet reſponſio ex dictis: Diximus enim, Scripturas verum loqui. Septuaginta Interpretes benè vertiſſe: in quibus autem locis textus Septuaginta Interpretum fuerit adulteratus,& cum noſtro Vulgato,& cum Hebræo non conueniat, ſcilicet in computatione annorum, ſupra dictum eſt: In eo autem in quo lex Moyſi commendatur, idem aſſerunt omnes, ſicut & Euangelia; lex enim Moyſi à Deo lata eſt, eſt bona & diuina: tamen benè perſpicienda, quod nam obſequium modò à nobis exigat, poſt Meſſiæ aduentum: Ipſa enim eſt bona, & ſeruanda, eo modo quo præcipit, non alio. Præcipit autem, vt viſum eſt ex cap.18. Deut. vt Meſſiæ, poſt eius aduentum, obediatur. Bona ergo fuit Moyſis lex, & ſeruanda tamquam diuina, vſque ad Meſſiæ aduentum. At deinceps, non alia ſeruanda, niſi lex lata ab ipſo Meſſia: Hoc enim & ipſamet Moyſi lex præcipit, vt Deut. 18. Et in eo præcepto, de obedientia Meſſię reddenda, lex Moyſi obtinet æternitatem ſuam: in eo enim non licet Moyſi legem infringere, ſicut non licet Chriſti legem præterire. In cæteris verò præceptis, per Chriſtum abrogatis, ipſa lex Moyſi non amplius obedientiam exigit ſibi, ſed vult illam obedientiam, quam priùs ſibi exigebat, reddi Chriſto. Qui ergo Chriſto obedit, legis Moyſi præceptum ſeruat, & in hoc lex illa ſeruanda eſt, & dici poteſt æterna. Vndè, aliqua ex obiectis conſequentijs, vel contra Euangelia, vel contra Septuaginta Interpretes, vel contra Scripturæ veritatem, non ſequitur; quia verum eſt, ſic legem Moyſis ſeruandam eſſe, & bonam fuiſſe, & diuinam. Eamque nos Chriſtiani, Chriſto obediendo, ſicut ſeruanda eſt, ſeruamus. Sicut, è contra; qui, vt illius pręcepta, per Chriſtum abrogata, ſeruent, Chriſto renuunt obedire, illam potiùs tranſgrediuntur, quàm ſeruent.

Chriſtus, præter ea quæ fecit nobis imitanda, fecit quædā tantūmodò admiranda.

Dum autē Chriſtianos arguis, ieiunium non ſeruare quadraginta dierum & quadraginta noctium, prout ieiunaſſe dicitur in Euangelio Chriſtus: Videris mihi non ſeriò, ſed ioco nos arguere. Quia non omnia, quę fecit Chriſtus, ſunt nobis

bis exequenda. Ipſe enim, cùm eſſet Deus, ad ſuæ Perſonæ excellentiam oſtendendam, pleraque fecit nobis admiranda, non imitanda; prout illud ieiunium, quod ſine peculiari miraculo fieri nequiuit. Vnde, ſi quis vellet ieiunium conſimile ieiunare, videretur Deum tentare, contra illud præceptum Deut. 6. 16. & Matthæi 4. ſeu in textu Arabico ſect. 6. *Non tentabis Dominum Deum tuum.*

Quod autem pertinet ad commeſtionem ſuillæ, cæterorumque animalium, quorum carnes in lege Moyſi prohibentur: dicimus, in figura illis hoc prohibitum fuiſſe. Vnde abrogatum eſt cum cæteris cæremonialibus, vt ſupra explicatum eſt. Quòd autem cuiuſcumque cibi commeſtio, per Chriſtum liceat, patet Matth. 15. & in textu Arab. ſect. 45. vbi Chriſtus ſic loquitur: *Non quod intrat in os coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore hoc coinquinat hominem.* Et poſt pauca: *Non intelligitis, quia omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur? Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt: & ea coinquinant hominem, &c.* Et Act. cap. 10. à n. 10. & infra, Petro ſignificatum eſt à Deo, non vltra ſeruandam eiuſmodi diſtinctionem in commeſtione, & clariſſimè patet epiſt. ad Galat. cap. 2. à num. 11. & infra.

Commeſtio ſuillæ & cæt. ad cæremonias pertinebat.

SECTIO XI.

De ſacris Imaginibus.

AD illud quod addis, nos in cultu Sanctarum Imaginum, & Crucis præſertim, Idololatriam exercere. Reſpondeo, non ita: aliud enim ſunt Idola, & aliud Imagines. Idola quidem ſemper fuerunt prohibita; ſacræ Imagines numquam. Hoc autem patet in Veteri Teſtamento Exod. 20. num. 4. vbi Idola prohibentur. *Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum, quæ*

Per S. Crucis & SS. Imaginum cultum, Deo cultus redditur: nō verò aufertur, ſicut per cultum Idolorum.

quæ ſunt in aquis ſub terra. Non adorabis ea, neque coles: Ego ſum Dominus. Eodem modo Deuteronom.4.& 5. Leuit.26.& alibi. Nihilominus,poſt eiuſmodi præceptum, ipſemet Deus Exod. 31.& 35.& 36. Deus ipſe dixit Moyſi, ſe dediſſe ſcientiam Beſeleel & Ooliab, per Spiritum ſuum,ſculpendi, pingendi, diuerſaſque effigies efformandi, ad Tabernaculi ornatum. Rurſus: Populus Iſrael, propter imaginem vnius vel alterius vituli, tamquam Idololatra pœnas exſoluit. Salomon autem, non vnum aut alterum vitulum, ſed & duodecim ſimul, ſubtus mare æneum, iuſſit inſculpendos. Inſuper & leonum & Cherubim imagines,non ſolùm circa templum Salomon; ſed & ſupra ipſam Dei Arcam Moyſes, duos quoque inſculptos Cherubin ſtatuit; vt conſtat Exod. 37. num. 7. 3. Reg. cap. 7. & 8. Et tamen ibidem conſtat, Deum non reprehendiſſe, ſed gratum habuiſſe; vt cap.9.eiuſdem libri 3.Reg.

Item,iuſſit Deus ipſe Num.21. vt ſerpentem æneum poneret Moyſes pro ſigno, quem quicumque à ſerpentibus percuſſus aſpiceret, ſanaretur: Et ita factum eſt. Hic idem ſerpens, à Moyſe tunc formatus, & expoſitus: deinde dirutus & confractus eſt, iuſſu ſanctiſſimi Regis Ezechiæ, vt 4.Reg.18.nu.4. Qui propterea commendatur.

Quid igitur dicendum,in tanta rerum diſparitate & perplexitate, vt commendetur Moyſes ſerpentem ſtatuens, & Ezechias eundem ſerpentem diruens: Puniatur populus in deſerto, propter vnum aut alterum vitulum, & commendetur Salomon, cùm,præter vitulos, plures etiam leonum & Cherubim imagines efformaſſet; immo & ſuper Dei Arcam Cherubim venerandos ſtatuiſſet: Iubeatur à Deo, nullius rei fieri ſimilitudinem; deinde duobus viris,per Spiritum ſanctum,data dicatur ſcientia, ad cuiuſcumque rei efformandam ſimilitudinem?

Reſponſio in promptu eſt, quia Imagines non quomodocumque fuerunt prohibitæ, ſed Imagines efformatæ ad illis Diuinum cultum indebitè exhibendum, vt patet ex vniuerſis Scripturæ locis, in quibus prohibentur, vt Leuit.26. poſtquam prohibuerat Idola, ſubiungit: *Vt adoretis ea.* Deuteronom. 4.num.19. *Ne fortè adores ea, & colas.* & ſic in reliquis. Propterea igitur commendatus eſt Ezechias, propter ſerpentem dirutum, quia quem priùs in ſignum poſuerat Moyſes, cœperat

rat

rat deinde populus colere, tamquam Deum. Vnde 4. Reg. 18. n. 4. redditur talis ratio. *Confregit ſerpentem aneum, quem fecerat Moyſes: ſiquidem vſque ad illud tempus filij Iſrael adolebant ei incenſum*. Et propterea idem populus Iſrael pœnas dedit in deſerto, non quia ſimpliciter vituli imaginem fecerat, ſed quia ad Diuinum cultum illi dandum efformauerat, ſicut & coluit. Salomon verò nec boues, nec leones, nec Cherubim ad Diuinum cultum eis tribuendum conflauit, ſed ad ornatum templi. Cherubim verò ſuper Dei Arcam ſtatuit, non vt tamquam Dij, ſed vt tamquam Deo aſſiſtentes venerarentur, & ex illorũ aſpectu, ad Dei cultũ aſpicientes excitarentur.

Ex his ergo patet, aliud eſſe Imagines quæ proprio nomine dicuntur Idola, quæ prohibentur; & aliud Imagines, quæ, vt ex dictis patet, prohibitæ non ſunt. Nomen enim Idolum, & Hebraicè און *Eun*, & in plurali אונים *Auanim*, ſeu אליל *Elil*, & in plurali אלילים *Elilim*, prout ponit textus Hebræus, Leuitic. 19. num. 4. & 26. num. 1. Num. 23. num 21. & Oſeæ 6. Iob. 13. 4. ſignificant vanum, mendacium, falſum; & in plurali, vana, &c. Arabicè verò Idolum dicitur وثن, & صَنَم. Et in plurali أَصْنَام أَوْثَان, & in libro Chamus ſic explicantur, صَنَم وثن يُعْبَد, idest, *Idolum eſt quod vanè colitur*. Alchoranus etiam ipſe cap. *De Stella* pag. 502. & cap. *De Alforcàn*, ſeu *De Alchorano*, ſub initium dicit, Idola illa eſſe, quæ tamquam Dij coluntur, cùm Dij non ſint. Et cap. 1. cui titulus eſt *De Vacca*, pag mihi 24. ſic ait:

وَمِنَ ٱلنَّاسِ مَن يَتَّخِذُ مِن دُونِ ٱللَّهِ أَندَادًا يُحِبُّونَهُمْ كَحُبِّ ٱللَّهِ وَ
ٱلَّذِينَ آمَنُوا أَشَدُّ حُبًّا لِلَّهِ ۞

Idest: *Aliqui hominum ſuſcipiunt Imagines, & tribuunt iis Diuinum cultum; qui verò crediderunt, maiori cultu Deum adorant, quàm Imagines*. Vndè tàm clarum eſt, eſſe aliud Idola, quàm Imagines, vt etiam Alchoranus fateatur.

Patet

Patet etiam ex vſu ipſo loquendi in omnibus linguis: hîc autẽ ſufficiat ex Latina & Arabica oſtendere. Ex eo enim quòd filius eſt imago patris, & patrem repræſentat, benè dicimus:

الابن هو شبه الاب او هو مثل ابيه او شكل الأَب ۞

Ideſt: *Filius eſt ſimilitudo patris, aut ſimilis patri, ſeu imago patris*. Non autem benè diceretur:

أَلإبنُ هُوَ وَثَنُ ٱلأَبِ أَوْ صَنَمُ الأَبِ ۞

Ideſt: *Filius eſt Idolum patris, ſeu ſimulachrum, quod colitur, patris*.

Hanc differentiam inter Idolum & Imaginem, adnotauerunt antiquiſſimi Patres, Theodoretus quæſt.38. in Exod. Origenes Homil. 8. in Exod. & alij. Qui omnes, Imaginem, veram eſſe (dicunt) rei ſimilitudinem: Idolum verò, falſam. Dum enim creaturis, debitus ſoli Deo honor exhibetur, falſum eſt quod creditur.

Nos igitur Chriſtiani Imagines colimus, non Idola; nec enim aliquando Imaginibus cultum ſoli Deo debitum tribuimus: ſed ſolùm ea veneratione, qua quælibet digna eſt, Imaginem veneramur. Nam non ſola ab hominibus veneratio illa exhiberi poteſt, quæ Deo conuenit, Græcè, *Latria*. Sed etiam exhiberi poteſt alia inferior veneratio: ſicut de factò Reges veneramur, & Principes; ſerui dominum; amicus amicum, in ciuili conſuetudine. Et dignior eſt veneratio, quam Regi & Imperatori exhibemus, ea qua alium minoris dignitatis veneramur. Et etiam aliquo modo diuerſa eſt, qua Regem præſentem colimus, & qua abſentem in ſtatua reueremur. Ita etiam diuerſitas cultus eſt, reſpectu Diuinorum: nam certè, quamuis Imagines minimè colerentur; propter Deum, negari non poteſt, aliqua veneratione dignas eſſe cæremoniales veſtes, & ipſummet templum, ad Dei cultum inſtituta: veneratione quidem, ratione Dei; non propter ſe, ſed per accidens. Ergo, negari non poteſt, alia eſſe, præter Latriam, venerationum genera; prout vnumquodque magis vel minus ad Deum refertur & ad Deum pertinet. Si ergo ſacræ veſtes, & ſacri parie-

parietes, quia ad Deum pertinent, ſunt veneratione digni: nonnè ſancti Angeli, ſanctique viri, magis digni erunt, quantò ſunt Deo propinquiores? Et ſi Regis ſtatuam veneramur, nonnè venerari poterimus etiam Sanctorum Imagines, tanquam eorum ſtatuas? Et ſi Regum veſtes, ſceptrum, & coronam propter Regem, etiam aliquo modo veneramur; ita vt ſi quis frangat vel coronam, vel ſceptrum, aut dedita opera regias laceret veſtes; crimen lęſæ maieſtatis commiſiſſe cenſeatur. Nonnè veneratione digna erit Crux Chriſti, quę Diuinum eius tetigit Corpus, in qua noſtræ ſalutis opus conſummauit: & quam regium ſuum vexillum, & Chriſtianæ Religionis inſignia eſſe voluit? Hoc tamen certum eſt, nec Imaginibus Sanctorum, nec ipſiſmet Sanctis, nec ſacris veſtibus, nec Templis, aut Cruci, eum nos tribuere cultum, qui ſoli Deo debetur. Sed tamen eo cultu venerari, magis vel minus, prout magis vel minus ad Deum vnumquodque pertinet: quod numquam à Deo reperitur prohibitum, ſed potius ab initio Eccleſiæ morem fuiſſe vſque nunc per ſuccedentia ſibi ſæcula cõſuetum: & ſacris Concilijs & Patribus receptum, & comprobatum. Præſertim habemus Matth. 24. Crucem eſſe veneratione dignam, quæ ſignum Chriſti appellatur. Et ibi Origenes, Hieronymus, Chryſoſtomus, Hilarius, & alij. Auguſt. ſerm. 130. De tempore, & Cyrill. Catech. 15. Sibylla quoque lib. 6. in fine, de Chriſti Cruce ſic cecinit.

O Lignum fœlix, in quo Deus ipſe pependit.
Nec te terra capit, ſed cæli tecta videbis:
Cum renouata Dei facies ignita micabit.

Ergo, Chriſtiani Idololatriæ accuſari non poſſunt, cùm ſacra Dei inſtrumenta, vel ſigna, vel inſignia, vel Sanctos eius, vel eorum Imagines venerantur; cùm illis Dei cultum non tribuant, ſed tantùm, propter coniunctionem vel relationem quam habent ad Deum, illa venerentur. Vnde, talis veneratio non eſt contra Deum, ſed propter Deum: non tollitur per eam à Deo cultus, ſed per eam præcipuè Deus colitur, iuxta illud Philoſophi: Propter quod vnumquodq. tale illud magis.

Et per hæc patet, vitium in ſacris Chriſtianorum Scripturis nullum exiſtere: & Euangelia, & Torà, omneſq. libros ad vtrũque Teſtamentum pertinentes, omni prorſus labe carere.

TRA-

TRACTATVS SECVNDVS

De Alchorano, eiuſque Auctore Mohamede.

PRÆFATIO.

Cui fides ſit adhibenda, in quibus Alchoranus à Thorà & Euangelijs diſſentit.

VERVMTAMEN dices: Alchoranum, non ſolùm in multis cum ſacris Scripturis, lege Moyſi, & Euangelijs conuenire; verumetiam & in multis diſcrepare: Et quidem in his, quibus conueniunt, Scripturas non fuiſſe corruptas, nulli dubium erit: Quid autem dicendũ de his locis in quibus ſibi inuicem contradicunt? contradictoriorũ enim ſimul eſſe non poteſt veritas communis, alterutrũ enim neceſſe eſt eſſe falſum. Ergo in illis locis, vel Alchoranus mentitur, vel Euangelia & Thorà. Cui adhibenda ſit fides, peruestigemus oportet, Alchorano an Chriſtianorum Scripturæ? Propterea videndum eſt, Alchoranus ne, an Scripturæ Chriſtianorum à Deo ſint? Quænam ex ipſis ſint diuina, quæ nam humana? Quæ Dei ſcripturæ, quæ hominum vel Dæmonum impoſturæ? Cùm enim ad inuicem pugnent, eſſe non poſſunt vtraque vera, nec vtraque Diuina. Sed, quia de Euangelio & Torà iam ex dictis determinatum eſt, diſſerendum præcipuè reſtat de Alchorano; nam & ex eius cognitione, agnita de Torà & Euangelio veritas clarior elucefcet.

CAPVT I.

Quæ nam ſint Diuinæ Scripturæ qualitates.

NOn eſt difficultas aut dubitatio aliqua inter homines, non modò peritos, ſed etiam imperitos & indoctos; Diuina eloquia nulla poſſe continere mendacia, nihil poſſe non rationabile præcipere, nihil turpe, nihil iniuſtum, & in nullo poſſe contradictoria ſibi enunciare. Vndè & Propheta pſal. 18. diuinæ legis qualitates ſeu conditiones enumerans, ſic inquit, *Lex Domini immaculata, conuertens animas: Teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis. Iuſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Timor Domini ſanctus, permanens in ſæculum ſæculi: Iudicia Domini vera, iuſtificata in ſemet ipſa.*

Diuinæ legis qualitates.

Et primò inquit Propheta. *Lex Domini immaculata.* Quæ eſt conditio, ſimul omnes diuinæ legis conditiones complectens. quas deinde ſingillatim enumerat, ponitque illam veluti diſtinctam ab alijs conditionibus; vt ſignificet, non ſolam ſufficere vnicam ex propoſitis, ad hoc vt aliqua lex dici poſſit diuina; ſed requiri omnes ſimul: deficiente enim vna tantùm, illicò deprehenditur eſſe impoſtura, ſi diuino nomine proponatur: Ad bonum enim requiritur integritas bonitatis, quoad omnes partes: Ad malum verò ſufficit quicumque defectus. Hinc illud Philoſophorum, & Theologorum axioma. *Bonum ex integra cauſa: malum ex quocumque defectu.* Ergo, vt lex diuina dici poſſit, debet eſſe immaculata, vt in nullo aliquod continere vitium deprehendatur. Vt autem Diaboli machinamentum vel hominis impoſtura cenſeri debeat, ſufficiet, ſi in vna tantùm conditione deficiat. Diſcurramus ergo per ſingula.

Omnis macula à Dei lege eſt aliena.

CAPVT II.

An Alchoranus ſit Scriptura conuertens animas.

Diuinæ legis efficacia.

PRimam conditionem diuinæ legis peculiarem hanc eo Pſalmo ſanctus Dauid proponit, dicens: *Lex Domini conuertens animas*. Quia ſcilicet, inter cætera, Dei lex & doctrina eſt efficax ad conuertendas animas: quod, vel poteſt intelligi ratione miraculorum, quibus Dei doctrina firmatur, & oſtenditur eſſe diuina: miracula enim, quæ verè miracula ſunt, conuincunt mentem ad credendum, quamuis creditu difficillima proponantur, & quę ſuper humanam rationem eleuentur: nam miracula teſtantur propoſitam doctrinam eſſe à Deo, & ita propter primam veritatem, quam, certum eſt, mentiri non poſſe, cogit intellectum ad fidem. Ita poteſt intelligi vno modo hoc Prophetæ dictum. *Lex Domini conuertens animas*.

Alio modo intelligi poteſt, vt ſignificet Diuinam cooperationem; non quidem viſibilem per miracula, ſed inuiſibilem, per infuſionem gratiæ, & internam inſpirationem, qua operante, & præueniente, animus ad credendum inclinetur, & ita Lex Dei dicatur. *Conuertens animas*.

Tertiò, Poteſt etiam intelligi. *Conuertens anima*, Ideſt. Per viam ſalutis ad gloriam perducat, & non per vitiorum anfractus in gehennã protrudat; & ita animas conuertat, & non peruertat. Verùm in hoc ſenſu coincidit cum conditione, quæ deinde exprimitur illis verbis, *Iuſtitiæ Domini rectæ*. ibi ergo patebit, quomodo Alchoranus ſuis iniuſtitijs &c. animas perdat.

SECTIO I.

De miraculorum neceſſitate.

IGitur quoad primum, negari non poteſt, neceſſaria eſſe miracula ad nouæ doctrinæ, & nouæ legis diuinæ promulgationem: Dei enim propria ſunt miracula; quæ verè miracula ſunt, omnis creaturæ vires excedentia; ita vt certum ſit, ab alio quàm à Deo fieri non poſſe. Vt ergò pateat, legem non ab alio, ſed à Deo eſſe propoſitam, debet proprio Diuinitatis ſigillo muniri, nè locus detur impoſturis, & quod humanum, vel diabolicum eſt, tamquam diuinum ſuſcipiatur: Timenda enim ſunt, & præcauenda Diaboli machinamenta, qui ſe in Angelum lucis (, vt inquit Apoſtolus 2. ad Corint. 11. 14.) transfigurat, vt decipiat. Vndè & Eccleſiaſtici 2. monemur illis verbis. *Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Et ipſemet Alchoranus, propter rei euidentiam, id fatetur, dicens

سورة الانعام cap. *De Brutis*, circa medium, vel paulò poſt,

pag. mihi 142. quatuor ante finem paginis:

الإنس والجن يوحي بعضهم إلى بعض زخرف القول غرورا ۞ .

Ideſt. *Homines & Diaboli ſibi inuicem impoſturas machinantur, ad decipiendum verbis.* Propterea neceſſaria ſunt ſigna diuina, ad hoc vt aliquid diuinum eſſe credatur: Eaquè de cauſa Deus Moyſi dicenti ſibi, Exodi 4. *Non credent mihi, neque audient vocem meam*, Dedit poteſtatem faciendi miracula, ad oſtendendum ſe à Deo miſſum, & non proprio cogitatu veniſſe, & ea quæ præcipiebat non eſſe ſua adinuenta, ſed Dei mandata: Vndè ait Deus ibidem. *Vt credant quòd appparuerit tibi Dominus; Quid eſt quod tenes in manu tua? Reſpondit; Virga. Dixitque Dominus: Proijce eam in terram. Proiecit, & verſa eſt in colubrum.* Et cætera miracula, quæ ibidem, & per totum Exodum. Præſertim, quando Moyſes à Deo legem accipiebat, totus populus intuebatur miracula, videns ignem,

V 2 & fu-

& fumum, audienſque ſonitum buccinæ, & cætera mirabilia, vt Exodi 19. num 18. *Totus autem mons Sinai fumabat; eo quòd deſcendiſſet Dominus ſuper eum in igne, & aſcenderet fumus ex eo, quaſi de fornace: eratque omnis mons terribilis. Et ſonitus buccinæ paulatim creſcebat in maius, & prolixius tendebatur Moyſes loquebatur, & Deus reſpondebat ei.* Et cap. 20. num 18. *Cunctus autem populus videbat voces & lampades, & ſonitum buccinæ, montemque fumantem: & perterriti ac pauore concuſſi, ſteterunt procul, dicentes Moyſi: Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, nè fortè moriamur* Et facta ſeditione iniquorum aduerſus Moyſen, qui etiam viſis tot miraculis nolebant credere, Moyſen à Deo miſſum: nè cæteri, rebelles etiam euaderent; & vt notum fieret, mandata per Moyſen eſſe Diuina præcepta, miraculum quoque, tamquam Dei ſigillum, oſtendit Moyſes in ſuæ poteſtatis confirmationem. Vnde inquit Numerorum cap. 16. num. 28. *In hoc ſcietis, quòd Dominus miſerit me vt facerem vniuerſa quæ cernitis, & non ex proprio ea corde protulerim: Si conſueta hominum morte interierint, & viſitauerit eos plaga, qua & cæteri viſitari ſolent, non miſit me Dominus: ſin autem nouam rem fecerit Dominus; vt aperiens terra os ſuum deglutiat eos & omnia quæ ad illos pertinent, deſcenderintque viuentes in Infernum, ſcietis quòd blaſphemauerint Dominum. Confeſtim igitur vt ceſſauit loqui, dirupta eſt terra ſub pedibus eorum: & aperiens os ſuum, deuorauit illos cum tabernaculis ſuis & vniuerſa ſubſtantia eorum. deſcenderuntque viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis. At verò omnis Iſrael, qui ſtabat per gyrum, fugit ad clamorem pereuntium, dicens: Nè fortè & nos terra deglutiat. Sed & ignis egreſſus à Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incenſum*: Ecce quomodo ſuæ præfecturæ chirographum Diuino ſigillo oſtendebat munitum. Et Chriſtus ſimiliter, vt etiam Alchoranus fatetur, quod, propter certitudinem quam etiam apud Mahometanos habet, ſilemus, ne longiores euadamus. Inſuper & mittens Apoſtolos ad prædicandum, dedit eis Chriſtus facultatem perpetrandi miracula, ad hoc vt tanquam à Deo miſſi crederentur & ſuſciperentur, vt Matth. 10. num 7. ſeu ſect. 26. *Euntes*, inquit Chriſtus Apoſtolis, *prædicate, dicentes: quia appropinquauit regnum cælorum. Infirmos curate,* mor-

mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eijcite. Et ita, ſi ſingillatim omnium Prophetarum dicta & facta perueſtigemus, ſemper miraculorum ſignis ſua verba confirmaſſe, animaduertemus: vt patet ex ſacris libris, de Elia & Eliſeo in libris Regum, & cæteris paſſim. Quia ſcilicet neceſſaria ſunt miracula, vt mãdata & præcepta à Deo cognoſcãtur prouenire; nam, vt ait Auguſtinus epiſt. 49. quæſt. 6. *Deus mirabilibus operibus loquitur.* Idque ſignificans Chriſtus Ioan. 15. & in textu Arab. ſect. 34. *Si opera*, inquit, *non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: Nunc autem excuſationem non habent.*

Ergo neceſſaria ſunt miracula, ita vt ſicut aliquid Diuino nomine propoſitum & Dei miraculo non probatum, de impoſtura ſuſpectum eſt: ita è contra, aliquid Diuino nomine propoſitum & Diuino miraculo comprobatum, ſine vlla ſuſpicionis nota, tamquam Diuinum eſt ſuſcipiendum. Impoſtores enim poſſunt ſua verba iactare tamquam Diuina, non verò Diuina valent miracula perpetrare; idque eſt tam clarum & euidens, vt Alchoranus ipſe, agnoſcens rei euidentiam, auſus non ſit inficiari, ſed cap. *De Credente*, Arabicè سورة المؤمن cuius initium eſt حم تنزيل الكتاب circa finem, pag. mihi 453. ſic inquit.

وَمَا كَانَ لِرَسُولٍ أَنْ يَأْتِيَ بِآيَةٍ إِلَّا بِإِذْنِ ٱللّٰهِ فَإِذَا جَآءَ أَمْرُ ٱللّٰهِ قُضِيَ بِٱلْحَقِّ وَخَسِرَ هُنَالِكَ ٱلْمُبْطِلُونَ ۞

Ideſt: *Non poteſt Apoſtolus ſignum aliquod perpetrare, niſi Diuina virtute: quando autem aduenit opus Dei, confirmatur veritas, ſeu rei veritas certa fit, & deficiunt ibi impoſtores.*

Et quidem lex per Moyſen data, & lex Euangelica, quòd fuerint multis confirmatæ miraculis, nec apud ipſos Mahometanos in dubium reuocari poteſt: Alchoranus enim multa confitetur à Chriſto Ieſu perpetrata, præſertim cap. 2. cui titulus eſt *De familia Amram*, 3. poſt initium paginis, pag. mihi 55. vbi fatetur, Chriſto fuiſſe omnipotentiam ad mortuos excitandos,

citandos, claudos erigendos, & leproſos mundandos, inſuper & ad inſenſata elementa viuificanda, ibique inducit Chriſtum in hæc verba loquentem:

إنّي أخلق لكم من الطين كهيئة الطير فأنفخ فيه فتكون
طيرا بإذن الله وأبرئ الأكمه والأبرص وأحيي الموتى بإذن الله
وأنبّئكم بما تأكلون وما تدّخرون في بيوتكم ان في ذلك
لآية لكم إن كنتم مؤمنين ومصدّقا لما بين يديّ من التورية
ولأحلّ بعض الّذي حرّم عليكم بآية من ربّكم ۞

Ideſt: *Ecce ego creo vobis ex limo volucrum plaſmata, & inſufflo in ea, & euadent veri volucres. Et ego ſano mutos & leproſos, & viuifico mortuos, Diuina omnipotentia, & manifeſto vobis ſeu diuino quidquid comeditis ſeu patefacitis, & quidquid intra cor abſconditis. Idque vobis in ſignum, vt credatis: & in confirmationem eius, quod ego dico & operor, ex lege Moyſis, & vt permittam vobis quædam quæ erant vobis prohibita per legis articulum à Domino veſtro.* Quibus verbis nō ſolùm oſtendit, Chriſtum habuiſſe poteſtatem mutandi præcepta legis Moyſis; verumetiam & feciſſe miracula, ad eam poteſtatem oſtendendam. Plura etiam miracula Chriſti enumerat Alchoranus capit. 4. cui titulus eſt *De menſa*, circa finem capitis: Illud præcipuè de piſcium & panum multiplicatione, quod narratur Ioan. 6. ſeu prout in textu Arabico ſect. 13. & alia, inter quæ teſtatur Chriſto etiam fuiſſe omnipotentiam ſeu facultatem creandi creaturas, in creatione auium, prout ibi Alchoranus loquitur circa finem dicti cap. 4. & vt patet in allatis ex cap. 2. cui titulus eſt *De familia Amrani*. dicit enim: *Ecce ego creo vobis ex luto aues*, &c. vt ſupra.

Miracula etiam fatetur Alchoranus, Apoſtolos Chriſti perpetraſſe, ſub initium cap. يس quæ ſupra retulimus cum Gloſſis ibi.

Sed

Sed fruſtrà numerantur plura, nec enim Mahometani Chriſtianorum miracula denegant. Ipſi quoque vtilitatem ſentiunt noſtra hac tempeſtate, Sanctorum Chriſti interceſſionem in ſuorum corporum incolumitate. Non quæramus antiqua, conſideremus noua. Extat in monte Libano, vbi Turcarum Princeps dominatur, Mahometicæ legis profeſſor, ſancti Antonij Templum quod Chriſtiani, ordinis ipſius Antonij Monachi tenent: illuc non ſolùm Chriſtiani, ſed etiam Mahometani energumeni deferuntur, & veſperi conſtringuntur catena, quæ in eadem Eccleſia habetur; conſtringuntur, inquam, dæmoniaci: & mane ſoluti, & à Dæmonum poteſtate liberati reperiuntur, non alia ope, niſi ipſius Antonij interceſſione. Ipſi etiam à Dæmonum poteſtate erepti narrant, à quo, & quomodo ſoluantur & liberentur: Antonius enim ille eſt, qui Chriſti fidem tanto ardore colebat, qui Chriſtum Deum & hominem, & vniuerſa, quæ in ſacris Chriſtianorum ſcripturis continentur, tanto affectu confitebatur, & profitebatur, vt Arianos diuinitatis Chriſti blaſphemos inficiatores nec pateretur ad ſuum montem accedere, eorumque aſpectus & congreſſus, non ſolùm ipſe vitabat, ſed & alijs ne prope ad illos accederent ſuadebat, & vt illos tanquam peſte infectos refugerent. Sic refert de ipſo Antonio Athanaſius, vir pari ſanctitatis ac ſcientiæ fama celeberrimus, qui ambo 300. circiter annis ante Mahometi tempora viguerunt: & propterea inter illos computandi, de quibus dicit Alchoranus, vbi ſupra, ſaluos eſſe, recta via inceſſiſſe, & ad paradiſi gloriam perueniſſe.

Et ſancti viri, qui eam profitentur fidem quam ſacræ Chriſtianorum ſcripturæ docent, & in ea decedunt, nonne modò hiſce noſtris temporibus in dies magis miraculorum gloria effulgent? Quot infirmi de incurabili valetudine incolumes fiunt, & ad integritatem priſtinam reuocantur? Quot claudi eriguntur? Quot cæci lumen aſpiciunt? Quot mortui ſuſcitantur?

Nonne modò etiam ſanctorum Chriſti martyrum, qui eam fidem coluerunt, quam Chriſtianorum ſcripturæ loquuntur, & ne ab illa deficerent mortem potiùs ſponte à perſecutoribus illatam ſuſtinuerunt; nonne, inquam, illorum reliquiæ, oſſa, vel etiam veſtes, miracula oſtendunt? Neapoli in Campania intra ampullam vitream Martiris Chriſti Ianuarij ſanguis

aſſer-

aſſeruatur, qui ſemper, omni tempore concretus, oſtendit antiquitatem ſuam: at in præſentia capitis eiuſdem Martyris poſitus, ſtatim liqueſcit, & tamquam recens tamdiu ebullit, quamdiu in conſpectu capitis ſiſtitur. At à præſentia capitis remotus, illicò antiquitatem ſuam priſtina ſoliditate teſtatur.

Nunc etiam Chriſtianorum ſacerdotes poteſtatē, per Epiſcopos Eccleſiæ à Chriſto acceptam, ſuper Dæmones in Energumenorum exorcizatione demonſtrant, Dæmoneſque illis obedire coguntur; & ex obſeſſis corporibus, exorciſmis, & illarum ſcripturarum, Euangeliorum præſertim, lectione eijciuntur. Nempe, quia ſcripturæ diuinæ ſunt, & diuinus in ſacris illis verbis ineſt Spiritus, quem Dæmones ſubſtinere nequeunt.

Plura, innumera, & penè infinita enumerari poſſent Diuina poteſtate perpetrata miracula in eius legis confirmationem, quam Chriſtianorum ſcripturæ loquuntur; ſed tempus deficeret, & paginæ. Et memorata ſufficiunt. Vnicum enim Dei miraculum ſufficit. Quòd ſi non ſufficit vnum, nec ſufficient vniuerſa. Sicut enim non niſi Diuina poteſtate fieri poſſunt multa; ita etiam non niſi Diuina poteſtate fieri poteſt vnum. Vnde ſi quis Deo fidem non adhibet ſemel loquenti, pari cauſa poterit Dei verbis non credere eumdem ſermonem pluries replicanti. Nā ſicut talis cogitat ſemel Deum mētitum eſſe, ita etiam eamdem blaſphemiam poterit in vniuerſas Dei teſtificationes irrogare.

Lex ergo & Scriptura Chriſtianorum eſt *Conuertens animas* Propter Dei atteſtationem per miraculorum perpetrationem.

SECTIO

SECTIO II.

An Alchoranus ſit conuertens animas, ratione miraculorum.

ALchoranus autem nullo vnquam Dei miraculo fuit comprobatus eſſe diuinus. Nec aliquando Mahomet diuinum miraculum oſtendit. Hoc autem non ego effingo; ſed ipſemet Alchoranus teſtatur, propterea pleroſque Mahometo, & ſcripturis, quas ille tradebat, non crediſſe, quia nullum perpetraret miraculum, in hæc verba Deum inducens loquentem cum Mahometo سورة روم cap. *De Rum* versùs finem pag. mihi 391.

In Mahometicæ legis comprobationem nullum vero perpetratum miraculum.

فَإِنَّكَ لَا تُسْمِعُ ٱلْمَوْتَى وَلَا تُسْمِعُ ٱلصُّمَّ ٱلدُّعَآءَ إِذَا وَلَّوْا مُدْبِرِينَ:

Ideſt. *Quoniam tu non ſuſcitas mortuos, & non das auditum ſurdis, propterea retrocedunt*. Vbi ſignificat, Mahometum miracula non perpetraſſe, nec perpetrare; & propterea qui animi leuitate crediderant, facti ſagaciores, animaduertentes Mahomet ſuæ delegationis à Deo ſignum nullum oſtendere, recedebant ab ipſo tamquam ab impoſtore, qui verbis ſe à Deo miſſum iactaret, & nullo opere comprobaret. Eadem verba repetit ad vnguem cap. *De Formica*, versùs finem pag. mihi 369.

Cur ergo non excitauit aliquando mortuum, aut ſurdi aurem aperuit, vel aliud ſimile; cùm iam illi notum eſſet, propter eiuſmodi ſignorum defectum diſcipulos ſuos retrocedere? Cur illos aliquo ſigno, ſi poterat, minimè ſtabiliuit?

Et quidem ipſe fatetur, ab illis viris quibus ſcripturas ſuas proponebat ſibi requiſita fuiſſe miracula, in ſignum & confirmationem ſuæ delegationis. Vnde سورة الاسرى cap. *De Tranſitu*, poſt medium pag. mihi 280. & 281. ſic refert.

وقالوا لن نومن لك حتى تفجر لنا من الارض ينبوعا او تكون
لك جنة من نخيل وعنب فتفجر الانهار خلالها تفجيرا او
تسقط السماء كما زعمت علينا كسفا او تاتي بالله
والملايكة قبيلا او يكون لك بيت من زخرف او ترقى في
السماء ولن نومن لرقيك حتى تنزل علينا كتابا نقروه ۞

Ideſt: *Et dixerunt: nequaquam credemus tibi, niſi erumpere feceris nobis de terra fontem, aut tibi oriri feceris pomarium palmarum & vuarum, & prorumpere feceris flumina in ramos erumpendo, vel accidere feceris in cælo eclipſim, ſicuti nobis propoſueris, aut deſcendere feceris Deum & Angelos ſimul, aut tibi efformaueris domum affabrè auro, gemmis, diuerſiſque ornamentis decoratam, aut aſcenderis in cælum: & nequaquam credemus aſcenſum tuum, donec demiſeris ſuper nos librum, quem legere poſſimus.*

Friuolæ excuſationes Mahometi, cur verũ aliquod miraculum non perpetraret.

His ergo petebant ſigna viri illi cordati, conſiderantes Mahometi impoſturam. Sed attendite quæſo, quam ibi ſtatim ſubiungat reſponſionem: Fortè ſicut in libris Moyſis, vel in Euangelio; vbi potius plura ſigna & miracula, etiam non requiſita, oſtenduntur, & ſponte perpetrantur? Non ſic, ſed excuſationem, inducitur Deus, ſuo efficto Prophetæ indicare, quam cauſetur, ſic

قل سبحان ربي هل كنت الا بشرا رسولا ۞

ideſt, *Reſponde eis, & dic: Laus Domino meo; numquid ſum ego aliud quidpiam, præterquam homo Apoſtolus?*

Et repetitis vicibus pluries, ſigna petebant & miracula viri quidam ex illis, quibus ſuas ſcripturas proponebat Mahomet, vt ipſe in Alchorano pluries teſtatur & سورة الانعام cap. *De Brutis*. poſt medium ſic inquit, pag. mihi 143.

واذا

وَإِذَا جَاءَتْهُمْ آيَةٌ قَالُوا لَنْ نُؤْمِنَ حَتَّى نُؤْتَى مِثْلَ مَا أُوتِيَ رُسُلُ اللّٰهِ ۞

idest, *Et cum venerit ad eos Alchorani articulus, dicunt: Nequaquam credemus, niſi nobis detur, ſicut datum eſt Apoſtolis Dei, nempe ſigna & miracula.* Ipſe verò Mahomet ſemper diuerſas excogitabat excuſationes. Nunc aſſerens, miracula ad nihilum proficere: ſed tantummodo Dei cooperationem requiri: prout dicit eodem cap. الانعام *De Brutis.* pag. 141. & 142.

وَلَوْ أَنَّنَا نَزَّلْنَا إِلَيْهِمُ الْمَلَائِكَةَ وَكَلَّمَهُمُ الْمَوْتَى وَحَشَرْنَا عَلَيْهِمْ كُلَّ
شَيْءٍ قُبُلًا مَا كَانُوا لِيُؤْمِنُوا إِلَّا أَنْ يَشَاءَ اللّٰهُ ۞

idest, *Etiam ſi nos miſiſſemus ad eos Angelos, & loquuti fuiſſent ad eos mortui, & congregauiſſemus ad eos omnia pariter, non fuiſſent credituri, niſi Deus annuiſſet ſua voluntate.* Nunc dicēs, quòd fides non eſſet meritoria apud Deum, viſis miraculis. quam reſponſionem affert circa finem eiuſdem cap. *De Brutis.* his verbis:

هَلْ يَنْظُرُونَ إِلَّا أَنْ تَأْتِيَهُمُ الْمَلَائِكَةُ أَوْ يَأْتِيَ رَبُّكَ أَوْ يَأْتِيَ
بَعْضُ آيَاتِ رَبِّكَ يَوْمَ يَأْتِي بَعْضُ آيَاتِ رَبِّكَ لَا يَنْفَعُ نَفْسًا
إِيمَانُهَا لَمْ تَكُنْ آمَنَتْ مِنْ قَبْلُ ۞

idest, *Numquid videbunt, ſi non venient ad eos Angeli, aut veniat Dominus tuus, aut fecerit aliqua ſigna Dominus tuus? Die qua venerint ſigna Domini tui non proderit animæ fides eius, niſi crediderit ante viſa ſigna.* Ecce quonam modo Mahomet, ſine alicuius miraculi conteſtatione, fidem gratis exigebat. Aliam excuſationem affert c. 7. lib. 3. cui titulus eſt سورة الفرقان *De Alforcan,* ſeu Alchorano, vbi poſt medium cap. Deum inducit his verbis ſibi loquentem:

وَمَا أَرْسَلْنَاكَ إِلَّا مُبَشِّرًا وَنَذِيرًا ۞

 idest,

ideſt. *Et non miſimus te, niſi annuntiatorem bonorum, & comminatorem pœnæ.* Huiuſmodi & ſimilibus reſponſionibus ſæpe ſe excuſabat, non eſſe à Deo ſe miſſum ad faciendum miracula, ſed tantum ad prædicandum, & iuſtis pollicendum præmia; impijs vero comminandum pœnas & tormenta.

At friuola reſponſio eſt. Hoc enim erat quod petebatur, ſcilicet; Quonam ſigno, quonam miraculo, ſe à Deo miſſum ſignificaret? Quomodo ſe Apoſtolum Dei probaret, cum chirographum ſuæ delegationis diuino munitum ſigillo non oſtenderet? Eſt autem Dei ſigillum miraculum. Quis autem crederet alicui, ſe Imperatoris delegatum eſſe, dicenti; niſi Imperatorias litteras, Imperatoris ſigillo munitas, oſtenderet, quas ſecum deferret? Chriſtus, Moyſes, & Apoſtoli, cum ſe à Deo miſſos dicerent, miracula perpetrabant, & ſic delegatorias litteras, Diuino ſigillo munitas, oſtendebant. At Mahomet refugit oſtendere: nouum genus Prophetiæ, nouum genus delegationis, quo quis, ſine delegatorijs litteris, audet ſe iactare delegatum.

Fficta miracula à Mahometo.

Agnoſcebat quidem, eiuſmodi defectum grauiſſimum eſſe, Mahomet, & tantæ grauitatis, vt ſe deprehendendum facilè vereretur, niſi miraculorum ſubſidium aliquo modo ſibi emendicaret: & propterea, ſi non poterat factis oſtendere vera, excogitauit ſaltem verbis ficta referre: vndè سورة القمر cap. *De Luna*, pag. mihi 504. refert initio capitis, ſe quoddam miraculum in Luna perpetraſſe, ſic dicens.

اقتربت الساعة وانشق القمر وإن يروا آية يعرضوا ويقولوا
سحر مستمر وكذبوا واتبعوا أهواءهم ۞

Ideſt, *Appropinquauit hora, & ſciſſa eſt Luna, & ſi viderint ſignum, retrocedunt, & dicunt: præſtigium pertranſiens eſt. Et mendacium putauerunt, & ſectati ſunt deſideria ſua.* & سٓ النجم cap. *De ſtella*, refert alterum miraculum, de ſua aſcenſione in cælum, vſque ad Deum, accedens ad illum, quanti ſunt duo

duo arcus iactus, idque initio س الاسرى ideſt c. *De tranſitu.* Dicit fuiſſe nocturno tempore, his verbis

سُبْحَانَ ٱلَّذِى أَسْرَى بِعَبْدِهِ لَيْلًا مِنَ ٱلْمَسْجِدِ ٱلْحَرَامِ إِلَى ٱلْمَسْجِدِ
ٱلْأَقْصَى ٱلَّذِى بَارَكْنَا حَوْلَهُ لِنُرِيَهُ مِنْ آيَاتِنَا ۞

Ideſt. *Laus illi, qui tranſtulit ſeruum ſuum, nocturno tempore, de templo Mecæ ad templum regionis illius, cui benediximus:* ideſt Hieruſalem, prout ibi expoſitores: *Vt oſtenderemus ei ſigna noſtra.* In hoc loco Gloſſæ, & liber quidam qui multum habet authoritatis apud Mahometanos, in quo origo, vita, & mors Mahometi, hiſtorico modo, narrantur, titulo. *Liber Agar.* Per extenſum referunt, quod breuibus effinxit Mahomet, initio d. cap. *De tranſitu.* Et iuuat hic etiam, ſed breuibus referre, vt qualitas miraculorum Mahometi diſcernatur. Dicunt ergo Gloſſa ibi, & liber Agar. Quòd, dum eſſet Mahomet Almedinæ ſeu Tribic, nocturno tempore, pulſatum eſt ad eius ianuam, cumque ſurrexiſſet reperit ad oſtium Gabrielem Archangelum, cum duplici ſeptuagenarum ſerie alarum, hinc & inde expanſarum, ſuper niuem candidarum, & cryſtalli luciditatem excedentium; ſecumque habere animal quoddam, iumentum, aſino maius, mulo minus, candoris lactem referens, nomine ٱلْبُرَاق Alborach: ſtatim Gabriel Mahometum complexus, ſereno illi vultu dixit: ò Mahomet, Diuino nomine ſalue; Ipſe præcipit tibi, vt hac nocte mecum venias, abſcondita ſacramenta, quæ non licet homini cernere, ſpectaturus. Et poſt Mahometi reſponſionem: conſcende, inquit Archangelus, iumentũ hoc Alborach, & veni mecum. Quando verò conſcendere voluit Mahomet, iumentum noluit, & rennebat; ſed illi dixit Angelus: cur renuis Mahometo conſcenſum tuum? Scito, quòd non poterit aliquando te conſcendere dignior illo; tunc reſpondit iumentum Alborach: numquam me à Mahometo conſcendi permittam, niſi prius me in Paradiſum à ſe introducendum promiſerit. Tunc Mahomet Alborach illi non ſolùm promiſit,

verum

verùm etiam &, inter bruta animalia, primum omnium Paradiſi gloriam adepturum. His dictis, ſtatim ſuo dorſo Mahometum excepit: &, Angelo Gabriele habenas tenente, iter fecerũt, donec ad ſanctum Hieroſolymæ Templum perueniſſent. Hic prætermitto voces in itinere auditas, & Angeli explicationem. Poſtquam ad Templum peruenérunt, Ecce (inquiunt) omnes Sancti & Prophetæ, qui iam è vita migrauerant, ad Templi valuas Mahometo occurrunt, illumque ſalutant, & ad maius altare ſeu ad المحراب *Capellã* deducũt, & omnes Mahometi orationibus ſe commendant, & ſtatim abſcedunt, Mahometo cum Gabriele relicto. Exinde ipſi duo, Templum exeuntes, inuenerunt extra portam ſcalam quandam de luce formatam vſque ad cælum pertingentem, per quam Archangelus Gabriel vſque ad primum cælum deduxit Mahomet: dicuntque, vidiſſe Mahomet hoc cælum ex argento puriſſimo fuſum, & ex illo ſtellas aureis catenis appenſas, maximamque ſtellam tantæ magnitudinis eſſe, quantæ eſt mons Noho; Qui eſt mons iuxta Tribic ſeu Medinam. cumque ad cælum perueniſſent, & ad cæli oſtium Gabriel pulſaſſet, oſtiarius dixit: Quis es tu? Reſpondit, Gabriel ego ſum, mecumque adeſt propheta Mahomet, Dei amicus. Ad nomen Mahomet ſtatim oſtiarius cæli oſtium recluſit, ibique decrepitum hominem inuenerunt, qui erat primus parens, Adam, qui viſum Mahomet ſtatim complexus eſt, Deoque gratias egit de tanto ſibi conceſſo nepote; ſeque Mahometi orationibus commendauit. Sed ecce vlterius, in eodem cælo, multitudo Angelorum, diuerſarũ figurarum; alij enim præſeferebant ſpecies hominum, alij equorum, alij bouum, alij gallorum, & cæterorum animalium, quadrupedum, & volatilium. Sed inter gallos vnus tantæ magnitudinis erat, vt pedes in primo cælo haberet, caput verò protenderet ad ſecundum; Mahometoque, de talibus ſciſcitanti, reſpondit Gabriel, illos eſſe Angelos, qui pro cunctis terreſtribus apud Deum intercederent; ita tamen, vt pro hominibus tantùm qui ſpecies hominum referebant, pro equis qui ſpecies equorum, pro bobus qui ſpecies bouum, & ſic de ſingulis. Et iterum de gallo illo maximo interroganti, reſpondit Angelus, ad galli illius cantũ & cucuritum omnes gallos ſuis cucuritibus reſpondere, non

ſolùm

ſolùm illos cæleſtes, ſed etiam omnes gallos terreſtres: his di-
ctis gallus cantauit, cæteri reſponderunt in cælis, & exinde
viciſſim qui erant in terris. Deinde ad ſecundum cælum cō-
ſcenderunt, non de argento ſed ex auro fuſum, & oſtiarius, ſi-
cut in primo, ſtatim ad Mahometi nomen aperuit: vbi non
prætereūdum quod dicitur, ſcriptum in ſingulis cælorum por-
tis Dei nomen cum nomine Mahometi, his verbis:

لا اله الا الله ومحمد رسول الله ۞

ideſt, *Non eſt Deus, niſi Deus, & Mahomet Apoſtolus Dei*. In-
trantes ſecundum cælum inuenerunt Noe, qui magnum ex
Mahometi conſpectu percepit ſolatium, ſeque Mahometi o-
rationibus commendauit. Et duplo numeroſiorem Angelorū
multitudinem in ſecundo cælo repererunt: eratque inter eos
Angelus ingens, pedes habens in ſecundo, & caput vſque ad
tertium protendens, manu tenens Orientem, & altera tangens
Occidentem. Exinde ad tertium ex lapide pretioſo tranſeun-
tes, repererunt ibi Abraham; & inter copioſiorem Angelorum
multitudinem vnus erat tantæ molis, vt inter vtrumque illius
oculum tantum diſtaret, vt 70000. dierum itinere vix peram-
bulari poſſet. Hic Angelus ex tabula, quam præ manibus ha-
bens ſemper inſpiciebat, nil aliud niſi delere ſcripta, & iterum
ſcribere noua, curabat. & Mahometo, de illo ſciſcitanti, re-
ſpondit Gabriel, illum eſſe Angelum nomine ملك الموت ideſt,
Angelum mortis, tabulamque illam vocari اللوح المحفوظ id-
eſt, *Tabulam ſeruatam*, de qua etiam mentionem facit Alcho-
ranus in fine سورة البروج ideſt, capitis *de Zodiaco*; in eaque
deſcripta eſſe hominum omnium actu viuentium nomina: An-
gelumq. illum conſiderare omnium vitam, computare annos,
& dies; & quando completos videt dies alicuius, illicò nomen
eius ex tabula delere in cælo, & ſtatim illum mori in terris:
Scribere etiam nomina naſcentium, & numerum annorum vi-
tæ illorum adnotare. Exinde ad quartum cælum conſcende-
runt ex ſmaragdo inſculptum, ibique inuenerunt Ioſeph Iaco-
bi filium, qui ſe Mahometo commendauit; & in eo copioſiorē
eſſe

eſſe Angelorum multitudinem, quàm in inferioribus; ibi quoque Angelum ingentis ſtaturæ, plorantem: & Mahometo, de eius luctu ſciſcitanti, reſpondit Gabriel, Angelum illum hominum peccata deplangere, & animas in Infernum detruſas. Exinde ad quintum conſcendentes, ex adamante compoſitum, ibi Moyſen repererunt, qui ſe etiam Mahometi orationibus commendauit. Deinde ad ſextum conſcendentes, ſanctum Ioannem Baptiſtam repererunt in eo, qui etiam ſe commendauit Mahometi orationibus: erat autem ſextum cælum ex carbunculo. Septimum verò, vbi, inquiunt, reperit Ieſum Chriſtum, erat ex diuina luce conſtructum. Hic autem non inquiunt, Chriſtum Mahometi orationibus ſe commendaſſe, ſed è contra Mahometum Chriſto. In eo cælo Angelorum multitudinem excedere omnem collectionem Angelorum exiſtentium in inferioribus, & inter eos Angelum eſſe habentem ſeptuaginta millia capita, & in ſingulis capitibus ſeptincentenas millenas linguas, & in ſingulis linguis ſeptincentenas millenas vocum articulationes, die ac nocte Deum laudantium. Et Angelos quoſdam ſemper, ad inſpiciendum aliquid, oculos apertos habentes: alios quoſdam ſemper caput ad terram vultu demiſſo tenentes, & numquam leuantes: alios quoſdam ſemper iacentes, ſurgentes numquam: alios tam alta acutaque voce Deum laudantes, vt opus eſſet digitos in aures habere immiſſos, nè obſurdeſcerent. In hoc cælo dimiſit Gabriel Mahometum, dicens, vt ipſe ſolus altiùs aſcenderet, ſibi verò ſublimiùs conſcendere non eſſe permiſſum. Exinde ergo ſolus (inquiunt) Mahomet conſcendit, & (vt ipſe refert) per aquas, niues, & cætera tam ardua, vt deficeret. Interea audiuit vocem ſibi dicentem hæc verba:

يا محمد ادن ولربك سلم ۞

Ideſt: O *Mahomed accede, tuumque Creatorem ſaluta*. Atque hæc audiens acceſſit, viditque lucem tantam, quantam oculis ſubſtinere nō poterat: refertq. Deum habere ſuæ faciei ſuperpoſita ſeptnaginta millia velamina, & tunc acceſſit ad Deum, quanti ſunt duo arcus iactus, vt ſupra diximus ex c. *De Stellis*. Quando etiam Deus manu ſua tetigit Mahomet, illamque tam frigidam ſenſit, vt frigiditatem ſuſtinere non poſſet:

poſſet: refertque multa ſibi à Deo tunc mandata, multaque ſacramenta reuelata; præcipuè (prout refert liber Agar) quinque ſibi priuilegia largita.

Primum, Quòd ipſe perfectiſſima omnium eſſet creaturarum.

Secundum, Quòd ipſe in die Iudicij ſuper omnes honorabilis, & omnium digniſſimus eſſet futurus, & omnibus præferendus.

Tertium, Ipſum fore redemptorem vniuerſali quadam redemptione.

Quartum, Quòd ipſe omnium noſceret genera linguarum.

Quintum, Quòd ipſi ſoli inimicorum exuuiæ poſt partam victoriam deberentur.

Magnum re vera miraculum, tot tantaque continens mirabilia. Quod,an re vera ita factum ſit,ex ſemetipſo ſe prodit, cùm mendacia eius cordato & ſapienti viro ſola narratione pateant. Quot enim mendacia continet talis relatio? Quòd ſtellæ aurea catena pendeant ex primo cælo ſuſpenſæ! Hoc nonne euidens mendacium eſt contra Aſtronomiæ ſcientiam, contra Philoſophiam; quæ dicunt, cælos non ex auro aut argento, ſed ex altioris ordinis materia fabricatos: ſtellas non eſſe ſuſpenſas, ſed tamquam nodos in tabula cælo fixas? Quòd iumentum Alborach ingreſſurum ſit Paradiſum! Hoc nonne repugnat rationi? Quòd animal irrationale intraturum ſit ad Dei gloriam obtinendam! Qualis intellectus non mirabitur, non obſtupeſcet? Et nænias illas de alarum multitudine, capitum, linguarum, & vocum, quis non agnoſcet, cum cæteris puerilibus, quæ in ea narratione inuoluuntur?

Alia quoque miracula de ſe iactat Mahomed: inter cætera primum, quòd ſibi accidiſſe quarto ſuæ ætatis anno dicit, non eſt prædicto minùs fatuum: ſcilicet, quòd Gabriel Angelus Mahometum, cum ſuæ nutricis filijs oues in agro paſcentibus commorantem, aſportauit de agro poſt collem, ibique pectus eius aperuit, cor extraxit, & de corde guttam quamdam nigri coloris abſtulit, ne poſſet vmquam à Diabolo tentari: ipſe namque ait, in gutta illa nigra fomitem peccati reſidere. Res inaudita quidem, Philoſophis & Theologis noua, quòd fomes peccati in corde per guttam nigram inſit!

Aliud miraculum narratur in libro Agar, quòd Mahometum iter facientem, ſexdecim tunc annorum, nubes à Solis ardore protexerit.

Aliud miraculum ipſe refert, collocutionem fuiſſe cum Archangelo Gabriele, quando illi caput primum Alchorani tradidit.

Aliud, quando reuertentem de ſpelunca, in qua illud caput Alchorani primum acceperat, arbores, aues, lapides, & quadrupedes illum ſalutabant, dicentia: *Gaude Mahomet, quia tu es propheta, & Dei nuntius.* Item, quòd arbor, in media ſita via, in duas ſciſſa eſt partes; vt quaſi per portam Mahomet tranſiret, & ſtatim in integrum reiuncta eſt, vt erat priùs.

Aliud miraculum, quòd arbores, Mahometi præcepto obedientes, de loco in locum tranſplantatæ ſunt; vt ei, Sole ſubardente aluum purganti, vmbram facerent: & iterum ad locum priſtinum, nullum relinquentes ſignum, redierunt.

Aliud miraculum, quòd truncus palmæ in veſtibulo domus Mahomet, ea nocte qua Meca eiectus eſt in exilium, fugere coactus Medinam, lacrymata eſt, ob Mahometi diſceſſum.

Eiuſmodi miracula, & his ſimilia alia aliqua referunt, Alchoranus, liber Sonnat,& liber Agar, alijq. Mahometanorum libri: miracula quidem,nemine teſte, niſi tantùm ipſo Mahomet, perpetrata. Illud vnum de Luna refert, factum fuiſſe coram patruo ipſius Mahomet,nomine Buccelin, qui animaduertens Mahometi conditiones & geſta,ſtatim animaduertit quidnam eſſet,& dixit,vt Mahomet ipſe initio cap. *de Luna*, refert, & ſupra appoſuimus. *Hoc eſt præſtigium,ſeu incantatio pertranſiens,& non permanens.* Et, reuera, incantatores nonne huiuſmodi mirabilia apparentia, dæmonis ope, faciunt circa lunam, & ad excitandas nubes,vt tegant lunam vel ſolem? & ita à pleriſque,qui Mahometi vitam,actiones, & conuerſationem conſiderabant,Magus,& Incantator cenſebatur, & Diaboli ope aliquod præſtigium,& friuolum quid apparenter effingere,prout etiam initio capitis *De Iona.* idem Alchoranus fatetur.

قَالَ الْكَافِرُونَ إِنَّ هَذَا لَسَاحِرٌ مُبِينٌ ۞

ideſt, *Dixerunt infideles: certè quod hic homo eſt incantator manifeſtus.*

Præ-

Præterea, mirum eſt, quòd Mahomet, qui tot tantiſque priuilegijs ſuper omnes ſanctos à Deo ſe dicit (vt ſuprà relatum eſt) decoratum, miracula tam friuola iactet, de ſudore palmæ, de adumbratione per nubem, de tranſplantatione arborum, & ſimilia: quæ omnia Dæmonis virtute fieri aut fingi poſſunt. Imò nullum adhibet teſtem, qui illa, quamuis friuola, viderit perpretantem. Cur non aliquando excitauit mortuum, vel ſanauit ægrotum probabiliter moriturum; non dedit cæco viſum, nec claudo greſſum, aut aliquando mũdauit leproſum? Quæ ſi ſtatim fiant, & verè fiant, vt non ſint apparentia tantùm; nonniſi à Deo eſſe, conuincunt, eò quòd omnem creatam potentiam excedant. Eiuſmodi miracula Moyſes, Ioſue filius Nun, Elias, Eliſeus, cæterique Prophetæ, ſicut etiam Chriſtus, ad oſtendendum ſe à Deo miſſos, operè compleuerunt. Nũquam eiuſmodi ſigna oſtendit Mahomet, quod ipſemet teſtatur in Alchorano سورة الروم capit. *De Rum*, ſeu *Romanis*, pag. mihi 391. & repetit cap. *De Formica*, pag. mihi 369.

إنك لا تسمع الموتى ولا تسمع الصم الدعاء إذا ولوا مدبرين ۞

Ideſt: *Quia tu non ſuſcitas mortuos; & non das auditum ſurdis, propterea retrocedunt*. His verbis inducit Mahomet Deum ſibi loquentem, quibus fatetur Mahomet, ſe non feciſſe talia miracula, qualia ſolus Deus poſſet, vt ſuſcitare mortuos, & c. ibi, & propterea pleroſque à Mahometo receſſiſſe. Cur ergo, ſi cauſa talis erat retroceſſus plurimorum; cur, inquam, talem cauſam non remouit? Cur miracula talia non perpetrauit? Nempe, quia non poterat: & propterea miracula friuola, & à nemine viſa, iactat; & miracula, quæ vera ſunt, & coram populo, facere detrectat, diuerſarum excuſationum cauſas prætendens.

Aliæ etiã friuolæ excuſationes Mahomet circa miracula.

Sed & præter ea quæ diximus, hanc aliam excuſationem affert cap. Rad الرعد ideſt, *De Tonitruo*, pag. mihi 244.

لَوْ أَنَّ قُرْآنًا سُيِّرَتْ بِهِ الْجِبَالُ أَوْ قُطِّعَتْ بِهِ الْأَرْضُ أَوْ كُلِّمَ بِهِ
الْمَوْتَى بَلْ لِلَّهِ الْأَمْرُ جَمِيعًا ۞

Ideſt: *Etiamſi per Alchoranum incederent montes, & debiſceret terra, aut loquerentur mortui: nibilominus Deo repoſitum eſt omne negotium*. Scilicet, non propterea crederent, niſi Deus illis gratiam infunderet ad credendum. Similem cauſationem adfert cap. *De Brutis*, pag. mihi 141. 142.

وَلَوْ أَنَّنَا نَزَّلْنَا إِلَيْهِمُ الْمَلَائِكَةَ وَكَلَّمَهُمُ الْمَوْتَى وَحَشَرْنَا عَلَيْهِمْ
كُلَّ شَيْءٍ قُبُلًا مَا كَانُوا لِيُؤْمِنُوا إِلَّا أَنْ يَشَاءَ اللَّهُ لَكِنَّ أَكْثَرَهُمْ
يَجْهَلُونَ ۞

Ideſt: *Si mitteremus ad eos Angelos, & loquerentur cum eis mortui, & congregaremus ad eos omnia ſimul; non crederent, niſi vellet Deus*. Ecce quomodo ſemper diuerſas excuſationes cauſabatur, miraculorum detrectans experimentum, fidemq. gratis exigens; & miracula à nullo viſa iactans.

Quòd autem ipſa miracula quæ iactabat, quamuis friuola, nec etiam re vera perfecerit, colligitur ex سورة الاسرى c. *De tranſitu*, In cuius initio mentionem facit, vt ſupra diximus, De aduentu Gabrielis Archangeli ad eum, nocturno tempore, quando Meca ad Templum Hieruſalem ſuper iumentum Alborach ſe deductum effingit, & exinde vſque ad cælos. In eo enim cap. inferiùs verſùs finem, aſſerit, quòd miracula ab ipſo petebantur, præſertim, vt aſcenderet ad cælos, vel deſcendere faceret Angelos: ipſe verò ſe excuſat, talem dans reſponſionem.

قُلْ سُبْحَانَ رَبِّي هَلْ كُنْتُ إِلَّا بَشَرًا رَسُولًا ۞

Ideſt:

ideſt. *Dic, laus Domino: numquid ego ſum aliud quàm homo Apoſtolus?* Ex quibus colligitur, quòd ſi verum fuiſſet, ſe ad cælos conſcendiſſe, prout initio capitis adnotat, vel Gabrielem ad eum veniſſe, vtique non talia reſpondiſſet, dicens: non poſſum, quia non ſum niſi homo Apoſtolus; ſed potiùs reſpondiſſet, iam deſcendiſſe de cælo Angelum, & ſe aſcendiſſe ad cælos. Hoc non audet dicere, ſed affert illam excuſationem: ergo, patens inditium eſt, quòd illud effinxerat. Sed reſpondebit aliquis, ideo non reſpodiſſe Mahomet, Angelum deſcendiſſe, & ſe aſcendiſſe, quia illud noctu acciderat, & à nemine viſum fuerat, quem poſſet afferre teſtem.

Conſideret ergo prudentiſſimus animus tuus miraculorum Mahometi qualitates: quàm diſtent à miraculis, non inquam à Chriſto & Moyſe legislatoribus, ſed etiam à Prophetis cæteris, perpetratis, ab Elia, ab Eliſeo &c. Miracula Mahomet à nemine viſa ſunt, & coram alijs miracula facere detrectabat: at Prophetæ coram omni populo, videntibus cunctis, miracula perpetrabant. Sic Chriſtus coram multis Iudæis Lazarum quatriduanum è monumento ad vitam reuocauit, filium Viduæ in ciuitate Naim, coram plurima turba, de feretro mortuum iacentem excitauit. Moyſes, coram omni filiorum Iſrael multitudine, terram fecit dehiſcere ad abſorbendos rebelles, Dathan & Abiron: coram duplici exercitu, Pharaonis & Iſraelis, mare aperuit, & plurima mirabilia fecit. Elias, coram omni populo Iudæorum, de cælis ignem fecit deſcendere, nunc ad deuorandum holocauſtum, nunc ad comburendos quinquaginta uiros cum duce eorumdem, nunc ad alium quinquagenarium ducem cum militibus ſuis conſumendos. Eliſæus, coram trium regum exercitibus, aquam in deſerto elicuit de foſſis aridis. Sicque omnes Prophetæ miracula non ſibimetipſis & clam perfecerunt, ſed ad potentiam diuinam populo oſtendendam, coram alijs, perpetrarunt: quid n. perficiunt miracula, ſi ſoli Prophetæ nota fiât, & non populo? Propheta enim conſcius eſt ſibi, an quæ loquitur propria mente effingat, an Deo iubente præcipiat. Populus autem de Propheta ſuſpicionem poteſt habere, cum non ſit conſcius nec certus de Prophetæ delegatione: poſſet enim ſuſpicari impoſturam.

Ad

Ad tollendam autem eiuſmodi ſuſpicionem de populi mente miracula requiruntur, quæ ſi fiant, nô alio præſente quàm ſolo Propheta, fruſtra fiunt; ſed coram populo vel teſtibus, vt populi ſuſpicio deleatur, fieri debent. Prophetæ omnes cum talibus circumſtãtijs perfecerunt: Mahomet verò, nonniſi clandeſtina iactabat, & coram populo facere recuſabat.

Præterea, miracula Prophetæ, propter finem aliquem iuſtum, charitati vel aliæ virtuti inſeruientem, faciebant; vt Chriſtus, ad reddendam vitam hominibus, & conſolandos propinquos defunctorum, illos ad vitam reuocabat. Eliſæus ad potandos viros & iumenta, quæ in arido deſerto ſiti erant peritura, miraculosè fontem de terra eduxit. Similiter Moyſes, ad puniendum rebelles populumque Iſrael conuertendum, terram fecit dehiſcere. Et ita per ſingula diſcurrendo, omnia propter aliquem finem rectum honeſtumque, patebit, fuiſſe perpetrata. At miracula Mahomet, perpende quæſo, ad quid perpetrata fuerint? cur ſciſſa eſt media arbor coram ſolo Mahomet? Cur tranſplantatæ ſunt de loco in locum arbores plurimæ, nullo vidente, niſi ſolo Mahomet? Cur cætera perpetrata ſunt? Certè nonniſi friuola ratio reddi poteſt: cùm Deus miracula, nonniſi graui de cauſa, & in rationabilis creaturæ ſubſidium, perficiat. Numquam verò Mahomet, propter charitatem vel pietatem, alicuius miſeri, per miraculum aliquod ſubleuauit indigentiam: nec enim ſuſcitatione mortui, vel curatione infirmi morituri, conſanguineos vel affines illius aliquando eſt conſolatus; ſicuti Chriſtus, Elias, Eliſæus, &c. Numquam eſurientes per miraculum cibauit, ſicuti Chriſtus, vt etiam ipſe in Alchorano cap. 4. cui titulus eſt *De Menſa*, refert: Moyſes qui manna & coturnices ſuper populum Iſrael eſurientem fecit euolare & pluere: & cætera ſimilia, ſicut aliquis Prophetarum: ſed omnia mirabilia quæ iactat Mahomet, ad eum modum facta eſſe dicuntur, ſicut præſtigia & incantationes à Magis, Diaboli ope, perficiuntur: nempe vel ad malum finẽ, aut futile, vel ad ſuperbiam & vanam gloriam, &c. numquam tamen adiuuandum, vel ad rem ſeriam, aut bonum aliquod, in proximi vtilitatem perficiendum.

SECTIO

SECTIO III.

An Alchoranus ſit conuertens animas, ratione diuinæ cooperationis.

QVòd ſi in alio ſenſu accipiatur illud Prophetæ: *Lex Domini conuertens animas*. Ideſt, quòd ſit doctrina efficax ratione Diuinæ cooperationis, quæ infuſione gratiæ ad aſſentiendum inclinet mentem, quamuis ardua, naturam excedentia, & creditu difficilia proponantur. Patet etiam, Chriſti legem tali efficacia non caruiſſe; cùm per homines, externa quidem ſpecie contemptibiles, piſcatores, rudes, breuiſſimò temporum ſpatio, totum traxerit Orbem ad altiſſimorum myſteriorum, mentis humanæ rationem excedentium, credulitatem; homines magnos, paruos, doctos, indoctos, iuuenes, ſenes, viros, & mulieres; inſuper Magnates, Reges, Imperatores, etiam reluctantes. Conuertit, inquam, & traxit, non ad voluptates, & delicias, & ea ad quæ ſenſus propendit; ſed ad crucem, aſperitates, ad vitam carni & ſanguini inuiſam: inſuper & cum euidenti, vel ſaltem probabili capitis periculo: Nam in toto Orbe quotquot ad Chriſti fidem conuertebantur, illicò Imperatorum perſecutionibus ſubiacebant: cùm omnes, vſque ad Conſtantinum (qui trecenteſimo poſt Chriſtum annò imperauit) Chriſti fidem exterminare conarentur.

Efficacia Diuinæ legis, ratione Diuinæ excitationis, & gratiæ adiuuantes.

Iam tunc ab initio Chriſtus ipſe, adhuc mortali carne circumdatus, tamquam caput Martyrum, Iudæorum furorem expertus eſt; deinde Diſcipuli. Et cùm non ſoli ſufficerent Iudæi ad Chriſti fidem exterminandam, adiunctæ ſunt Gentes, & Imperatores, qui vt Idolorum ſuorum cultus tuerentur, Diabolo incendente, non aliud mente & opere tractabant, quàm Chriſti fidem totis conatibus abolere.

Et primò Claudius Nero præcipuos Apoſtolorum ſuſſit interfici. Secundò, Domitianus Apoſtolorum diſcipulos. Tertiò, Traianus. Quartò, Antoninus Verus. Quintò, Seuerus. Sextò, Maximinus. Septimò, Decius. Octauò, Valerianus. Nonò, Aurelianus. Decimò, Diocletianus &

Maxi-

Maximianus. Poſt illos omnes, aduenit Conſtantinus. Et ità per trecentos annos vndique, per omnium terrarum ſpatia, acta & agitata eſt Chriſtianorum fides, nullibi ſecura conſiſtẽs: & nihilominus, 300. annorum pugna, nec totius Orbis feritate victa, nec omnium Imperatorum potentia eſt poſtrata; ſed nuda armis expoſita, obſiſtentem & reluctantem ingreſſa eſt Orbem, eumque inermis vicit armatum. Quotidie cadebant fidelium corpora; cædebantur Chriſtianorum millia: & tamen fluebat ſanguis, quaſi ſerotinus imber, non quo ingruente Chriſtianæ fidei ædificium rueret; ſed quo rigante Catholica fides vbique terrarum radices mitteret, germinaret, floreret, æternæ vitæ fructum in cæleſtibus paritura.

Et quod admirationem facit maximam, eſt Martyrum aduerſus perſecutores conſtantia, & in tormentis patientia, & in morte triumphus & victoria: augetque ſtuporem imbecillitas plurium: non enim ſoli perfectæ ætatis ac robuſti viri, verùm etiam & ſenes decrepiti, fœminæ fragiles ſexu, puellæ & infantes in puerilibus adhuc & teneris annis, in tormentis erant intrepidi, perſiſtebant conſtantes, & ne Chriſti fidem abnegarent, lætis animis ſupplicia tolerabant, mortiſque præſentiã non refugiebant. Et longum eſſet per ſingula narrare martyria, tormenta, & mortes plurimorum: plenæ enim ſunt Scriptorum paginæ; imò & omnes terrarum tractus oſtendunt ipſorum Martyrum monumenta, qui vitam profundere maluerunt, quàm fidem. Roma ſcatet Martyrum ſepulchris, Nicomedia ſimiliter, Alexandria pariter: idque eſt tam celebre apud omnes qui hiſtorias veterum volunt; vt ſuperuacaneum ſit hic pluribus recenſere.

Quæ virtus? quæ potentia, infantes, & pueros, & puellas, alioſque fragiles vel ætate, vel ſexu, potuit in tormentis ſtabilire, niſi Diuina? Poterat quilibet Martyrum, ſola Chriſtianæ fidei abnegatione, mortem & tormenta effugere: imò & pro tormentis obtinere delectamenta, pro morte vitam non ſolùm, ſed & diuitias & dignitates, quæ ab Imperatoribus, vel eorum Præfectis in diuerſis terræ regionibus offerebantur, ſi Chriſti fidem negarent: & tamen pro ſola Chriſti fide, non tantùm diuitias, dignitates, delectamenta, & vniuerſa mundi bona contemnebant; verumetiam & tormentis, pœnis, & ſupplicijs, & morti ſe potius ſubijciebant. Miraculum

lum profectò diuinum: nec enim alia potuiſſet virtus fragiles puellas & pueros, tanta pro Chriſti fide conſtantia, roborare.

Fuit autem ordinatio alti diuina conſilij, vt inter perſecutionum tempeſtates Chriſti fides vires caperet, premente perſecutione creſceret, & impleret Orbem. Quid enim diuinum in opere præfulſiſſet, ſi Chriſti Diſcipuli, armorum vi opprimentes eos qui credere nollent, mundum Chriſtianæ legi ſubegiſſent? Valde autem mirabile, perſpicuè & manifeſtè Diuinum, cùm non reluctando aut opprimendo, ſed patiendo & deficiendo creſcerent, occũbendo triumpharent, & opprimentium vim ſuſtinendo ad Chriſti fidem mundum traherent. Completum eſt in Chriſtianis illud, quod in filijs Iſrael à Pharaone oppreſſis per figuram præceſſerat; quantò enim magis ſeruitute & Aegyptiorum feritate premebantur, tantò magis in dies augebantur, vt habetur Exodi 1. num. 12. *Quantoque opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur, & creſcebant.*

Præterea perturbationes illas, quas in tuo libro obijcis, per Chriſti fidem in Orbe Deus excitari permiſit; vt Diuinæ omnipotentiæ mirabilia oſtendens, ſignificaret, Chriſti fidem re vera eſſe Diuinam, quæ mirabili quodam modo poſſet militibus ſuis, non hoſtes occidendo, ſed eorum armis occumbendo, dare triumphum, & diminutione incrementum.

Hoc etiam per os Dauid pſalm. 2. à Spiritu ſancto prænuntiatum fuerat: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania: Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius &c.*

Sic ergo patet, Chriſti fidem, propter Diuinæ gratiæ efficaciam, eſſe animas conuertentem.

Mahometi autem lex, non ſolùm illa caret efficacia, quæ per Diuina miracula habetur, verumetiam & efficacia quæ obtinetur Diuina cooperatione, per inuiſibilis gratiæ infuſionem. Licèt enim multos traxerit, non traxit diuinæ gratiæ efficacia: ſed traxit vi armorum, vt ipſe Alchoranus teſtatur cap. 3. libri ſecundi, cui titulus eſt سوره التوبة ideſt cap. *De* *Quà de cauſa Mahometi ſecta ſit in Orbe propagata.*

Pœnitentia, ſeu vt alij volunt *De Gladio*, vbi duabus circiter paginis poſt initium ſic inquit:

قاتلوا الذين لا يؤمنون ۞

Ideſt: *Pugnate cum ijs qui non credunt*. Et inferiùs codē cap.

قاتلوا المشركين ۞

Ideſt: *Pugnate cum his qui Trinitatem profitentur*. Et eodem cap. verſùs finem, licèt altiùs, vt ſuos ad pugnam excitaret, ſic inquit:

إن الله اشترى من المؤمنين أنفسهم وأموالهم بأن لهم الجنة يقاتلون
في سبيل الله فيقتلون ويقتلون وعدا عليه حقا في التورية
والانجيل والقرآن ومن أوفى بعهده من الله فاستبشروا ببيعكم
الذي بايعتم به ذلك هو الفوز العظيم ۞

Ideſt: *Quia Deus mercatus eſt à credentibus animas ipſorum & bona eorum, promiſſione paradiſi, pugnabunt in via Dei, & occident, & viciſſim occidentur, promiſſio ſuper hoc veritas eſt in lege Moyſi, & in Euangelio, & in Alchorano: & quis fidelior eſt in completione promiſſi, ſeu pacti ſui, quàm Deus? Exultate igitur propter venditionem veſtram ei, cum quo talem commutationem feciſtis, quæ eſt lucrum magnum*. Et in libro سنة *Sonnat* repetit idem, dicens:

قاتلوا الناس حتى يكونوا مؤمنين ۞

Ideſt

Id eſt : *Pugnate cum hominibus vſque dum fiant Mahometani* : Alibi etiam pluries Mahomed præcipit, vt occidant & perſequantur omnes, qui credere noluerint. Et Mahometanorum hiſtoriæ referunt, bello & armis Mahometi legem fuiſſe propagatam : quod, tamquam notiſſimum etiam ex Mahometanorum hiſtorijs, fruſtra hic pluribus referremus.

Sed, quod maximè animaduertendum eſt. Mahometi lex traxit plurimos, quia carnis fræna relaxat; ad voluptates, ſocordiam, & libidinem, aperit campum : non propoſuit credenda, niſi humana & humanis proxima. Quare mirum non eſt, ſi homines, quorum natura ad carnis voluptates propendit, ad vitia eſt procliuis, & libertatem ſeu licentiam rebus vniuerſis proponit, facilè Mahometi legem, talia proponentem, ſuſceperint. Traxit etiam indoctos, idiotas, vt cap. 1. & ſæpè ipſemet teſtatur Alchoranus, vocans gentem illam السفهاء *Inſipientes*. Vnde indoctis ac rudibus facilè fuit illudere. Traxit etiam primò Idololatras, vt ex Alchorano, pluribus locis conſtat, falſo prætextu Moſaicæ, & Chriſtianæ Legis; ita vt commendans Iudæos, & Chriſtianos, inſuper & Paganos, vt 1. cap. & 4. & ita omnes in ſua lege aſſerens gloriam adepturos, omnium rudium captaret beneuolentiam, talia loquens, tam amplam vitæ viam ſignificans, vt poſſet quis ad libitum, vel Moſaicam legem ſeruare, vel Chriſti fidem colere, vel in Paganiſmo viuere : dummodo tantùm Idola non colerent, quamlibet ſeruare legem licere. Quid ergo mirum ſi homines tantam libertatem animi, tantam carnis licentiam, ſibi propoſitam à Mahometo ſentientes, vt liceret quoque, non ſolùm ex pluribus vxoribus, verùmetiam ex vniuerſis proprijs ancillis carnis delectamenta ſumere : & ex alia parte, niſi tantam appetitus licentiam, & libertatem carnis aſſumerent, mortem timentes quam Mahomet comminabatur, & per ſuos exercitus erat illaturus: Quid mirum, inquam ſi tanto malo deterriti, tanta delectationum fruge illecti, Mahometi legem plurimi ſuſceperint?

Nec verò, in hoc, euacuat Mahometi crimen excuſatio quam affers, dicens: licere, vi armorum Infideles ad fidem compellere : quia Mahometus nō compulit ad fidem, veramq; Dei Religionem, vt magis ex infra dicendis patebit. Nec li-

cet paſſim, infidelibus quamcumque legem, armis cogentibus, ſeruandam præſcribere, niſi tantùm legem naturæ, ad quam tenentur naturali lumine ſuadente. Ad ſupernaturalia autem credenda, non iurè compelluntur, vt patet ex Euangelio, in quo Chriſtus non dixit: Pugnate & cogite ad myſteria Chriſtianæ fidei credenda, ſed; Ite prædicate, &c. Aſſenſum autem libero audientium arbitrio reliquit. Eſt autem ratio peculiaris pro lege naturæ, quia conueniens eſt, vt naturalem vitam amittat, qui naturalem legem ſeruare detrectat. Exempla autem allata de Ioſue, & de Conſtantino, ad rem non faciunt; quia non pugnauerunt ad hoſtes compellendos ad fidem: ſed Conſtantinus contra Maxentium, cùm ſibi non debita vſurparet, Ioſue verò, tamquam Dei inſtrumentum ad puniendos Chananæorum populos, aſsumptus fuit, vt ex Scripturis patet, in quibus præcipiuntur Chananæi propter eorum peccata delendi, non autem ad fidem trahendi. De quo præter libros Moyſis & Ioſue, habetur ſermo Sap. 12. à num.2. & infra. Præterea ſi ex ipſo Mahomet cap. 1. & 4. Alchorani; Iudæi Chriſtiani & Pagani tam rectam legem profitebantur, vt eos quælibet lex benè ſeruata ad Paradiſi gloriam perduceret; qua nam ratione præcepit idem Mahomet, vt eos Mahometani ad Mahometicam legem vi etiam armorum cogerent? Verùm hoc aliàs, hic autem potiùs incepta proſequamur.

Traxit ergo complures Mahomed, concupiſcentijs carnalibus alliciendo, & armis terrendo: non autem diuina cooperante virtute. Nec enim Diuina virtus carnis concupiſcentias fouet, ſed illas potiùs infrænat; & mirum non eſt, legem carnis concupiſcentijs fauorabilem vigere in hominibus, qui carnis voluptati propria voluntate ſubijciuntur.

Nec gloriari poſſunt Mahometi ſectatores, Mahometicam legem per longa terrarum ſpatia eſſe diffuſam; quia nec mirum eſſet, etiam ſi impleuiſſet Orbem: cùm enim ſenſus, & cogitatio humani cordis, vt inquit Scriptura Geneſ. 8. 21. prona ſint ad malum omni tempore, & ab adoleſcentia ſua; ſi lex concupiſcentias & delectamenta permittens & carni fauorabilis in hominibus vigeat, mirabile non eſt; ſicut non eſt mirabile, carnalibus illecebris homines inquinari.

Hoc autem patet, & patuit in Idololatria, quæ tot ſæculis

obti-

obtinuit Orbem: nec tamen dici poteſt, quòd diuina virtus totum mundum ad Idololatriam traxerit; nec quòd diuina gratia Idololatriam in Orbe ſeruauerit. Cur ergo per tot ſæcula viguit, ita vt diuina omnipotentia opus fuerit ad illam de mundo extirpandam? Cur tanto tempore, per tam ampla ſæcula, per tam longa terrarum ſpatia, mundum poſſedit? In promptu cauſa eſt: quia Idololatria carnis voluptatibus, carnalibus concupiſcentijs, non modò fræna relaxat; ſed & ſtimulis etiam cogit. Hinc Iouis ſtupra, adulteria, raptus: inde Veneris amores, Cupidi laſciuiæ, Priapi turpitudines, Floræ proſtibula, Bacchi crapulæ. Quis ergo durationem tantorum facinorum diuina firmante virtute dixerit protelatam? Vnde patet falſum eſſe illud, quod Mahometani dicunt, vt aſſeris in tuo libro, omnem ſectam quæ durat pluſquam triginta annos, eo ipſo habendam eſſe diuinam: Idololatria enim non ſolùm triginta, & centum; verumetiam & mille, & pluſquam duo millia durauit annos: & tamen illam, conſtat, non fuiſſe diuinam. Nec aliquando illud dixit Apoſtolus Paulus, vel alius Sanctus Doctor: nec in ſacra Scriptura verba illa reperiuntur, vt aſſerere videris in tuo libro: Apoſtolus autem ad Timotheum ſecundò ſcribens cap. 3. ſic inquit: *Ita & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem: ſed vltra non proficient.* Quæ verba non faciunt ſenſum illum, quem obijcis. Et in Actibus Apoſtolorum cap. 5. hæc habentur: *Si eſt ex hominibus conſilium hoc aut opus, diſſoluetur. Si verò ex Deo, non poteritis diſſoluere illud.* Hæc verba vera ſunt, quia tandem omne humanum conſilium contra Deum, diſſoluetur, iuxta illud Salomonis Prouerb. cap. 21. num. 30. *Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum.* Et ita omnia adinuenta contra Deum ad nihilum rediguntur, vt patet in Idololatria, quæ iam diſſoluta eſt; ſed non ante triginta annos, & talis menſura temporis nuſquam reperitur præfixa in Scripturis. Propterea non poteſt argui rectitudo legis, ex eo quòd perdurauerit per multum temporis, etiam ſi 1000. & 2000. annos, vt patet in Idololatria. Verum eſt, quòd omnia tandem diſſoluentur: tamen, propter hominum peccata, diu mala & ſectæ impiæ in Orbe vigere permittuntur. Vnde, ſi Mahometi lex tanto tempore durauit, hoc propter hominum peccata

Legis rectitudo non probatur ex eius duratione.

à Deo

à Deo permiſſum eſt. Si vrbes plurimas & regna occupauit, quæ prius impleuerat Chriſti fides, hoc propter ciuium ingratitudinem fuit permiſſum, qui cùm Chriſti fidem agnoſcerent, non prout opus erat honeſtis moribus colebant; & propterea Deus, nolentibus mores debitos adiungere fidei, ipſam quoque fidem abſtulit, tamquam indignis: ſic enim in Euangelio contra iniquos comminatus eſt Chriſtus, cùm nollent ſecundùm fidem honeſtos colere mores, Lucæ 12. à num. 45. ſeu ſect. 49. *Quòd ſi dixerit ſeruus ille in corde ſuo: moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere ſeruos & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari: veniet Dominus ſerui illius in die qua non ſperat, & hora qua neſcit, & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet.* Ecce quomodo propter peccata comminatur auferre donum fidei: Idem comminatur in Apocalypſi Ioannis cap. 2. num. 5. vbi Epheſo, propter defectum à prima charitate, niſi per pœnitentiam ad illam reuerteretur, dicit, ſe moturum candelabrum eius de loco ſuo, quod quidam Patres & Expoſitores intelligunt de fide: ſicut enim per candelabrum in tenebris lumen aſpicimus, ita etiam per fidem in hac vita degentes diuina contemplamur. Dicit ergo: *Memor eſto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac; ſin autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris.* Quaſi dicat: Auferam à te fidem, niſi feceris opera fidei. Sed & in Veteri Teſtamento, Leuit. cap. 26. beneficio Diuinæ legis fruentibus, eamque dignis moribus non colentibus, per Moyſen Deus comminatur, non ſolùm ipſam legem & fidem ablaturum; verumetiam & regni gloria, bonorum poſſeſſione, atque ipſa ciuilis conſuetudinis ac libertatis facultate, ſe eos ſpoliaturum; inſuper omnibus malis cumulaturum: & ſummet populum, ea de cauſa, gentibus barbarorum ſubiugaturum: vt, qui Deo obedire recuſarent, duris exactoribus ſubijcerentur. Non ergo mirum ſi infidelibus Principibus, & Mahometanis, vltrix ira Dei plurimas Chriſtianorum delinquentium vrbes ac regiones ſubdiderit. Quod autem propter iniquitatem & nequitiam Turcis Chriſtianos Deus ſubijceret, exitus probauit: nam cùm Græci, Græcorumque vrbs præcipua, Conſtantinopolis, Chriſti in terris Vicario obedire recuſaret, & peruicaci mente contra Spiritum ſanctum peccaret, nolens illum à Patre ſimul & Filio

Nolentibus fidei mores copulare, ipſa quoque fides in pœnam aufertur.

lio

lio procedentem agnoſcere; propterea ipſa die celebritatis Spiritus ſancti capta eſt Conſtantinopolis, eiuſque Imperium in Turcas tranſlatum.

Duplici ergo de cauſa viget in Orbe Mahometi lex, ſicut antea tanto tẽpore viguit Idololatria: nempe propter Dei iram, peccatorum iniurias vlciſcentem: Et propter hominum propenſionem ad animi libertatem, vitiorum licẽtiam, & voluptatem carnis. Non ergò mirum ſi inter carnales ſit propagata carnalis lex: nec mirum, ſi in peruerſis permittatur, per iniquam legem, Diabolus regnum obtinere: vt fiat illud quod vlt. c. Apocalypſis Ioannes Apoſtolus prophetauit, dicens. *Qui nocet, noceat adhuc; & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: & qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc: & ſanctus, ſanctificetur adhuc.* Quia ſcilicet ſanctus & iuſtus per bona opera maiorem ſemper gratiam promeretur, & peccator per noua delicta in dies magis ac magis demeretur: ità vt niſi ſe pœniteat, fidem quoque in hoc ſæculo perdat, & gloriam in futuro. Non eſt ergo mirum, Mahometi ſectam adhuc perdurare. Quantum ſit duratura, Deus nouit: hoc autem certum eſt, eſſe aliquando diſſoluendã, iuxtà illud ex c. 5. Actorum ſupra relatum. *Si ex hominibus hoc opus eſt, diſſoluetur.* Quia verò tempus in Scripturis non præfigitur, propterea temporis duratiõnẽ ignoramus: ſicut etiam, ex eo quòd tanto tempore durauerit, eius rectitudo non probatur.

Mirum illud eſt: quod ſtatim patet eſſe diuinum: legem Chriſti, carnis voluptates prohibentem, & aſperum crucis iter arripiendum pręcipientem, in hominibus, quorum natura ad ſenſuum blandimenta propendit, tandiù viguiſſe; & Orbem, vniuerſa ſui potentia obſiſtentem, ſubiugaſſe.

CAPVT

CAPVT III.

Teſtimonium Domini fidele.

SECTIO I.

Quòd Lex Diuina in promiſſione fidelis ſit.

Diuinæ Legis fidelitas.

SEquitur ſanctus Dauid, aliam conditionem diuinæ legis indicans. *Teſtimonium Domini fidele.* Quæ conditio, quamuis non videatur eſſe diſtincta ab illa, quam inferiùs ſubdit, dicens: *Iudicia Domini vera*: nihilominus fidelitas connotat aliquid ſupra veritatem, nempe promiſſionem: Quia veritas ſimpliciter non refertur ad promiſſum, ſicut fidelitas: is enim veridicus dicitur qui vera aſſerit, quamuis aliquid non promittat. Fidelis autem propriè non dicitur, niſi promiſſa perficiens. Debet igitur lex, ad hoc vt diuina dici poſſit, eſſe fidelis.

Hanc diuinæ legis conditionem ipſe quoque Mahomet in Alchorano fatetur سورة المؤمن *De Fideli* verſus finem pag. mihi 452.

إن وعد الله حق ۞

Ideſt. *Certè quòd promiſſio Dei vera eſt.* Et bis repetitur eodem cap.

فاصبر إن وعد الله حق ۞

Ideſt. *Subſtine, quoniam promiſſio Dei vera eſt.* Vnde grauiſſimum eſſet blaſphemiæ crimen, Deum infidelem dicere, aut exiſtimare: & hoc idē etiam Alchoranus pluriès repetit: tāta eſt rei euidentia; præſertim c. *De Iona*, ſub initium, & c. *De Muro inter Paradiſum & Gebennam*, Arabice س الاعراف aliquanto poſt initium, pag. mihi 153. & 202. Vnde Dei teſtimonium fidele

fidele omnino eſt: & ſolum ſufficit, vt quodcumque credendum ſit. ſic Alchoranus ipſe d. c. *De Iona* pag. mihi 204. & c. *De mulieribus*, non longè à fine, pag. mihi 104. Et alibi ſæpè repetit.

كفى بالله شهيدا ۝

Ideſt. *Sufficit Dei teſtificatio.*

Quòd autem fidelis lex Moyſi fuerit, fidelis etiam ſit lex Euangelica: patet, diſcurrendo per ſingula quæ pollicentur.

SECTIO II.

De Moſaicæ Legis, Prophetarum, & Euangelij fidelitate.

PRimum autem & præcipuum legis Moyſi promiſſum fuit Meſſiæ aduentus. Ab initio enim Orbis, & in principio Scripturæ, Geneſis 3. incipit talis fieri promiſſio n. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum* Quem locum omnes de Meſſia intelligunt, qui ex ſola fœmina ſine viri conſortio natus eſt homo: & propterea mentio fit tantùm de ſemine mulieris: aliàs enim non benè de ſolo mulieris ſemine facta fuiſſet mentio, neglecto ſemine viri, quod præcipuum eſt in generatione: & propterea ſerpentini illius capitis contritionem mulieri aſcribit, dicens: *Ipſa conteret caput tuum*. Quia ſcilicet mediante ſuo ſemine illud eſſet contritura. Item promittitur Meſſias, Geneſis 18. Vbi ex ſemine Abrahæ oriturus dicitur. Item Geneſis 22. & 26. promittitur Iſaaco. Deinde c. 28. eadem promiſſio fit Iacobo, & c. 49. idem prophetat Iacob, addens, ex Tribu Iuda ipſum Meſſiam fore venturum. Inſuper & tunc venturum, quando ſceptrum primò eſſet à Iuda ablatum. Deinde in Exodo etiam Meſſias promittitur & præfiguratur *Moſaicæ Legis fidelitas.*

eius mors & paſſio per agni occiſionem, c.12. cuius ſanguine ab Angelo percutiente ſecuri euaſerunt filij Iſrael. Deinde in Leuitico, per diuerſos ſacrificiorum ritus, eiuſdem Meſſiæ innocentia, & paſſio. In Numeris etiam, præcipuæ per ſacrificium vaccæ rufæ extra caſtra mactatæ. Et in ſerpente æneo ſuper lignum ſuſpenſo, ad ſanitatem à ſerpentibus percuſſorum, vt cap.21. Et cap.24.num.17. iterum à Balaam propheta prænuntiatus illis verbis: *Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael, &c. De Iacob erit qui dominetur.* Et Deutéron. 18. num.15. iterum promiſſus verbis ſupra allegatis. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ipſum audies, &c.* Et ita omnes libri Legis Moyſi Meſſiam promittunt. Immo & omnes etiam aliorum Prophetarum nonniſi Chriſtum loquuntur, & ad ipſum ordinantur, vt inquit Apoſtolus ad Rom. cap. 10. *Finis legis Chriſtus.* Vnde & in libris Regum iterum promittitur, & de ſtirpe Dauid dicitur oriundus, præſertim cap. 7. vbi regnum Meſſiæ, ex Dauid orituri, æternum fore prænuntiatur. Et Prophetæ omnes, venturum Chriſtum, prophetauerunt. Sanctus Iob cap. 19. à num. 25. *Scio, inquit, quòd Redemptor meus viuit, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum.* Sanctus Dauid ferè per omnes pſalmos. Et pſalmo ſecundo refert, prophetico more, illud Dei Patris dictum ad ipſum Meſſiam, quod etiam Mahometani inficiari non audent, ſed Chamuſi Author in dictione ولد vbi ſupra, dicit, illa verba: *Filius meus es tu ego hodie genui te.* Eſſe Dei promiſſionem, & verba ad Ieſum Meſſiam. Et Iſaias plura de Chriſto prænuntiat. Incarnationem & natiuitatem ex Virgine cap. 7. à num. 14. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium.* Eius Diuinitatem: *Et vocabitur nomen eius Emmanuel.* ideſt, Nobiſcum Deus. Eius humanitatis Sanctitatem cap. 11. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini: Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilij & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Eius Progeniem ibid. *Egredietur virga de radice Ieſſe.* Eius Imperium cap. 9. à num.6. *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius: & vocabitur nomen*

eius, Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur eius Imperium. Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit: vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iuſtitia, amodo & vſque in ſempiternum. Eius prædicationem cap. 61. *Spiritus Domini ſuper me, eo quòd vnxerit Dominus me: ad annuntiandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem: vt prædicarem annum placabilem Domino, &c.* Miracula quæ erat perpetraturus quando adueniſſet cap. 35. *Deus ipſe veniet, & ſaluabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet ſicut ceruus claudus; & aperta erit lingua mutorum.* Eius Diſcipulos cap. 8 à num. 13. & infra: *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in ſignum, & in portentum Iſrael à Domino exercituum, qui habitat in monte Sion.* Et *Liga teſtamentum, ſigna legem in diſcipulis meis.*

Scandalum filiorum Iſrael de ipſo Chriſto eodem cap. 8. *Dominus exercituum ipſum ſanctificate: Et erit vobis in ſanctificationem. In lapidem autem offenſionis, & in petram ſcandali duabus domibus Iſrael, in laqueum & in ruinam habitantibus Hieruſalem. Et offendent ex eis plurimi.*

Chriſti paſſionem & mortem in redemptionem noſtram cap. 53. *Non eſt ſpecies ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum: deſpectum, & nouiſſimum virorum virum dolorum, &c. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit: & nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuã declinauit: & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum. Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum. Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.*

Id quod per mortem & paſſionem ex Dei ordinatione adepturus erat, eodem cap. 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & ſaturabitur: In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit. Ideo diſpertiam ei pluri-*

 mos:

Pœnitentia, ſeu vt alij volunt *De Gladio*, vbi duabus circiter paginis poſt initium ſic inquit:

قاتلوا الذين لا يؤمنون ۞

Ideſt: *Pugnate cum ijs qui non credunt*. Et inferiùs eodẽ cap.

قاتلوا المشركين ۞

Ideſt: *Pugnate cum his qui Trinitatem profitentur*. Et eodem cap. verſus finem, licèt altiùs, vt ſuos ad pugnam excitaret, ſic inquit;

إن الله اشترى من المؤمنين أنفسهم وأموالهم بأن لهم الجنة يقاتلون
في سبيل الله فيقتلون ويقتلون وعدا عليه حقا في التورية
والانجيل والقرآن ومن أوفى بعهده من الله فاستبشروا ببيعكم
الذي بايعتم به ذلك هو الفوز العظيم ۞

Ideſt: *Quia Deus mercatus eſt à credentibus animas ipſorum & bona eorum, promiſſione paradiſi, pugnabunt in via Dei, & occident, & viciſſim occidentur, promiſſio ſuper hoc veritas eſt in lege Moyſi, & in Euangelio, & in Alchorano: & quis fidelior eſt in completione promiſſi, ſeu pacti ſui, quàm Deus? Exultate igitur propter venditionem veſtram ei, cum quo talem commutationem feciſtis, quæ eſt lucrum magnum*. Et in libro سنة *Sonnat* repetit idem, dicens:

قاتلوا الناس حتى يكونوا مؤمنين ۞

Ideſt

Ideſt: *Pugnate cum hominibus vſque dum fiant Mahometani*: Alibi etiam pluries Mahomed præcipit, vt occidant & perſequantur omnes, qui credere noluerint. Et Mahometanorum hiſtoriæ referunt, bello & armis Mahometi legem fuiſſe propagatam: quod, tamquam notiſſimum etiam ex Mahometanorum hiſtorijs, fruſtra hic pluribus referremus.

Sed, quod maximè animaduertendum eſt. Mahometi lex traxit plurimos, quia carnis fræna relaxat; ad voluptates, ſocordiam, & libidinem, aperit campum: non propoſuit credenda, niſi humana & humanis proxima. Quare mirum non eſt, ſi homines, quorum natura ad carnis voluptates propendit, ad vitia eſt procliuis, & libertatem ſeu licentiam rebus vniuerſis proponit, facilè Mahometi legem, talia proponentem, ſuſceperint. Traxit etiam indoctos, idiotas, vt cap. 1. & ſæpe ipſemet teſtatur Alchoranus, vocans gentem illam السفهاء *Inſipientes*. Vnde indoctis ac rudibus facilè fuit illudere. Traxit etiam primò Idololatras, vt ex Alchorano, pluribus locis conſtat, falſo prætextu Moſaicæ, & Chriſtianæ Legis; ita vt commendans Iudæos, & Chriſtianos, inſuper & Paganos, vt 1. cap. & 4. & ita omnes in ſua lege aſſerens gloriam adepturos, omnium rudium captaret beneuolentiam; talia loquens, tam amplam vitæ viam ſignificans, vt poſſet quis ad libitum, vel Moſaicam legem ſeruare, vel Chriſti fidem colere, vel in Paganiſmo viuere: dummodo tantùm Idola non colerent, quamlibet ſeruare legem licere. Quid ergo mirum ſi homines tantam libertatem animi, tantam carnis licentiam, ſibi propoſitam à Mahometo ſentientes, vt liceret quoque, non ſolùm ex pluribus vxoribus, verùmetiam ex vniuerſis proprijs ancillis carnis delectamenta ſumere: & ex alia parte, niſi tantam appetitus licentiam, & libertatem carnis aſſumerent, mortem timentes quam Mahomet comminabatur, & per ſuos exercitus erat illaturus: Quid mirum, inquam ſi tanto malo deterriti, tanta delectationum fruge illecti, Mahometi legem plurimi ſuſceperint?

Nec verò, in hoc, euacuat Mahometi crimen excuſatio quam affers, dicens: licere, vi armorum Infideles ad fidem compellere: quia Mahometus nõ compulit ad fidem, veramq; Dei Religionem, vt magis ex infra dicendis patebit. Nec li-

cet paſſim, infidelibus quamcumque legem, armis cogentibus, ſeruandam præſcribere, niſi tantùm legem naturæ, ad quam tenentur naturali lumine ſuadente. Ad ſupernaturalia autem credenda, non iure compelluntur, vt patet ex Euangelio, in quo Chriſtus non dixit: Pugnate & cogite ad myſteria Chriſtianæ fidei credenda, ſed; Ite prædicate, &c. Aſſenſum autem libero audientium arbitrio reliquit. Eſt autem ratio peculiaris pro lege naturæ, quia conueniens eſt, vt naturalem vitam amittat, qui naturalem legem ſeruare detrectat. Exempla autem allata de Ioſue, & de Conſtantino, ad rem non faciunt; quia non pugnauerunt ad hoſtes compellendos ad fidem: ſed Conſtantinus contra Maxentium, cùm ſibi non debita vſurparet, Ioſue verò, tamquam Dei inſtrumentum ad puniendos Chananæorum populos, aſsumptus fuit, vt ex Scripturis patet, in quibus præcipiuntur Chananæi propter eorum peccata delendi, non autem ad fidem trahendi. De quo præter libros Moyſis & Ioſue, habetur ſermo Sap. 12. à num.2. & infra. Præterea ſi ex ipſo Mahomet cap. 1. & 4. Alchorani, Iudæi Chriſtiani & Pagani tam rectam legem profitebantur, vt eos quælibet lex benè ſeruata ad Paradiſi gloriam perduceret; qua nam ratione præcepit idem Mahomet, vt eos Mahometani ad Mahometicam legem vi etiam armorum cogerent? Verùm hoc aliàs, hic autem potiùs incepta proſequamur.

Traxit ergo complures Mahomed, concupiſcentijs carnalibus alliciendo, & armis terrendo: non autem diuina cooperante virtute. Nec enim Diuina virtus carnis concupiſcentias fouet, ſed illas potiùs infrænat; & mirum non eſt, legem carnis concupiſcentijs fauorabilem vigere in hominibus, qui carnis voluptati propria voluntate ſubijciuntur.

Nec gloriari poſſunt Mahometi ſectatores, Mahometicam legem per longa terrarum ſpatia eſſe diffuſam; quia nec mirum eſſet, etiam ſi impleuiſſet Orbem: cùm enim ſenſus, & cogitatio humani cordis, vt inquit Scriptura Geneſ. 8. 21. prona ſint ad malum omni tempore, & ab adoleſcentia ſua; ſi lex concupiſcentias & delectamenta permittens & carni fauorabilis in hominibus vigeat, mirabile non eſt; ſicut non eſt mirabile, carnalibus illecebris homines inquinari.

Hoc autem patet, & patuit in Idololatria, quæ tot ſæculis

obti-

obtinuit Orbem: nec tamen dici poteſt, quòd diuina virtus totum mundum ad Idololatriam traxerit; nec quòd diuina gratia Idololatriam in Orbe ſeruauerit. Cur ergo per tot ſæcula viguit, ita vt diuina omnipotentia opus fuerit ad illam de mundo extirpandam? Cur tanto tempore, per tam ampla ſæcula, per tam longa terrarum ſpatia, mundum poſſedit? In promptu cauſa eſt: quia Idololatria carnis voluptatibus, carnalibus concupiſcentijs, non modò fræna relaxat; ſed & ſtimulis etiam cogit. Hinc Iouis ſtupra, adulteria, raptus: inde Veneris amores, Cupidi laſciuiæ, Priapi turpitudines, Floræ proſtibula, Bacchi crapulæ. Quis ergo durationem tantorum facinorum diuina firmante virtute dixerit protelatam? Vnde patet falſum eſſe illud, quod Mahometani dicunt, vt aſſeris in tuo libro, omnem ſectam quæ durat pluſquam triginta annos, eo ipſo habendam eſſe diuinam: Idololatria enim non ſolùm triginta, & centum; verumetiam & mille, & pluſquam duo millia durauit annos: & tamen illam, conſtat, non fuiſſe diuinam. Nec aliquando illud dixit Apoſtolus Paulus, vel alius Sanctus Doctor: nec in ſacra Scriptura verba illa reperiuntur, vt aſſerere videris in tuo libro: Apoſtolus autem ad Timotheum ſecundò ſcribens cap. 3. ſic inquit: *Ita & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem: ſed vltra non proficient*. Quæ verba non faciunt ſenſum illum, quem obijcis. Et in Actibus Apoſtolorum cap. 5. hæc habentur: *Si eſt ex hominibus conſilium hoc aut opus, diſſoluetur. Si verò ex Deo, non poteritis diſſoluere illud*. Hæc verba vera ſunt, quia tandem omne humanum conſilium contra Deum, diſſoluetur, iuxta illud Salomonis Prouerb. cap. 21. num. 30. *Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum*. Et ita omnia adinuenta contra Deum ad nihilum rediguntur, vt patet in Idololatria, quæ iam diſſoluta eſt; ſed non ante triginta annos, & talis menſura temporis nuſquam reperitur præfixa in Scripturis. Propterea non poteſt argui rectitudo legis, ex eo quòd perdurauerit per multum temporis, etiam ſi 1000. & 2000. annos, vt patet in Idololatria. Verum eſt, quòd omnia tandem diſſoluentur: tamen, propter hominum peccata, diu mala & ſectæ impiæ in Orbe vigere permittuntur. Vnde, ſi Mahometi lex tanto tempore durauit, hoc propter hominum peccata

Legis rectitudo non probatur ex eius duratione.

à Deo

à Deo permiſſum eſt. Si vrbes plurimas & regna occupauit, quæ priùs impleuerat Chriſti fides, hoc propter ciuium ingratitudinem fuit permiſſum, qui cùm Chriſti fidem agnoſcerent, non prout opus erat honeſtis moribus colebant; & propterea Deus, nolentibus mores debitos adiungere fidei, ipſam quoque fidem abſtulit, tamquam indignis: ſic enim in Euangelio contra iniquos comminatus eſt Chriſtus, cùm nollent ſecundùm fidem honeſtos colere mores, Lucæ 12. à num. 45. ſeu ſect. 49. *Quòd ſi dixerit ſeruus ille in corde ſuo: moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere ſeruos & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari: veniet Dominus ſerui illius in die qua non ſperat, & hora qua neſcit, & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet.* Ecce quomodo propter peccata comminatur auferre donum fidei: Idem comminatur in Apocalypſi Ioannis cap. 2. num. 5. vbi Epheſo, propter defectum à prima charitate, niſi per pœnitentiam ad illam reuerteretur, dicit, ſe moturum candelabrum eius de loco ſuo, quod quidam Patres & Expoſitores intelligunt de fide: ſicut enim per candelabrum in tenebris lumen aſpicimus, ita etiam per fidem in hac vita degentes diuina contemplamur. Dicit ergo: *Memor eſto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac; ſin autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris.* Quaſi dicat: Auferam à te fidem, niſi feceris opera fidei. Sed & in Veteri Teſtamento, Leuit. cap. 26. beneficio Diuinæ legis fruentibus, eamque dignis moribus non colentibus, per Moyſen Deus comminatur, non ſolùm ipſam legem & fidem ablaturum; verumetiam & regni gloria, bonorum poſſeſſione, atque ipſa ciuilis conſuetudinis ac libertatis facultate, ſe eos ſpoliaturum; inſuper omnibus malis cumulaturum: & ſuummet populum, ea de cauſa, gentibus barbarorum ſubiugaturum: vt, qui Deo obedire recuſarent, duris exactoribus ſubijcerentur. Non ergo mirum ſi infidelibus Principibus, & Mahometanis, vltrix ira Dei plurimas Chriſtianorum delinquentium vrbes ac regiones ſubdiderit. Quod autem propter iniquitatem & nequitiam Turcis Chriſtianos Deus ſubijceret, exitus probauit: nam cùm Græci, Græcorumque vrbs præcipua, Conſtantinopolis, Chriſti in terris Vicario obedire recuſaret, & peruicaci mente contra Spiritum ſanctum peccaret, nolens illum à Patre ſimul & Filio

Nolentibus fidei mores copulare, ipſa quoque fides in pœnam aufertur.

lio

lio procedentem agnoſcere ; propterea ipſa die celebritatis Spiritus ſancti capta eſt Conſtantinopolis, eiuſque Imperium in Turcas tranſlatum.

Duplici ergo de cauſa viget in Orbe Mahometi lex, ſicut antea tanto tēpore viguit Idololatria: nempe propter Dei iram, peccatorum iniurias vlciſcentem: Et propter hominum propenſionem ad animi libertatem, vitiorum licētiam, & voluptatem carnis. Non ergò mirum ſi inter carnales ſit propagata carnalis lex: nec mirum, ſi in peruerſis permittatur, per iniquam legem, Diabolus regnum obtinere: vt fiat illud quod vlt. c. Apocalypſis Ioannes Apoſtolus prophetauit, dicens. *Qui nocet, noceat adhuc; & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: & qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc: & ſanctus, ſanctificetur adhuc.* Quia ſcilicet ſanctus & iuſtus per bona opera maiorem ſemper gratiam promeretur, & peccator per noua delicta in dies magis ac magis demeretur: ità vt niſi ſe pœniteat, fidem quoque in hoc ſæculo perdat, & gloriam in futuro. Non eſt ergo mirum, Mahometi ſectam adhuc perdurare. Quantum ſit duratura, Deus nouit: hoc autem certum eſt, eſſe aliquando diſſoluendā, iuxtà illud ex c. 5. Actorum ſupra relatum. *Si ex hominibus hoc opus eſt, diſſoluetur.* Quia verò tempus in Scripturis non præfigitur, propterea temporis duratiōnē ignoramus: ſicut etiam, ex eo quòd tanto tempore durauerit, eius rectitudo non probatur.

Mirum illud eſt: quod ſtatim patet eſſe diuinum: legem Chriſti, carnis voluptates prohibentem, & aſperum crucis iter arripiendum præcipientem, in hominibus, quorum natura ad ſenſuum blandimenta propendit, tandiù viguiſſe; & Orbem, vniuerſa ſui potentia obſiſtentem, ſubiugaſſe.

CAPVT

CAPVT III.

Teſtimonium Domini fidele.

SECTIO I.

Quòd Lex Diuina in promiſſione fidelis ſit.

Diuinæ Legis fidelitas.

SEquitur ſanctus Dauid,aliam conditionem diuinæ legis indicans. *Teſtimonium Domini fidele.* Quæ conditio, quamuis non videatur eſſe diſtincta ab illa, quam inferiùs ſubdit, dicens: *Iudicia Domini vera*: nihilominus fidelitas connotat aliquid ſupra veritatem, nempe promiſſionem: Quia veritas ſimpliciter non refertur ad promiſſum, ſicut fidelitas: is enim veridicus dicitur qui vera aſſerit, quamuis aliquid non promittat. Fidelis autem propriè non dicitur, niſi promiſſa perficiens. Debet igitur lex, ad hoc vt diuina dici poſſit, eſſe fidelis.

Hanc diuinæ legis conditionem ipſe quoque Mahomet in Alchorano fatetur سوره المؤمن *De Fideli* verſus finem pag. mihi 452.

إِنَّ وَعْدَ اللهِ حَقٌّ ۞

Ideſt. *Certè quòd promiſſio Dei vera eſt.* Et bis repetitur eodem cap.

فَاصْبِرْ إِنَّ وَعْدَ اللهِ حَقٌّ ۞

Ideſt. *Subſtine, quoniam promiſſio Dei vera eſt.* Vnde grauiſſimum eſſet blaſphemiæ crimen,Deum infidelem dicere,aut exiſtimare:& hoc idē etiam Alchoranus pluriès repetit:tāta eſt rei euidentia; præſertim c.*De Iona,* ſub initium,& c. *De Muro inter Paradiſum & Gehennam*, Arabice سورة الاعراف aliquanto poſt initium, pag. mihi 153. & 202. Vnde Dei teſtimonium fidele

fidele omnino eſt: & ſolum ſufficit, vt quodcumque credendum ſit. ſic Alchoranus ipſe d. c. *De Iona* pag. mihi 204. & c. *De mulieribus*, non longè à fine, pag. mihi 104. Et alibi ſæpé repetit.

كفى بالله شهيدا ۝

Ideſt. *Sufficit Dei teſtificatio*.

Quòd autem fidelis lex Moyſi fuerit, fidelis etiam ſit lex Euangelica: patet, diſcurrendo per ſingula quæ pollicentur.

SECTIO II.

De Moſaicæ Legis, Prophetarum, & Euangelij fidelitate.

PRimum autem & præcipuum legis Moyſi promiſſum fuit Meſſiæ aduentus. Ab initio enim Orbis, & in principio Scripturæ, Geneſis 3. incipit talis fieri promiſſio n. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum* Quem locum omnes de Meſſia intelligunt, qui ex ſola fœmina ſine viri conſortio natus eſt homo: & propterea mentio fit tantùm de ſemine mulieris: aliàs enim non benè de ſolo mulieris ſemine facta fuiſſet mentio, neglecto ſemine viri, quod præcipuum eſt in generatione: & propterea ſerpentini illius capitis contritionem mulieri aſcribit, dicens: *Ipſa conteret caput tuum*. Quia ſcilicet mediante ſuo ſemine illud eſſet contritura. Item promittitur Meſſias, Geneſis 18. Vbi ex ſemine Abrahæ oriturus dicitur. Item Geneſis 22. & 26. promittitur Iſaaco. Deinde c. 28. eadem promiſſio fit Iacobo, & c. 49. idem prophetat Iacob, addens, ex Tribu Iuda ipſum Meſſiam fore venturum. Inſuper & tunc venturum, quando ſceptrum primò eſſet à Iuda ablatum. Deinde in Exodo etiam Meſſias promittitur & præfiguratur *Moſaicæ Legis fidelitas.*

eius, Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur eius Imperium. Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit: vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iuſtitia, amodo & vſque in ſempiternum. Eius prædicationem cap. 61. *Spiritus Domini ſuper me, eo quòd vnxerit Dominus me: ad annuntiandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem: vt prædicarem annum placabilem Domino, &c.* Miracula quæ erat perpetraturus quando aduenisset cap. 35. *Deus ipſe veniet, & ſaluabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet ſicut ceruus claudus; & aperta erit lingua mutorum.* Eius Diſcipulos cap. 8 à num. 13. & infra: *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in ſignum, & in portentum Iſrael à Domino exercituum, qui habitat in monte Sion.* Et *Liga teſtamentum, ſigna legem in diſcipulis meis.*

Scandalum filiorum Iſrael de ipſo Chriſto eodem cap. 8. *Dominus exercituum ipſum ſanctificate: Et erit vobis in ſanctificationem. In lapidem autem offenſionis, & in petram ſcandali duabus domibus Iſrael, in laqueum & in ruinam habitantibus Hieruſalem. Et offendent ex eis plurimi.*

Chriſti paſſionem & mortem in redemptionem noſtram cap. 53. *Non eſt ſpecies ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum: deſpectum, & nouiſſimum virorum virum dolorum, &c. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit: & nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuã declinauit: & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum. Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum. Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.*

Id quod per mortem & paſſionem ex Dei ordinatione adepturus erat, eodem cap. 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & ſaturabitur: In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit. Ideo diſpertiam ei pluri-*

mos : & fortium diuidet ſpolia , pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam , & cum ſceleratis reputatus eſt : & ipſe peccata multorum tulit , & pro tranſgreſſoribus rogauit.

Omnia Iſaiæ loca adnotare oporteret, ſi ea quæ de Chriſto prænunciat, eſſent adnotanda; ferè enim nihil tacuit, ita vt potius hiſtoriam videatur narrare de præteritis, quàm prophetiam prænuntiare de futuris. Sic enim omnia ad vnguem completa eſſe, patet in Euangelijs, ſicuti prænuntiata per Iſaiam, & promiſſa in Veteri Moyſis lege.

Ieremias quoque plurima de Chriſto prænuntiauit. Incarnationem cap. 31. *Quia creauit Dominus nouum ſuper terram, fæmina circumdabit virum.* Herodis feritatem in infantium trucidatione, ibidem : *Vox in excelſo audita eſt lamentationis, luctus, & fletus : Rachel plorantis filios ſuos, & nolentis conſolari ſuper eis, quia non ſunt. Hæc dicit Dominus : Quieſcat vox tua à ploratu, & vox tua à lachrymis, quia eſt merces operi tuo, &c*

Propheta etiam Baruch prænuntiauit, Deum in terris inter homines conuerſaturum, capit. 3. *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius aduerſus eum. Hic adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto tuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.*

Ezechiel Propheta de Virginitate Matris Chriſti prophetauit cap. 44. *Et conuertit me ad viam portæ ſanctuarij exterioris, quæ reſpiciebat ad Orientem : & erat clauſa. Et dixit Dominus ad me : Porta hæc clauſa erit : non aperietur, & vir non tranſibit per eam : quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam, eritque clauſa Principi.*

Plura etiam prophetauit: & præcipuè initio ſuæ prophetiæ, per ſymbolicam viſionem, quatuor Euangeliſtarum ſtylum, ſub ſpecie quatuor facierum figurauit, dicens : *In medio eius ſimilitudo quatuor animalium, &c. Similitudo autem vultus eorum facies hominis, & facies leonis, à dextris ipſorum quatuor: facies autem bouis à ſiniſtris ipſorum quatuor, & facies aquilæ deſuper ipſorum quatuor.* Quibus expreſſit Matthæum per faciem homi-

hominis: quia incipit à Chriſti genealogia quatenus homo eſt. Marcum per faciem leonis: quia incipit Euangelium à prędicatione Ioan. Baptiſtæ, qui ad inſtar leonis in deſerto populos ad ſe accurrentes terrens pœnarum comminatione, quaſi rugire videbatur. Lucam per faciem bouis: quia à Zachariæ ſacerdotio dat initium Euangelio; & ſacerdotium boue ſignificatur. Ioannem verò à Chriſti Diuinitate incipientem, quaſi ſuper æthera volantem, aquilam dixit, & propter eius dignitatem, deſuper ipſorum quatuor.

Daniel quoque de Chriſto, præcipuè prænunciauit tempus, quo Chriſtus erat venturus, quo occidendus, quo vrbs Hieruſalem funditùs deſtruenda, & populus Iſrael à Deo receſſurus, cap. 9. à num. 24. *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctam tuam, vt conſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & prophetia, & vngatur Sanctus ſanctorum. Scito ergo, & animaduerte: ab exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Hieruſalem, vſque ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt: & rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum. Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus: & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt. Et ciuitatem, & ſanctuarium diſſipabit populus cum Duce venturo: & finis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio.*

Oſeas quoque etiam de Chriſto prophetauit, præcipuè deſcenſum animæ eius ad Inferos, captiuarumque animarum liberationem, illarum ſcilicet, quę in gratia deceſſerant, & in Limbo detinebantur, cap. 13. ſic dicens. *De manu mortis liberabo eos: de morte redimam eos: ero mors tua ò mors, morſus tuus ero inferne.*

De Iudicio à Chriſto perficiendo, ibidem. *Conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis. Quia ipſe inter fratres diuidet.*

Ioel Propheta, præſertim de Solis obſcuratione, tempore mortis Chriſti, ſic inquit cap. 2. *Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem.* Item Miſſionem Spiritus ſancti ſuper Apoſtolos cæteroſque Chriſti diſcipulos, ibidem prænuntiauit. *Et erit poſt hæc, Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem, & prophe-*

& prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ. ſed & ſuper ſeruos meos & ancillas in diebus illis effundam ſpiritum meum.

Amos quoque Propheta de Chriſti Regno ſic inquit cap. 9. *In die illa ſuſcitabo Tebernaculum Dauid, quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum eius &c. inſtaurabo.*

Abdias. *In monte Sion erit ſaluatio; & erit ſanctus.* Nam in monte Sion cæpit per Apoſtolos Euangelij prędicatio, ſicut etiã pręnunciauerat Iſaias cap. 2. dicens: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.*

Ionas etiam, Chriſti ſepulturam prænuntiauit, verbis & factis, tribus diebus in ventre cæti ſepultus.

Michęas, de loco in quo oriturus erat, & de eius Diuinitate æternaque generatione, cap. 5. ſic inquit. *Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui ſit Dominator in Iſrael, & egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis. Propter hoc dabit eos vſque ad tempus, in quo parturiens pariet.*

Nahum, de Idolorum diſperditione per Euangelicam Chriſti legem cap. 1. *De domo Dei tui interficiam ſculptile & conflatile. Ecce ſuper montes pedes Euangelizantis, & annunciantis pacem.* Hoc idem, de euangelizante, prophetauerat Iſaias cap 52.

Habacuc etiã prophetico ſpiritu Saluatorem præuidens ſic in ſpe loquebatur, circa ſuæ Prophetiæ finem. *Ego autem in Domino gaudebo: & exultabo in Deo Ieſu meo.*

Sophonias item, Chriſti reſurrectionem ſic loquitur, cap. 3. longè antea eam preuidens. *Quapropter expecta me, dicit Dominus, in die reſurrectionis meæ in futurum.* Et de diſcipulorum Chriſti charitate & concordia, ibidem mox poſt prægallegata. *Quia tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & ſeruiant ei humero vno.* Et inferiùs, de redemptione, Redemptore, redemptiſque pariter. *Lauda filia Sion: iubila Iſrael: lætare & exulta in omni corde filia Hieruſalem. Abſtulit Dominus iudicium tuum, auertit inimicos tuos: Rex Iſrael Dominus in medio tui, non timebis malum vltra. In die illa dicetur Hie uſalem. Noli timere: Sion non diſſoluantur manus tuæ. Dominus Deus tuus in medio tui fortis ipſe ſaluabit.*

Aggæus quoque Chriſti aduentum cap. 2. prænuntiauit, dicens:

cens: *Hæc dicit Dominus exercituum. Adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cælum, & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes: & veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria. dicit Dominus exercituum.*

Zacharias Propheta, cap. 3. præſertim, ſic de Chriſto prædixit: *Ecce ego adducam ſeruum meum Orientem.* & cap. 6. *Ecce vir Oriens nomen eius.* & cap. 9. *Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Hieruſalem: ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus & ſaluator: ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ.* Hic eſt locus ille, quem tu quoque de Chriſto in tuo libro aſſeris intelligendum.

Et de Chriſti vulneribus cap. 13. idem Zacharias ſic inquit: *Et dicetur ei: Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? & dicet: His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me.*

Et de diſperſione Diſcipulorum tempore mortis eius, ibidem: *Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: Percute paſtorem, & diſpergentur oues.*

Et de venditione Iudæ, & pretio Iudæorum, cap. 11. *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos.*

Et de Spiritus ſancti effuſione, & ſimiliter de Chriſti crucifixione cap. 12. *Effundam ſuper domum Dauid, & ſuper habitatores Hieruſalem Spiritum gratiæ & precum, & aſpicient ad me quem confixerunt, & plangent eum planctu quaſi ſuper vnigenitum, & dolebunt ſuper eum, vt doleri ſolet in morte primogeniti.*

Et de redemptione ſeu liberatione Sanctorum Patrum de Limbo, cap. 9 num. 11. *Tu quoque in ſanguine Teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua.*

De ſacrificio Noui Teſtamenti, à Chriſto inſtituendo, eòdem cap. 9. in fin. *Quid enim bonum eius eſt, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?*

Malachias quoque prophetat cap. 1. de ſacrificio à Chriſto inſtituendo pro Lege Euangelica, reiectis Legis Veteris ſacrificijs: *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim Solis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.*

da. Item de præcurſore Chriſti Ioanne Baptiſta, ſic inquit cap. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam*. Deinde ſubdit de præſẽtatione Chriſti in Templo, ſic: *Et ſtatim veniet ad Templum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis*. De Natiuitate Chriſti cap. 4. ſic inquit: *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ*.

Cæteri quoque Prophetæ multa etiam prophetauerunt de Chriſto: Et relati plura etiam, quæ longum eſſet enarrare per ſingula, & ſuperfluum eſſet; cùm facilè ex ipſorum inſpectione conſtare poſſit.

Omnes ſupra notatæ diuinæ legis & ſanctorũ promiſſiones, conſtat, ita fuiſſe impletas in Nouo Teſtamento, quemadmodũ promiſſas in Veteri: & per ſingula inſpiciendo, patebit ſola Euangeliorum lectione. Vnde opus non eſt hic, in eorum explicatione & applicatione, ampliùs immorari.

Fidelis ergo diuina lex reperitur in Veteri Teſtamento, cùm omnia in eo promiſſa completa eſſe conſtent in Nouo.

Euangelicæ Legis fidelitas

Promiſſiones Noui Teſtamenti adhuc plurimæ non ſunt impletæ, quia nondum earum tempus aduenit: vt Iudicij futuri vltima die ſignorum in ſole, luna, & ſtellis; & cæterorum quæ in conſumatione Orbis accident: gloria Beatorum & iuſtorum, Impiorum tormenta & pœnæ, &c.

Verùm, quod pertinet ad gloriam, quamuis nondum in hac vita degentibus apparuerit, nihilominus nemo inficiatur, nec Alchoranus ipſe, qui, vt ſupra retulimus, cap. primo inquit, & cap. 4. repetit: Chriſti fidem colentes, eamque ſeruantes debito cultu, Paradiſi gloriam adepturos. Vnde fidelis etiam in hac parte Euangelica lex apud omnes habetur.

Promiſſiones verò, quarum tempus aduenit, omnes impletæ ſunt. Promiſit prædixitque Chriſtus, ſe interficiendum, Crucifigendum, illudendum, Matth. 20. Marci 10. & Lucæ 18. Et ſicut promittitur & prædicitur, ita etiam in ipſis Euangelijs conſtat fuiſſe impletum. Prædixit Petro, ſe ab eo fore negandum, & ita conſtat factum fuiſſe. Prædixit & promiſit, ſe tertia die reſurrecturum, ita reſurrexit. Promiſit ſe ſpiritum ſanctum poſt Aſcenſionẽ in Cælum ſuper diſcipulos miſſurum, & ita conſtat in Actibus Apoſtolorum cap. 2. completum eſſe, deci-

decima die ab eius Aſcenſione. Et quia facilè in Nouo Teſtamento inſpici poſſunt promiſſa, & completa; propterea ſingula, vitãtes plura, ſilemus.

SECTIO III.

De Mahometicæ legis infidelitate.

Mahometicæ legis infidelitas.

ALchoranus autem, & libri Mahometicæ legis, ſicut & ipſe Mahomet, promittunt quædam: At completa non ſunt.

Primò quidem Mahomet, tertia die ad inſtar Chriſti, ſe dixit reſurrecturum: at non adhuc reſurrexit poſt nongentos annos.

Beatitudo à Mahometo etiam brutis promiſſa.

Promiſit Paradiſi gloriam Mahometanis. Promiſit eamdem gloriam etiam iumentis & brutis: at hoc non eſt complendum, nec poſſe compleri; patet ex ipſamet promiſſione; quia bruta animalia non ſunt Diuinæ gloriæ nec beatitudinis capacia, cùm non ſint ratione prædita. Vnde Ariſtotel. 10. Ethic. cap. 8. *Quare*, inquit, *Dei operatio cùm beatitudine excellat, contemplatiua erit: & ex humanis ea erit feliciſſima, quæ huic maximè eſt cognata. Argumento illud eſt, quòd cætera animalia, quæ tali operatione penitus carent, expertia felicitatis quoque ſunt. Deo enim beata tota vita eſt; hominibus autem eatenus, quatenus ſimilitudo quædam eiuſmodi operationis in ipſis ineſt. At cæterorum animalium nullum eſt felix; propterea, quòd contemplationis particeps nullo modo eſt. Quouſque igitur protenditur contemplatio, eouſque etiam felicitas ſeſe extendit.* Sic Ariſtot. & Auguſt. 12. de Ciuit. Dei cap. 1. & omnes eruditi pariter. Ergo falſa eſt pollicitatio à Mahometo brutis facta de ipſorum felicitate & gloria.

Nec Mahometani Paradiſi gloriam aſſequi poſſunt, quia illam aſſequuntur Chriſtiani, qui iuſti ſunt; nec dici poteſt vtroſque illam gloriam eſſe adepturos, prout etiam falsò dicit

Beatitudo falſo promiſſa à Mahometo, Chriſtianis pariter Iudæis Mahomettanis atque Paganis.

Alchoranus cap. 1. & 4. nempe Chriſtianos, Mahometanos, inſuper & Iudæos Paradiſi gloriam aſſecuturos. Quod non poſſe dici, & nulla ratione conſtare poſſe euidentiſſimè patet; Nam certum eſt, ſine fide vera non poſſe hominem placere Deo, vt inquit Apoſtolus ad Hebræos ſcribens cap. 11. num. 6. *Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo*. Et ipſe Alchoranus ſæpiſſimè teſtatur, non poſſe infidelem, Deo non credentem, & his quæ à Deo dicuntur fidem non adhibentem, ſaluari. Idque à capite 1. fateri incipit pag. mihi 13. vbi ſic inquit,

فَلَعْنَةُ اللّٰهِ عَلَى الْكَافِرِينَ ۞

Ideſt: *Maledictio Dei ſuper infideles*. Et paulò poſt eodem capite, pag. mihi 15.

فَإِنَّ اللّٰهَ عَدُوٌّ لِلْكَافِرِينَ ۞

Ideſt: *Vtique Deus eſt inimicus infidelibus*. Et ſic paſſim ferè per omnia capita. Et eodem capite 1. pag. mihi 18. explicat qui ſint fideles, & qui dicendi ſint infideles, ſic dicens:

الَّذِينَ آتَيْنَاهُمُ الْكِتَابَ يَتْلُونَهُ حَقَّ تِلَاوَتِهِ أُولَٰئِكَ يُؤْمِنُونَ

بِهِ وَمَن يَكْفُرْ بِهِ فَأُولَٰئِكَ هُمُ الْخَاسِرُونَ ۞

Ideſt: *Illi, quibus dedimus ſcripturas, & meditantur ſeu intelligunt in vero ſenſu ſuo, illi credunt, ſeu fideles ſunt eius,* (ſcilicet Dei, de quo immediatè antea loquebatur) *qui autem non credit eis, illi peribunt, ſeu deficientes, ſeu infideles ſunt*.

Deus autē nonniſi vera proloquitur, nec falſa aliquando proferre poteſt; & ipſemet Alchoranus hoc idem paſſim fatetur; præſertim c. 2. *De Familia Amran*. cap. الزهر ſub initium, & cap. الشورى quod aliqui inſcribunt à primis eius verbis

caput

caput حم عسق. Ergo qui falſa credit non eſt fidelis, ſed infidelis. Fidelis enim is tantùm eſt, qui Deo credit, qui credit vera; nam falſa non ſunt Diuina eloquia. At infidelis, ſecundùm Alchoranum, & ſecundùm omnes, non poteſt ſaluari; ſed ſi in infidelitate deceſſerit, inferni pœnis ſubijcietur. Ergo nullo modo poteſt compleri illa Alchorani promiſſio, quòd Mahometani ſaluentur, Iudæi, & Chriſtiani.

Sequela probatur, quia Mahometani, Iudæi, & Chriſtiani, inuicem diſſentiunt in multis. Iudæi enim præcipuè dicunt, Meſſiam non veniſſe, & non eſſe Deum. Mahometani confitentur Meſſiam veniſſe, at non eſſe Deum. Chriſtiani verò confitentur, & veniſſe, & Deum eſſe. Ecce quomodo tres illorum propoſitiones ſibi inuicem mutua contradictione aduerſantur. Mahometanus contradicit Iudæo, in eo quod dicit, Chriſtum veniſſe: ille enim dicit, non veniſſe; quæ ſunt contradictoria: & in hoc contradicit Iudæus etiam Chriſtianis, qui dicunt, Chriſtum veniſſe. Ergo Iudæus contradictorium ſimul enuntiat Mahometano & Chriſtiano. Rurſus Mahometanus dicit, Chriſtum non eſſe Deum: & in hoc contradicit Chriſtiano, aſſerenti Chriſtum Deum. Ergo tres hi triplicem quamdam contradictionem ſibi inuicem aſtruunt. At contradictoria eſſe non poſſunt ſimul vera, ſed neceſſe eſt alterutrum eſſe falſum. Ergo ſi verum eſt, Chriſtum veniſſe, falſum eſt quod dicunt Iudæi, non veniſſe. Si verum eſt, Chriſtum eſſe Deum, falſum eſt quod putant Mahometani, non eſſe Deum. Et è contra. Ergo vna tantùm vera erit religio, vna fides: illa ſcilicet, quæ propoſitionem veram fatetur: reliquæ duæ, cùm enuntient illi contradictoria, conſtat eſſe falſas; non religiones, ſed ſuperſtitiones; ac proinde illarum ſectatores, non Paradiſi gloriam adepturos, ſed inferni tormentum paſſuros. Ergo illa Alchorani promiſſio nequit impleri. Vnde conſtat, eſſe falſam. Ergo lex illa non eſt fidelis, nec ergo Diuina: nam *Teſtimonium Domini*, inquit Propheta, *fidele*.

Ergo falſum eſt etiam illud aliud promiſſum, pluries in Alchorano repetitum, quòd Mahometani Paradiſi gloriam intrabunt, quia cùm Mahometani (vt mox probatum eſt) Al-

choranum falſa promittentem, tanquam Dei legem colant & credant; falſum credunt, cùm non ſit lex Diuina. Ergo falſum credentes, non ſunt fideles, ſed infideles; ac profectò tamquam infideles damnandi, non autem ſeruandi. Ergo illa promiſſio peculiaris de ipſorum ſalute, etiam falſa conuincitur eſſe, ſicut illa de ſalute omnium, tàm Iudæorum, quàm Mahometanorum, quàm Chriſtianorum: inſuper, & (quod ſuperiùs ſilui) etiam Paganorum. Non enim Alchoranus tres memoratos tantùm aſſerit ſaluandos, ſed inſuper ibidem addit quartum, ſcilicet Paganum. Igitur argumentum ſupra poſitum magis vrget: quia Pagani, de quibus ille intelligit, ſunt qui nec Iudaiſmum, nec Mahometaniſmum, nec Chriſti fidem colunt, ſed aliam quartam ſectam profitentur. Vnde ibi Alchoranus videtur in vniuerſum ſignificare, omnes cuiuſcumque ſectæ ſiue religionis, ſi illam ſeruent, à Deo in Paradiſi gloriam ſuſcipiendos. Quod quàm diſtat à fidelitate, quiſque fidelis agnoſcet.

Paradiſi gloria & beatitudo falsò à Mahomet in carnali copula collocata.

Quid ſi Paradiſi gloriam, quam Mahomet pollicetur, prædictis annectam? Sæpè in Alchorano repetit, incipiens 1. cap. & ferè per omnes, Mahometicæ ſectæ profeſſores fruituros virginibus ſeu puellis quibuſdam, non humanæ, ſed altioris naturæ, ſingulis tribuendas ſaltem ſingulas: potiones vini, & aquarum diuerſi generis: epulas, & veſtimenta, & ornamenta, gemmaſque pretioſas. Et cap. 2. poſt medium ſic inquit pag. 65.

وجنة عرضها السموات والأرض أعدت للمتقين

Scilicet, quod Paradiſus Mahometanis tantus erit, quanti ſunt cæli, & terra, & vniuerſus Orbis ſimul. Hoc quonam modo conſtare poſſit ex ſemetipſo patet: nam ſi Paradiſus eſt pars totius Orbis, à Deo creati, quonam modo pars æqualis ſuo toti dici poteſt? Certè partem minorem eſſe Mathematici demonſtrant: Alchoranus verò adinuenit partem quamdam ſuo toti æqualem: niſi forte ſignificet Paradiſum eſſe alium Orbem à Deo conditum.

Sileo Paradiſorum diſtinctionem in ſeptem: arborem illam maxi-

maximā in medio Paradiſi, quam nō ſolùm Alchoranus, ſed etiam liber Sonnat, deſcribunt tantæ molis, vt totum impleat Paradiſum, nomine طوبى alternantibus folijs ex auro, & argento, & in ſingulis hæc verba inſculpta;

لا إله الا الله ومحمد رسول الله

Ideſt. *Non eſt Deus niſi Deus, & Mahomet Apoſtolus Dei.*

Sileo fontem nomine ذنجبيل & alium nomine زنجبيل & alium nomine الكوثر quem circa finem Alchorani capite 7. à fine ipſius Alchorani, breuibus dicit, à Deo Mahometo peculiariter dono datum, & Gloſſæ in illud caput, & ipſe Mahomet in libro Sonna dicunt: huiuſmodi fontem الكوثر eſſe tantæ latitudinis, & longitudinis, vt vix 70000. dierum itinere perambulari poſſet, eiuſque aquas niue candidiores, & melle ſuauiores, ibique tot vaſa & cyathos, parata ad potandum, quot ſtellis emicat cælum.

Sileo elegantes pueros & adoleſcentes, non humanæ aut angelicæ, ſed alterius naturæ, in Paradiſo ad miniſtrandum paratos, & illarum virginum ſeu puellarum pulchritudinem, ita vt in libro Sonnat aſſerat Mahomet, vnam tantùm nocturno tempore in aere apparentem, ad inſtar Solis, totum Orbem colluſtraturam. Inſuper, & ſi ſemel tantùm in mare expueret, omnium aquarum ſalſedinem in mellis dulcedinem commutaturā. Hæc & plura ſilere neceſſe eſt propter eorum multitudinem, quæ plura occuparent folia: ſufficiat, ex pluribus hoc vnum ex libris Sonna hic apponere: De conuiuio à Deo in Paradiſo, qui dicitur جنة القدوس ideſt *Paradiſus ſancti*, Mahometanis parato.

Dicit ergo Mahomet in libris Sonnat: quod ipſe redemptione ſua vniuerſali, etiam Mahometanos illos, qui propter ſua delicta Inferni pœnis addicti fuerant, ab Inferno eripiet; & ſic com- *Fabuloſum Paradiſi cõuiuium à Mahometo effictum.*

combuſtos, & Inferni ignibus adhuc exardeſcentes, & deni-
gratos ad fontem ſuum illum, de quo ſupra nomine الكوثر
Alchautar, aſportabit: ibique eorum corpora ſtatim, lota, nigredinem illam in niueam albedinem mutabunt; deinde Mahomet eos in eorum conſortium introducet in Paradiſum, qui pœnas Inferni minimè meruerunt. Tunc, inquit, Deus Gabrieli Archangelo præcipiet, vt ad locum vbi Paradiſi claues aſſeruantur incedat, ſecumque illius Paradiſi claues aſportet. Gabriel, dicto obediens, claues ex ſuo loco aſportare tentans, inueniet Angelum, qui Dei præceptum audiens illicò manum in os immittens extrahet 70000. claues, ſingularum longitudine 7000. leucarum, ideſt, ducentorum decem millium paſſuum. At Gabriel propter ponderis grauitatem aſportare nequiens, Deo impotentiam ſuam enuntiabit: Deus verò inuoca, inquiet, Nomen meum, & Mahometi amici mei, & ita poteris claues leuare: Quo facto claues aſportabit Gabriel, Paradiſum illum nomine جنة القدوس ideſt *Paradiſum ſancti* aperiet, illucque introducti Mahometani menſam paratam inuenient ex adamante, longitudine 700000. dierum itinere, cum ſellis ex auro & argento, in circuitu menſæ, cum mappis & linteis ex ſerico & auro: in eaque menſa accumbent, & epulas Paradiſi comedent, & ex fontibus eius potabunt. In fine conuiuij adoleſcentes miniſtri veſtimenta, calceamenta, torques, & vniuerſa ornamenta ad illos afferentes, eos induent & ornabunt. Deinde in diſco citra ſingula ſingulis offerent, illudque ſinguli odorabunt, & tunc ex ipſis citris ſingulæ virgines, ſeu puellæ illæ pulcherrimæ, de quibus ſupra, illicò proſilientes, ſingulæ ſingulos Mahometanos cõplectentur, & per quinquaginta annorum ſpatium cum illis in carnalibus delectationibus ad libitum quocumque modo percipiendis morabuntur. Poſt quinquaginta annorum delectationem, Deus faciem ſuam offeret Mahometanis contemplandam, qui, vultus claritatem ſubſtinere non valentes, illicò ad terram cadent. Tunc Deus illos confortans eriget, & confortati Deum aſpicient. Poſt Diuini vultus aſpectum, ſinguli cum ſingulis illis puellis, vnuſquiſque in ſuum palatium perpetuò cum ſua puella carnalibus oblectamentis fruiturus, comeſturus, & bibiturus, intrabit.

Ta-

Talis Paradiſus, talis Gloria, talis fruitio, à Mahometo in Alchorano & Sonna promittuntur.

Pręterea aliud conuiuium in lib. كتاب الأنوار Ideſt *De floribus*, qui eſt vnus ex libris Sonna, pollicetur ſe facturum Mahometanis ipſe Mahomet, iuxta fontem ſibi dicatum, nomine Alchautar: vbi Mahomet ipſe ſingulos potabit Mahometanos, ita vt qui biberit non vlterius ſitiat, ibique explicat aquæ colorem, & dulcedinem, vrceos, & cyathos.

Ecce gloriam à Mahometo promiſſam, quæ ex ſemetipſa ſe prodit, & propterea non eſſet aliquid addendum, cùm ſola narratio ſufficiat. Nihilominus non poſſum non vehementer mirari gloriæ defectum, vt cùm viris & maſculis tam bene prouiſum ſit, vt habeant ſinguli ſingulas puellas, non fiat mentio de fæminarum gloria, vt ipſæ quoque fruerentur adoleſcentulis. Quid ergo mœroris, & quantum zelotypiæ ſtimulis agitabuntur fœminæ, cùm ſuos viros ab illis puellis conſiderabunt amplexatos, ſeque ſine viris & delectamento neglectas? Præſertim mulieres illæ quæ in hac vita exarſerant in viros ſuos amore.

Sed gloriam propoſitam eſſe impoſturam hominis aut Diaboli, & non Dei promiſſionem, patet ſimili viro cordato & erudito, qualem nos habemus collocutorem. Nouit ſcientia & prudentia tua, Ahmed nobiliſſime, beatitudinem hominis, ſicut & cuiuſque rei finem, in optima eius operatione conſiſtere: ſic omnes philoſophi & ſapientes conueniunt, Plato, Ariſtoteles, & reliqui, imò & Auerroes, & Auicenna, qui etiam Mahometani fuerunt: Eſt enim beatitudo (prout inquit Philoſophus 10. Ethicorum capite octauo, & primo Ethicor. cap. 8. 13. in princ. & per omnia eiuſd. libri cap. & alibi repetit) perfectiſſimum bonum: & cùm ſit perfectiſſimum non poteſt in impefectiori operatione conſiſtere, ſed prout Ariſt. ipſe 1. Eth. c. 7. t. 5. *Felicitas eſt operatio ſecũdum virtutem perfectam, eſt perfectiſſima operatio*. Duplex autem operatio poteſt conſiderari in homine, alia ſpiritualis, corporalis altera. Corporali quidẽ homo aſſimilatur beſtijs & brutis: ſpirituali verò aſſimilatur Angelis, & Deo. Vndè palàm eſt, perfectiorem eam eſſe operationem, per quam Deo & Angelis aſſimilamur, quàm illam

qua

qua aſſimilamur brutis. Ita ferè diſcurrit ipſe Ariſtoteles primo Ethic. cap.13.quod vltimum eſt,10.Ethic.à cap. 6. & infrà cap.7. & 8. Ergo beatitudo non poteſt in corporea operatione conſiſtere, ſed omnino illam conſiſtere, exiſtimandum eſt, vt ibi Ariſt. concludit, in ſpirituali, qua Deo aſſimilamur: Hanc concluſionem, præter Ariſtotelem in allegatis locis, pluribus confirmat, non (inquam) aliųs quilibet eruditus & ſapiens Chriſtianus, aut Iudæus, vel Paganus, & antiquus Philoſophus; verùm etiam & ipſe Auicenna inſignis Mahometanus lib. 2. Metaphiſices ſect.

في احوال الانفس الانسانية ۞

Ideſt: *De diſpoſitionibus animarum humanarum*. Vbi latè proſequitur & probat, longè digniorem eſſe ſpiritualem delectationem, quàm carnalem, ita vt non detur proportio. Vnde ex Auicenna, non poteſt beatitudo cæleſtis patriæ in cibis & potibus, & carnali copula, aut alia carnali delectatione, conſiſtere: ſed, prout ipſe Auicenna ibidem loquitur, in adhæſione ad Primam Veritatem. Carnales autem delectationes, non ſolùm in futura vita, ſed etiam in præſenti, à ſanctis viris deſpici, ipſoſque potiùs dura & aſpera ſenſibus præeligere, quàm dulcia & mollia. Sic Auicenna ibi: & Ariſtot. 10. Ethicorum. *Maxima delectatio eſt, quæ eſt ſecundùm operationem ſapientiæ*. Et 7. Ethicorum: *Delectationes corporales corrumpunt exiſtimationem prudentiæ*. Et eodem lib. 7. cap. 11. De Venereis præcipuè illud aſſerit, ſic dicens: *Voluptates etiam prudentiæ ſunt impedimento; atque eò magis, quò quis magis oblectatur, vt in venereorum voluptate contingit. in qua conſtitutus nemo intelligere quidpiam poteſt*. Ergo quonam modo in illis delectationibus collocari poteſt beatitudo, quæ honeſtè & laudabiliter à ſanctis viris & ab eruditis etiam deſpiciuntur. Immo & ipſe Alchoranus nonnè pluries repetit, ſe à delectationibus & carnalibus concupiſcentijs abſtinentes eſſe cõmendabiliores? ita cap. cui titulus eſt سورة المومنون ideſt, c. *De credentibus*, in principio, ſic inquiens:

قَدْ أَفْلَحَ الْمُؤْمِنُونَ الَّذِينَ هُمْ فِي صَلَوتِهِمْ خَاشِعُونَ وَالَّذِينَ
هُمْ عَنِ اللَّغْوِ مُعْرِضُونَ وَالَّذِينَ هُمْ لِلزَّكَوةِ فَاعِلُونَ وَالَّذِينَ
هُمْ لِفُرُوجِهِمْ حَافِظُونَ ۞

Idest: *Iam felices ſeu beati ſunt fideles, qui in oratione ſua humiles & feruentes ſunt: & qui à ludo recedunt: & qui eleemoſynas faciant: & qui ſexum ſuum cuſtodiunt ſeu caſtè viuunt.* Et poſt pauca ſubiungit:

أُولَئِكَ هُمُ الْوَارِثُونَ الَّذِينَ يَرِثُونَ الْفِرْدَوْسَ هُمْ فِيهَا خَالِدُونَ ۞

Idest: *Iſti erunt poſſeſſores ſeu hæreditantes, qui poſſidebunt Paradiſum: ipſi in eo perpetuò manebunt.* Ita etiam capite الاحزاب circa medium. Et cap. النازعات ſic ait:

فَأَمَّا مَنْ طَغَى وَآثَرَ الْحَيَاةَ الدُّنْيَا فَإِنَّ الْجَحِيمَ هِيَ الْمَأْوَى وَأَمَّا مَنْ خَافَ
مَقَامَ رَبِّهِ وَنَهَى النَّفْسَ عَنِ الْهَوَى فَإِنَّ الْجَنَّةَ هِيَ الْمَأْوَى ۞

Idest. *Itaque quicumque indomitus fuerit, ſeu inſolenter egerit, & maluerit vitam huius ſeculi: infernus erit eius receptaculum. Quicumque verò timuerit ſtationem Domini ſui, & prohibuerit animam a concupiſcentijs: Paradiſus erit habitatio eius.* Et سوره القصص idest cap. *De narratione*; circa medium, vel paulò poſt medium:

مَنْ أَضَلُّ مِمَّنِ اتَّبَعَ هَوَاهُ ۞

Quis magis errans eo, qui ſectatur concupiſcentiam ſuam? Et ſimilia pluries repetit Alchoranus. At quomodo is commendabilis dici poſſet, qui ab operatione illa, in qua beatitu-

do & vltimus finis conſiſtit, recedit? cùm potiùs tantò quiſque laudabilior dici poſſit, quantò propinquiùs ad vltimum finem accedit: quia quantò magis accedit, eò magis in ſuo eſſe perficitur. Et hoc non ſolùm in homine, ſed etiam in cæteris rebus conſtat. Exempli gratia: Quia arbor ad fructus producendos creata eſt, quantò magis ad illorum productionem propinquat, tantò magis perficitur: ſic perfectior eſt cùm incipit gemmas emittere, quàm cùm ſine virore hyemali tempore conſpicitur: perfectior deinde cùm flores emiſit, & magis perfecta cùm flores colligantur in fructus; & tandem perfectiſſima dum fructibus maturescit. Taliſque diſcurſus in ſingulis rebus facilè ſuo modo poteſt applicari. Quantò enim magis propinq'at vnumquodque ad finem illum, ad quem à Supremo omnium Conditore creatum eſt, tantò euadit perfectius. At homines tantò ſanctiores & honeſtiores cenſentur ab eruditis, cordatiſque viris, quantò magis à carnalibus abſtinent voluptatibus, præſertim à carnali copula. Immo virgines omnibus ſunt admirationi, & Alchoranus ipſe miratur Matris Chriſti virginitatem, vt in fine سورة التحريم & alibi. Ergo beatitudo, & finis vltimus hominum, non poteſt in carnalibus delectationibus, nec in carnali copula collocari. Ergo qui talem beatitudinem pollicetur, falſum promittit & fidelis dici non poteſt. Ergo Mahometi lex non eſt fidelis; ergo neque Diuina, cùm beatitudinem talem promittat, quam non in Dei viſione & in adhæſione ad Primam Veritatem collocat, prout etiam docti viri ſolo naturali lumine ſunt aſſecuti. Sed contra Sapientum omnium ſententiam in carnali copula reponit.

Sed reſpondebis; Mahomet etiam in Dei viſione beatitudinem collocare, cùm dicat ibi in Sonna, vbi de beatitudine, *Beatitudo in puellarũ cõplexu à Mahometo collocata.* inter cætera, quibus fruituri ſunt beati, illos etiam viſuros eſſe Deum. Vnde beatitudinem animæ ponit Dei viſionem. Comeſtionem verò & carnalem copulam cum illis puellis, eſſe beatitudinem pertinentem ad corpus.

Sec ſi benè perſpiciantur Mahometi verba, clarè deprehenditur, beatitudinem omnem primò, non in viſione Dei, ſed in copula reponere; dicit enim ipſe, quòd poſtquam quinquaginta

ginta

ginta annos in Paradiſo voluptatem per copulam perceperint, videbunt Deum: deinde poſt Dei viſionem iterum reuertentur ad copulam. Vnde Dei viſio quaſi intermedium quoddam ad breue tempus promittitur, non in æuum; copula autem tamquam omni tempore duratura, illo tantùm breui ſpatio excepto, in quo Deus videbitur. Ergò nulla ratione excuſari poteſt Mahomet, cùm copulam viſioni diuinæ præferat. Et quamuis multa eſſent animaduertenda contra huiuſmodi beatitudinis poſitionem; illud vnum certè ſileri non poteſt, ex quo apertiſſimè conuincitur; nempe, receſſus à viſione Dei: Si enim viſionem Dei beatitudinem hominis exiſtimaret, malè poſuiſſet talem receſſum, quia beatitudo eſt vltimus finis, quo adepto hominis deſiderium adimpletur omninò, ita vt aliquid extra illum deſiderandum non relinquatur. Vnde Propheta agnoſcens ſuam beatitudinem vltimumque finem in Dei fruitione locatam, inquit Pſalmo 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Et patet in ſingulis rebus, quæ in adepto fine quieſcunt, nec amplius mouentur, ad extra finem aliud inquirendum: ſic ignis aſcendit ſemper ad Lunæ concauum, & ibi ſiſtit, nec infra deſcendit, aut ſurſum ampliùs fertur: ſic lapis ad centrum properat, & in centro quieſcit, & ſic de ſingulis. Quare, ſi vltimus hominis finis eſt Dei fruitio & viſio Dei, cur Mahomet ponit in Paradiſo, homines ab illa recedere, & ad puellarum complexum properare? Nempe, quia non ſolùm falſa promittebat, verum etiam, quia & quod promittendum eſſet ignorabat: ipſe enim non erat Philoſophus aut Theologus, nec eruditorum & ſapientum doctrinam perceperat de vltimo hominis fine, & de beatitudine; propterea ponit à beatitudine receſſum, perindè ac ſi diceret: lapis deſerit centrum, ignis ad inferiora elementa deſcendit: dum ponit homines à Dei viſione recedere, & ad puellarum concubitum properare.

Verùm, quia prudentiſſimus Ahmed nouit tot tantaque abſurda, quæ ex tali poſitione beatitudinis inferuntur; ſed & vnuſquiſque etiam mediocri ingenio præditus poteſt agnoſcere: propterea non exiſtimo plura aggeranda tam perſpicaci ingenio, cùm pauciora etiam ſufficerent rudiori, & mediocri.

Cauſa verò huius Mahomedicæ poſitionis eſt illa profectò quam dicit Ariſtoteles primo Ethic. cap. 5. De ſummo bono, beatitudine, ſeu vltimo hominis fine, opiniones diuerſas his

verbis referens: *Summum enim bonum felicitatemque, non ſine ratione ex viuendi modo videntur exiſtimare: Vulgus quidem & importuniſſimi, voluptatem. Quapropter & deditam voluptatibus vitam amant.* Et poſt pauca: *Vulgus igitur mancipij ſimile penitus eſſe videtur, pecorum vitam deligendo.* Et poſt pauca: *Elegantes autem & ad agendum idonei, honorem*. Ita hos ſecundum ſuam propenſionem ad honorem faſtum & gloriam, propter ambitionem & ſuperbiam in eis principatum habentem, aſſerit, in honore beatitudinem collocaſſe; luxurioſos autem libidinoſos & intemperantes in carnis delectatione eamdem beatitudinem poſuiſſe: vnumquemque iuxta ſuam proclinitatem. Ita Mahometus totus in carnis delectamentis poſitus, mirum non eſt, ſi in illis beatitudinem collocaret: quia eius mens carnali delectatione abſorta, ſpiritualem contemplationis dulcedinem penitus ignorabat, ita vt cum Ariſtotele ipſo, vbi ſupra dictum eſt, cæteriſque Philoſophis, inſuper & Theologis in Primæ Veritatis intuitione beatitudinem ſitam agnoſcere nequiret.

Alia Mahometi falſa prænunciatio.

Alia infidelis Mahometi pollicitatio habetur capite الفتح idest: *De apertione*, circa finem, pag. mihi 490. illis verbis:

مُحَمَّدٌ رَسُولُ اللهِ وَالَّذِينَ مَعَهُ أَشِدَّاءُ عَلَى الْكُفَّارِ رُحَمَاءُ بَيْنَهُمْ
تَرَاهُمْ رُكَّعًا سُجَّدًا يَبْتَغُونَ فَضْلًا مِنَ اللهِ وَرِضْوَانًا سِيمَاهُمْ
فِي وُجُوهِهِمْ مِنْ أَثَرِ السُّجُودِ ۞

Ideſt: *Mahometus Apoſtolus Dei, & qui cum eo ſunt erunt duri contra infideles; inter ſe verò mites ſeu miſericordes: videbis eos genuflectentes, adorantes, ad efflagitandam Dei munificentiam eiuſque beneplacitum: ſtigmata eorum in proſpectu ipſorũ ex impreſſione adorationum, ſeu incuruationum.* Quibus inter cætera pollicetur, ſeu veluti prænuncians dicit, diſcipulos Mahomet aduerſus infideles rigidos futuros; inter ſe autem mites & placabiles. Hoc autem non ita factum eſt: quinimmo diſcipuli Mahomet inter ſe ſæui & immites fuerunt, immo crudeliſſimi; vt conſtat in libro, cui titulus eſt كتاب الامام

Liber

Liber Regum, ſeu Principum Mahomedanorum: in eo namq. libro narratur, quòd Mahometi ſectatores præcipui inuicem ſibi manus iniecerunt, & inter ſe odia & inuidias exercentes, mutua cæde occubuerunt, duobus exceptis, nempe Vbezar & Omar, ſoceris ipſius Mahomet: cæteri omnes ſibi inuicem mortem intulerunt.

Et primò, vt etiam narrat liber Sonnar, interijt Othman interficiente Ali, propter regni cupiditatem: deinde ipſe Ali occubuit occidẽte Mohaia: Deinde defecit Mohaia Alhozeni Ali filio vlciſcẽte: rurſus ipſe Alhozeni Ali filius & Mahometi nepos ex filia occiſus eſt, quodam Mohaiæ conſanguineo vindicante; qui abſciſſum illius caput pluribus vicibus adhibebat in menſa, ad ſuæ feritatis ſaturitatem: Et ita ſucceſſiuè vicìſſim vſque ad trigeſimum regem, poſt Mahomed immediatè ſuffectos, omnes Mahomedici reges per Mahometi diſcipulos præcipuos gladio occubuerunt. Et quidem primò occiſus nomine Othman gener Mahometi fuit; Ali autem eius interfector gener item & conſobrinus eiuſdẽ Mahometi: erantque ambo Mahometi ſectatores præcipui: inſuper & Aaſa vxor fuit & diſcipula pariter præcipua eiuſdem Mahometi: & tamen in libr. Sonnar, & dicto libro Regum Mahomedanorum habetur, quòd ipſamet Aaſa gladium ipſi Ali ad Othmani cædem ſubminiſtrauerit: quẽ poſtea occiſum in latrinam proiecerunt, nemine de ſepultura curante. Talem miſericordiam & pietatem, tantam manſuetudinem & clementiam, inter ſe Mahometi diſcipuli exercuerunt: nempe quam veluti præuidens pollicitus eſt Mahometus, vbi ſupra, feritatem, & crudelitatem.

Non ita Chriſti diſcipuli, qui tanto erant charitatis affectu inuicem colligati, vt non plurium plures, diſtincti & varij, ſed vnus & idem eſſe omnium videretur affectus: Vnde Act. 4. num. 32. dicere poſſet Lucas. *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.* Et ſequẽti capite 5. num. 12. *Et erant vnanimiter omnes.* Quare in illis completa eſt prænuntiatio Domini, Ioannis 13. 35. ſeu ſect. 32. *In hoc cognoſcent omnes, quòd diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Et prophetia Sophoniæ cap. 3. num. 9. dicentis. *Tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & ſeruiant ei humero vno.*

Sic

Sic ergo ſancti Chriſti diſcipuli, non ſe inuicem occidendo; ſed charitatem, manſuetudinem, pacem, cæteraſque virtutes exercendo, & miracula perpetrando ſanctum Chriſti Euangelium per Orbem diſſeminauerunt. Mahometus verò, eiuſque ſectatores, per feritatẽ & crudelitatem & rapinas, occidendo & pugnando, vt imperium inuaderent & regnum ſuper cæteros occuparent, Mahometicam ſectam ſtatuerunt, in carnis, libidinis, feritatis, & in omnium vitiorum licentiam; adeo vt auiditate regnandi in inuicem inuidia tabeſcentes, mortem ſibi mutuò inferrent; vt ex ipſorum geſtis conſtat.

Ergo in hoc etiam falſa & infidelis patet Mahometi pollicitatio.

Longum eſſet, ſingula promiſſa in quibus fidelitatem ſeruare non poteſt, enarrare; ſed vnum prætereà aut duo tan tùm retuliſſe ſufficiat. Illud quod dicit in Alchorano c.p. &.2. & in lib. Sonna, nempe, Eos qui in prælio decedunt non mori, ſed viuere. Item omnes quotquot ex hac vita deceſſerunt nolle reuerti; exceptis illis qui deceſſerunt in bello, ea ratione, vt inquit in Sonna, quia tantam ſentiunt delectationem dum occiduntur, vt optent ad eamdem dulcedinem percipiendam denuo reuerti. Hoc autem dixit Mahomet fraudolenter, ad hoc vt ſuos milites ad bellandum roboraret. Hanc autem promiſſionem & quis non cognoſcet eſſe fraudolentam? Quis enim vehementioribus angitur in morte doloribus, quàm is qui vulneribus occumbit? Mors enim ex doloris vehementia ſæpiſſimè in vulneratis accidit, quod tàm clarum eſt, vt non indigeat probatione.

Illud autem quod comminatur fore poſt mortem in lib. Sõna in ſepulchro, quòd duo Angeli interrogãt defunctum de peccatis, & quòd anima ad inſtar veſtis induitur à corpore: qui ſi vera reſpondeat, & benè fecerit, diſcedent Angeli nigri & duo albi aduenient, & vnus ad caput, alter ad pedes comitabuntur mortuum vſque ad diem Iudicij. Quando verò non bona ſed mala in vita perpetrauerit, Angelus niger percutiet eius caput claua, ità vt 7. cubitis ſub terram illum detrudat. Alter verò Angelus niger yncino ferreo ſemper inferiùs, magis ac magis atthraet illum ad inferna vſquè ad Iudicij diem. Taliſque pœna tanquam de fide à Mahometanis creditur, & ſuſcipitur: propterea concauum faciunt ſepulchrum, ad hoc vt defun-

functus genunflectere poſſit apud Angelos, & cætera quæ finguntur facilè complere. Vnde quaſi ad Deum preces fundentes ſolent eiuſmodi verba repetere.

اللهم نجنا من سوال الملكين ومن عذاب القبر ۞

Ideſt. *Deus noſter, libera nos ab interrogatione duorum Angelorum, & à tormento ſepulchri*, & cætera.

Quanta eſſent contra hanc comminationem dicenda. Primò, quonam modo mortuum corpus interrogatur? 2. quonam modo anima tamquam indumento poteſt corpus veſtiri? 3. ad quid duo Angeli vſque ad diem Iudicij cuſtodiunt corpus? 4. ad quid duo Angeli percutiunt corpus, cùm neque dolorem neque iniuriam ſentire poſſit? forte quia anima eſt illius veſtimentum, & propterea ſentit? vel ſentit ipſamet anima? neutrum dici poteſt: Non anima, quia ſpiritualis cùm ſit percuti nequit ferro aut ligno: Nō corpus, quia corpus non ſentit niſi viuens & anima informatum: At anima non informat exteriùs tāquam veſtis, ſed informat interiùs & intra ſubſtantiam, vt fiat compoſitum ſubſtantiale, tamquam forma in materia. Ergo falſa eſt talis aſſertio, & mendax talis comminatio, & infidelis omnis Mahometi promiſſio.

SECTIO

CAPVT IV.

Sapientiam præſtans paruulis.

EX huiuſmodi nænijs puerilibus & fabulis, non ſolùm conuincitur, Mahometi lex eſſe infidelis, cùm falſa promittat, & carere illa conditione, quam ſignificat Propheta dicens. *Teſtimonium Domini fidele.* Verùm etiam conuincitur carere alia quam ſequitur dicens. *Sapientiam præſtans paruulis.* Paruulus enim, & idiota, ignorans an hoc vel illud verum ſit, legens eiuſmodi fabulas falſaq. promiſſa in Mahometi lege, ſuſcipit tamquam vera, & redditur paruulus inſipiens, & non ſapiens.

Præterea pleni ſunt libri legis Mahomet fabulis, & narrationibus næniarum puerilium, quæ longum eſſet per ſingula recenſere; ſed vt non gratis loqui videamur libet hæc pauca hic apponere.

Terram ſuper Tauri cornu ſitam ait Mahomet. Et primò, illud quod in lib. Sonna dicit Mahomet, de Orbis ſitu: dicit enim: Terram ſitam eſſe ſuper cornu Tauri; tunc verò Terram moueri, quando Taurus caput mouet. Hanc fabulam tamquam fidei veritatem ibi proponit Mahomet, & Mahometani credunt: quod ſi diſtet à veritate, non ſolùm, verumetiam & à ſapientis exiſtimatione, quilibet (ſi mentis compos exiſtat) agnoſcit: quomodo enim terra ſua grauitate ſuper Tauri cornu ſita dici poteſt? Si enim ſuper cornu Tauri ſita eſt terra, in quonam loco Taurus ipſe ſitos pedes habet? nec enim dici poteſt Taurum per aerem volare. Præterea Taurus indiget pabulo, quo nutriatur, cùm ſit animal: Quod nam pabulum habet? Debet etiam mori cùm ſit animal non in æternum permanes, ſed corruptionis defectum patiens: quando ergo moritur terra cadit. Miror autem eiuſmodi tam fabuloſa, tam fatua, credi à viris qui Aſtrorũ inſpectione egregiè inter omnes pollent, cùm Arabes fuerint inter aſtrorum inſpectores præclariſſimi, qui de Sphæra, Aſtronomia, & Aſtrologia, multa didicerunt, & in eis ſcientijs clarè oſtenditur terram non ſuper Tauri cornu ſitam, ſed in centro iacere ſuis ponderibus appenſam, vbi à rapidiſſimo cælorum motu ſiſtitur.

tur. Futile ergo & fatuum eſt, terram dicere ſuper cornu Tauri fundatam.

Similem fabulam etiam contra demonſtrationes Mathematicas, Coſmographiæ, Sphæræ, & Aſtronomiæ narrat Mahomet in Alchorano سورة الكهف ideſt capite *De antro*, poſt medium, vbi ſic inquit:

فَاتَّبَعَ سَبَبًا حَتَّى إِذَا بَلَغَ مَغْرِبَ الشَّمْسِ وَجَدَهَا تَغْرُبُ فِي عَيْنٍ حَمِيئَةٍ ۞

Solem occidentē in fervenntis aquæ fontē ſe mergere, ait Mahomed.

Ideſt: *Et progreſſus vltra, donec peruenit ad locum vbi occidit Sol, & reperit illum ſe demergere, dum occidit, in fontem ferventis aquæ.* Hoc autem nonnè falſum & fatuum eſt; non ſolùm contra rei veritatem, ſed etiam contra rei exiſtimationem? Immo vt loquitur S. Auguſtinus lib. 1. de Geneſi ad literam cap. 10. *Hoc monſtruoſum eſt ſuſpicari*. cùm Sol nunquam ad terram vel mare cadat, ſed inceſſanter per cælorum ambitum longè ſemper à terra remotus, in quarto cælo circum circa voluatur. Vnde vnica propoſitione duo falſa protulit Mahomet, contra demonſtrationes Mathematicas.

Vnum eſt, quòd putauit aliquam terræ plagam eſſe, ſeu maris, in quam Sol ſe deijceret: exiſtimauit igitur, terram non eſſe ſpæricam ſimul cum mare, nec vndequaque à cælo diſtare; ſed aliquam contiguam, & non eſſe intercapedinem aeris, & ſphęræ ignis.

Aliud ex parte cælorum, exiſtimans Solem *vel eſſe in cælo* citimo terris, vel ſaltem ad illum cælum *aliquando deſcendere*: cùm omnes eruditi & ſapientes viri [illegible] *primo cælo* citimo terris eſſe Lunam, in ſecund[illegible] *in tertio* Venerem, & in quarto Solem. Et cer[illegible] *docet* omnes euidenter, [illegible]ter *Solis ec*[illegible] *olem eſſe* ſuper Lunam ſitu[illegible]i enim Sol[illegible] *parer*etur. & nouit [illegible]ua, Ahm[illegible] *ecl*[illegible] Solis per Lunæ [illegible]nem ca[illegible] *Luna* inter oculos n[illegible]em [illegible] Solis radij

radij ad nos pertingere. Ergo fatuitas huius Alchoranicæ propoſitionis apud eruditos excuſationis locum non habet.

Sileo illud de clauſione & obſeratione tranſitus gentis Gog & Magog, ne vltra vaſtare poſſent finitimos populos: quam inquit, factam ab Alexandro Magno virgis ferreis & liquato plumbo. Quod mox poſt relata de Sole, eodem capite refert Alchoranus.

Aliud ſtultũ Mahometi dictum.

Illud aliud de Salomone, & de Regina Saba cap. *De formica* pag. mihi 364. multa fabuloſa continet, quæ fatuos reddant paruulos, & non ſapientes. Legas oro caput illud ſub initium, & ibi inuenies quænam dicat Alchoranus, de exercitibus Salomonis, Dæmonum, hominum, & volucrum: De ſermone auium quem ſe apprehendiſſe & didiciſſe aſſerit Salomon. De locutione formciæ in hæc verba coram Salomone, & exercitibus eius.

يا ايها النمل ادخلوا مساكنكم لا يحطمنكم سليمان
وجنوده ۞

Ideſt: *O formicæ introite in tabernacula veſtra, ne lædat vos Salomon, & exercitus eius.* Subdit Alchoranus, quòd audiens Salomon verba formicæ, riſit. Deinde animaduertit deeſſe Vpupam in exercitu auium, & propterea comminatus eſt, ſe illam interfecturum. At Vpupa non longe abſens reſpondit, ſe ad Reginam Sabam iuiſſe, & ſibi nuncium ferre de eius magnificentia, & diuitijs. Verùm ſcito, inquit, illam Solem pro Deo colere. Atque his dictis Vpupa Salomonis beneuolentiam captauit. Tunc ſcripſit epiſtolam Salomon, quam per Vpupam ad Sabam miſit: Illamque epiſtolam cauſam fuiſſe Sabæ eundi ad Salomonem. Dum autem iret, agnoſcens Salomon illius aduentum, per Diaboli miniſterium Reginæ Sabæ ſolium ſeu tabernaculum tulit Hieruſalem: quod agnoſcens Saba obſtupuit. Vndè narrationi huius aduentus ex ſacra Scriptura 3. Reg. cap. 10. & 2. Paralip. cap. 9. tot, tantoque fabuloſa intermiſcet.

Sed & cap. 1. cui titulus eſt سورة البقرة *De Vacca*, fabu-

lam

lam de duobus Angelis proponit, induſtri quidem ingenio excogitatam ad ciendum riſum. *Aliud inſulſũ Mahometi prouũciatum.*

وَمَا أُنزِلَ عَلَى ٱلْمَلَكَيْنِ بِبَابِلَ هَارُوتَ وَمَارُوتَ

Ideſt. *Et quod accidit duobus Angelis in Babilonia, Haruta & Maruta.* In cuius loci explicationem addunt Gloſſę: Quòd hi duo Angeli ad iudicium inter Babylonios ferendum quotidie dę cælo deſcenderent: accidit autem quadam die, vt mulier eleganti forma accederet maritum ſuum, de illata ſibi iniuria apud eos expoſtulatura: Quare ambo pariter Angeli, mulieris illecti pulchritudine, cæperunt eius ſolicitare pudicitiam: illa demùm, ea ſe cõditione paratam, reſpondit, ſi ab eis orationem addiſceret, qua freti ipſi in cælum vel de cælo ad libitum euolarent: eamque perceptam ſtatim mulier recitauit, & in cælum tranſlata eſt, deluſis Angelis: qui propter adulterij attentationem, eam ſequi minimè potuerunt. Idcirco vltionem expetens Diuina Iuſtitia: in eius delicti pœnam de duobus alterutrum Angelis eligendum propoſuit: An in futura vita vellent perpetuò inferni cruciatibus ſubijci: An in pręſẽti torqueri mallent? Quos Deus, cùm in pręſenti pœnas elegiſſent, per ſuperciliorum pilos ſuſpendi iuſſit. Atque ita ad vniuerſalis vſque iudicij diem in cauerna quadam circa Babylonem ſupercilijs vincti pendent.

Quot, & quanta, ea in narratione inuoluuntur? Quot mendacia? Quot fabuloſa? Quanta inde apparet inſcitia? Imò quãta ineſſe colligitur in ea proferente ſtultitia? Angelos puros ſpiritus: quos & ipſemet Mahometus vocat ſpiritus ſeu روح & ارواح, mulieris pulchritudine illectos & captos! Beatos animos adulterij crimine ſe inficere concupiſſe! Immortales mentes morituras, ita vt vita præſens & futura de eis dici queat, ſicut de hominibus! Quòd pilis ſuperciliorum eorum vultus, tamquam humani, decorentur! Proh ſtupor! Proh dolor! Et creditur! Immo tamquam propheticum ſuſcipitur!

Verùm, quis vniuerſa valeat referre ſtulta & fatua in Mahometi

meticis libris effiƈta? Complura ſilere opus eſt, ne in immenſum volumen excreſcat.

Sileo effictam Alborachi pernicitatem, qua cum Mahometo, vnius tantummodo noctis ſpatio, terrarum, cælorum omnium, & totius Orbis ambitum permeauit; quamuis Mahometus in quolibet cælo non modicam noctis morulam, de his quæ ibi reperiret Angelum Gabrielem ſciſcitaturus, inſumeret.

Sileo quod dicitur in creatione hominis, à Deo pugillum terræ diſcoloris in plaſmatione intromiſſum: & exinde prouenire diuerſorum colorum multiplicitatem in hominibus.

Sileo quod de Angelis & homine dicitur. Deum voluiſſe hominem ab Angelis adorandum: quaſi Angelos voluiſſet Deus idololatriæ impietate fieri criminoſos.

Sileo ſtultitiam dicti illius de Angelorum vultibus & capitibus, quòd Angeli eſſent boues, & oues, & beſtiæ, & pecora.

Sileo magnitudines & moles corporum quorumdam, vt oculus ab altero tot milliaribus diſtaret.

Sileo molem tauri, vt à cornu eius ad cornu mille dierum itinere vix velociſſimus quiſque perueniret.

Sileo pennam illam ex luce & tabulam ex ſmaragdo, in qua vniuerſa creata & creanda recenſeri dicuntur.

Sileo cælorum compoſitionem, quam modò dicit ex fumo factam, modò ex carbunculo, ſeu ex ſmaragdo, ſeu ex auro, ſeu ex argento, &c.

Sileo illud mare nebuloſum ſuper ſeptimum cælum à Mahometo effictum, & ſuper nebuloſum aliud mare aereum, & ſuper mare aereum aliud mare lapideum, & ſuper illud aliud tenebroſum, & ſuper hoc aliud mare delitioſum, mox Lunam, deinde Solem; deinde Dei nomen, deinde Gabrielem, deinde mare plenum.

Sileo deinde replicationem numeri ſeptuagenarij, nempe eſſe ſuper prædicta ſeptuaginta millia lucis interuallorū, deinde 70000. virtutum ſpatia, deinde 70000. montium iuga, deinde 70000 intercapedines, in quolibet intercapedinum ſpatio 70000. turbas, & in ſingulis turbis quinque millia Angelorum, Deum inceſſanter laudantium. mirum quidem, quòd non dixerit 70000. Angelos, vt ſeptuagenarius numerus celebraretur in omnibus.

Sileo

Sileo alia ſpatia exinde altiùs diſpoſita, nempe ſpatia gemmarum, mox ſpatia gratiarum, mox ſpatia potentiæ, mox ſpatia Deitatis, mox ſpatia diſpenſationis. En accedant Philoſophi ignorantes imaginaria ſpatia, audiant Mahometum tam diſſertè de ſpatijs imaginarijs diſſerentem: vt ſi ex eius nænijs doctrinam nequeant percipere, ſaltem percipiant exinde riſum. ſed ſuper tanta ſpatia nouiſſimè hæc ſita eſſe dicuntur, nempe ſcabellum, & ſuper ſcabellum ſedes, & tandem ſuper ſedem domus vniuerſitatis.

Sileo Solem in fonte feruido, feruidum fontem in ſerpente, ſerpentem in ſpatio, ſpatium in quodam monte, montem illum in manu Angeli, vſque ad diem iudicij Orbem vniuerſum ſuſtinentis.

Sileo efficaciam alæ Gabrielis Archangeli, quæ percutiens Lunam tantum ei lumen abſtulit, vt vltra cum Sole conferri non poſſet, cùm priùs eſſet æqualis.

Sileo tandem plurima & plurima, quæ cum iam ridicula eſſent etiam imprudentibus & fatuis ipſis coegerunt Mahomet ad ſtultiſſimam propoſitionem proferendam (vt cęteras ſtultitias fucaret) nempe Alchoranum cæteroſque Mahometicæ ſectæ libros inintelligibiles eſſe, vt cap. 2. *De familia Amran*, ſub initium:

مَا يَعْلَمُ تَأْوِيلَهُ إِلَّا ٱللَّه ۞

Ideſt: *Non nouit expoſitionem eius, niſi Deus*: Et alibi quoque inquit ignorari talium librorum expoſitionem ab hominibus, quod quàm ſit ridiculum & inconueniens quiſque eruditus agnoſcet: lex enim Dei à Deo hominibus tribuitur, vt intelligant Dei præcepta, & per ipſam legem dirigantur; quæ, niſi intelligatur quid ſibi velit, eos dirigere nequit.

Sed ſi cætera propter numerum neceſſe eſt ſilere, ne in longum nimis protendamur: certè ſilendum non eſt illud, quod in Alchorano س سبا c. *De Saba* inquit de Salomone, aſſerens ipſum habuiſſe dæmones conſtrictos & colligatos; ita vt, tamquam ſerui, Salomoni omnia miniſtrarent, tàm bellica inſtrumenta, quàm ſtatuas, quàm omnia quæcumque elaborata,

rata, & quæ induſtri artificio fieri opus erat. Tandem mortuus eſt Salomon: ipſe verò ſe mortuũ iuſſit in cubiculo collocari tamquam viuum in throno ſedentem, regio cultu indutum, tamen ne caderet baculo ſuffultum. Diaboli vero tamquam viuum, nondum ſentientes mortuum, adhuc verebantur, & timebant, cùm illum tamquam viuum ſedentem cernerent. Tempore autem vertente vermis baculum fulcientem corroſit: Vndè cecidit Salomon, & tali caſu, quem priùs viuentem exiſtimabant, Salomonem mortuum agnouerunt. Vndè illicò aufugerunt cùm priùs fugere formidarent. Verba Alchorani ſunt iſta.

وَلِسُلَيْمَانَ ٱلرِّيحَ غُدُوُّهَا شَهْرٌ وَرَوَاحُهَا شَهْرٌ وَأَسَلْنَا لَهُ عَيْنَ
ٱلْقِطْرِ وَمِنَ ٱلْجِنِّ مَنْ يَعْمَلُ بَيْنَ يَدَيْهِ وَمَنْ يَزِغْ مِنْهُمْ عَنْ أَمْرِنَا
نُذِقْهُ مِنْ عَذَابِ ٱلسَّعِيرِ يَعْمَلُونَ لَهُ مَا يَشَآءُ مِنْ مَحَارِيبَ وَ
تَمَاثِيلَ وَجِفَانٍ كَٱلْجَوَابِ وَقُدُورٍ رَاسِيَاتٍ ٱعْمَلُوا آلَ دَاوُدَ
شُكْرًا وَقَلِيلٌ مِنْ عِبَادِيَ ٱلشَّكُورُ ۞ فَلَمَّا قَضَيْنَا عَلَيْهِ
ٱلْمَوْتَ مَا دَلَّهُمْ عَلَى مَوْتِهِ إِلَّا دَابَّةُ ٱلْأَرْضِ تَأْكُلُ مِنْسَأَتَهُ فَلَمَّا خَرَّ
تَبَيَّنَتِ ٱلْجِنُّ أَنْ لَوْ كَانُوا يَعْلَمُونَ ٱلْغَيْبَ مَا لَبِثُوا فِي ٱلْعَذَابِ ٱلْمُهِينِ

Quanta inuoluuntur in huiuſmodi narratione? vt dæmones qui longè perſpicacioris ſunt intellectus quàm homines; cùm viderent Salomonem ſine motu, ſine ſpiritu, ſine arteriarum pulſatione, non manducantem, neque bibentem, non loquentem, aut aliquod vitæ ſignum præſeferentem: Vnde inſipientiſſimus etiam homo mortuum agnouiſſet, diaboli tamen priùs non ſenſiſſent, quàm caderet. Hoc quicumque intelligit iudicet.

Aliud fabuloſum Mahometicum.

Quid addam aliud quod refert cap. الأعراف idest, *De muro ſito inter Paradiſum & Gehennam*, de camela, quod cum ſuo

ſuo pullo tantæ longitudinis eſſet, vt triginta millia paſſuum occuparet, & vna die omnes aquas ſorberent, ſequenti verò abſorberent viros & mulieres. Sic dicit ibi Alchoranus cum Gloſſa. Vbi addit aliam fatuitatem, nempe quòd aliqui interficientes camelam & pullum, eò quòd ſorberent homines, propterea à Deo mortem ſubierint, cùm præmium fuiſſent accepturi, quia bruta homines ſorbentia occidiſſent.

Capite *De Hierarchia cæleſti*, Arabicè verò مِن الصافات dicit Alchoranus, Dæmones à ſtellis repelli ab acceſſu cælorum. Fortè quôd ſtellæ habent vim aliquam ad repellendos dæmones, qui ſunt ſpiritus? Nonnè omnes philoſophi aſſerunt, corporeum in ſpirituale non agere, & omne ſpirituale eſſe fortiùs. Quomodo ergo ſtellæ quæ ſunt corpora poſſunt ab acceſſu cælorum ſpiritus repellere?

Et ieiunij modus, quem preſcribit cap. 1. Alchoranus, nonne fatuus & irrationabilis eſt? dicit enim pag. mihi 28. *Inſulſum ieiunij Alchoranici præceptum.*

أُحِلَّ لَكُمْ لَيْلَةَ الصِّيَامِ الرَّفَثُ إِلَى نِسَائِكُمْ ۞ وَكُلُوا وَ
اشْرَبُوا حَتَّى يَتَبَيَّنَ لَكُمُ الْخَيْطُ الْأَبْيَضُ مِنَ الْخَيْطِ الْأَسْوَدِ مِنَ
الْفَجْرِ ثُمَّ أَتِمُّوا الصِّيَامَ إِلَى اللَّيْلِ وَلَا تُبَاشِرُوهُنَّ وَأَنْتُمْ عَاكِفُونَ
فِي الْمَسَاجِدِ ۞

Ideſt. *Licet vobis nocte ieiunij commiſceri cum mulieribus veſtris &c. & commedite & bibite vſque dum diſtinguere poſſitis ex lumine auroræ inter filium album & nigrum. Deinceps perficite ieiunium vſque ad veſperam, & ne commiſceamini cum eis: ſed eritis perſiſtentes in templis.* Hoc eſt ieiunium quod proponitur; nempe, vt tota nocte bibant & manducent, cibo potuque ingluuies expleant, quotieſcumque & quantumcumque comedant & bibant: die autem toto abſtineant: ac tale ieiunium Mahometi eſt. Hoc autem quid aliud eſt, niſi facere de die noctem, & noctem in diem conuertere? Hoc inde ſequitur inconueniens; & non abſtinentia: ſingulis enim vicenis quaternis horis

Sic ergo ſancti Chriſti diſcipuli, non ſe inuicem occidendo; ſed charitatem, manſuetudinem, pacem, cæteraſque virtutes exercendo, & miracula perpetrando ſanctum Chriſti Euangelium per Orbem diſſeminauerunt. Mahometus verò, eiuſque ſectatores, per feritatē & crudelitatem & rapinas, occidendo & pugnando, vt imperium inuaderent & regnum ſuper cæteros occuparent, Mahometicam ſectam ſtatuerunt, in carnis, libidinis, feritatis, & in omnium vitiorum licentiam; adeo vt, auiditate regnandi in inuicem inuidia tabeſcentes, mortem ſibi mutuò inferrent; vt ex ipſorum geſtis conſtat.

Ergo in hoc etiam falſa & infidelis patet Mahometi pollicitatio.

Longum eſſet, ſingula promiſſa in quibus fidelitatem ſeruare non poteſt, enarrare; ſed vnum præterea aut duo tantùm retuliſſe ſufficiat. Illud quod dicit in Alchorano c.p. &.2. & in lib. Sonna, nempe, Eos qui in prælio decedunt non mori, ſed viuere. Item omnes quotquot ex hac vita deceſſerunt nolle reuerti; exceptis illis qui deceſſerunt in bello, ea ratione, vt inquit in Sonna, quia tantam ſentiunt delectationem dum occiduntur, vt optent ad eamdem dulcedinem percipiendam denuo reuerti. Hoc autem dixit Mahomet fraudolenter, ad hoc vt ſuos milites ad bellandum roboraret. Hanc autem promiſſionem & quis non cognoſcet eſſe fraudolentam? Quis enim vehementioribus angitur in morte doloribus, quàm is qui vulneribus occumbit? Mors enim ex doloris vehementia ſæpiſſimè in vulneratis accidit, quod tàm clarum eſt, vt non indigeat probatione.

Illud autem quod comminatur fore poſt mortem in lib. Sōna in ſepulchro, quòd duo Angeli interrogāt defunctum de peccatis, & quòd anima ad inſtar veſtis induitur à corpore: qui ſi vera reſpondeat, & benè fecerit, diſcedent Angeli nigri & duo albi aduenient, & vnus ad caput, alter ad pedes comitabuntur mortuum vſque ad diem Iudicij. Quando verò non bona ſed mala in vita perpetrauerit, Angelus niger percutiet eius caput claua, ità vt 7. cubitis ſub terram illum detrudat. Alter verò Angelus niger vncino ferreo ſemper inferiùs, magis ac magis atthraet illum ad inferna vſquè ad Iudicij diem. Taliſque pœna tanquam de fide à Mahometanis creditur, & ſuſcipitur: propterea concauum faciunt ſepulchrum, ad hoc vt defun-

functus genunflectere poſſit apud Angelos, & cætera quæ finguntur facilè complere. Vnde quaſi ad Deum preces fundentes ſolent eiuſmodi verba repetere.

اللهم نجنا من سؤال الملكين ومن عذاب القبر ۞

Ideſt. *Deus noſter, libera nos ab interrogatione duorum Angelorum, & à tormento ſepulchri*, & cætera.

Quanta eſſent contra hanc comminationem dicenda. Primò, quonam modo mortuum corpus interrogatur? 2. quonam modo anima tamquam indumento poteſt corpus veſtiri? 3. ad quid duo Angeli vſque ad diem Iudicij cuſtodiunt corpus? 4. ad quid duo Angeli percutiunt corpus, cùm neque dolorem neque iniuriam ſentire poſſit? forte quia anima eſt illius veſtimentum, & propterea ſentit? vel ſentit ipſamet anima? neutrum dici poteſt: Non anima, quia ſpiritualis cùm ſit percuti nequit ferro aut ligno: Nō corpus, quia corpus non ſentit niſi viuens & anima informatum: At anima non informat exteriùs tāquam veſtis, ſed informat interiùs & intra ſubſtantiam, vt fiat compoſitum ſubſtantiale, tamquam forma in materia. Ergo falſa eſt talis aſſertio, & mendax talis comminatio, & infidelis omnis Mahometi promiſſio.

SECTIO

CAPVT IV.

Sapientiam præſtans paruulis.

EX huiuſmodi nænijs puerilibus & fabulis, non ſolùm conuincitur, Mahometi lex eſſe infidelis, cùm falſa promittat, & carere illa conditione, quam ſignificat Propheta dicens. *Teſtimonium Domini fidele.* Verùm etiam conuincitur carere alia quam ſequitur dicens. *Sapientiam præſtans paruulis.* Paruulus enim, & idiota, ignorans an hoc vel illud verum ſit, legens eiuſmodi fabulas falſaq. promiſſa in Mahometi lege, ſuſcipit tamquam vera, & redditur paruulus inſipiens, & non ſapiens.

Præterea pleni ſunt libri legis Mahomet fabulis, & narrationibus næniarum puerilium, quæ longum eſſet per ſingula recenſere; ſed vt non gratis loqui videamur libet hæc pauca hic apponere.

Terram ſuper Tauri cornu ſitam ait Mahomet.

Et primo, illud quod in lib. Sonna dicit Mahomet, de Orbis ſitu: dicit enim: Terram ſitam eſſe ſuper cornu Tauri, tunc verò Terram moueri, quando Taurus caput mouet. Hanc fabulam tamquam fidei veritatem ibi proponit Mahomet, & Mahometani credunt: quod ſi diſtet à veritate, non ſolùm, verumetiam & à ſapientis exiſtimatione, quilibet (ſi mentis compos exiſtat) agnoſcit: quomodo enim terra ſua grauitate ſuper Tauri cornu ſita dici poteſt? Si enim ſuper cornu Tauri ſita eſt terra, in quonam loco Taurus ipſe ſitos pedes habet? nec enim dici poteſt Taurum per aerem volare. Præterea Taurus indiget pabulo, quo nutriatur, cùm ſit animal: Quod nam pabulum habet? Debet etiam mori cùm ſit animal non in æternum permanes, ſed corruptionis defectum patiens: quando ergo moritur terra cadit. Miror autem eiuſmodi tam fabuloſa, tam fatua, credi à viris qui Aſtrorũ inſpectione egregiè inter omnes pollent, cùm Arabes fuerint inter aſtrorum inſpectores præclariſſimi, qui de Sphæra, Aſtronomia, & Aſtrologia, multa didicerunt, & in eis ſcientijs clarè oſtenditur terram non ſuper Tauri cornu ſitam, ſed in centro iacere ſuis ponderibus appenſam, vbi à rapidiſſimo cælorum motu ſiſtitur.

tur. Futile ergo & fatuum eſt, terram dicere ſuper cornu Tauri fundatam.

Similem fabulam etiam contra demonſtrationes Mathematicas, Coſmographiæ, Sphæræ, & Aſtronomiæ narrat Mahomet in Alchorano سورة الكهف ideſt capite *De antro*, poſt medium, vbi ſic inquit:

فاتبع سببا حتى اذا بلغ مغرب الشمس وجدها تغرب في عين حمئة ۞

Solem occidentē in feruentis aquæ fontē ſe mergere, ait Mahomed.

Ideſt: *Et progreſſus vltra, donec peruenit ad locum vbi occidit Sol, & reperit illum ſe demergere, dum occidit, in fontem feruentis aquæ*. Hoc autem nonnè falſum & fatuum eſt; non ſolùm contra rei veritatem, ſed etiam contra rei exiſtimationem? Immo vt loquitur S. Auguſtinus lib. 1. de Geneſi ad literam cap. 10. *Hoc monſtruoſum eſt ſuſpicari*. cùm Sol numquam ad terram vel mare cadat, ſed inceſſanter per cælorum ambitum longè ſemper à terra remotus, in quarto cælo circum circa voluatur. Vnde vnica propoſitione duo falſa protulit Mahomet, contra demonſtrationes Mathematicas.

Vnum eſt, quòd putauit aliquam terræ plagam eſſe, ſeu maris, in quam Sol ſe deijceret: exiſtimauit igitur, terram non eſſe ſpæricam ſimul cum mare, nec vndequaque à cælo diſtare; ſed aliquam contiguam, & non eſſe intercapedinem aeris, & ſphęræ ignis.

Aliud ex parte cælorum, exiſtimans Solem vel eſſe in cælo citimo terris, vel ſaltem ad illum cælum aliquando deſcendere: cùm omnes eruditi & ſapientes viri aſſerant, in primo cælo citimo terris eſſe Lunam, in ſecundo Mercurium, in tertio Venerem, & in quarto Solem. Et certè experientia ipſa docet omnes euidenter, propter Solis ecclipſim, ipſum Solem eſſe ſuper Lunam ſitum, alioqui enim Sol nunquam ecclipſim pateretur. & nouit prudentia tua, Ahmed erudititiſſime, ecclipſim Solis per Lunæ interpoſitionem cauſari; ita vt, dum Luna inter oculos noſtros & Solem interponitur, non poſſint Solis

radij ad nos pertingere. Ergo fatuitas huius Alchoranicæ propoſitionis apud eruditos excuſationis locum non habet.

Sileo illud de clauſione & obſeratione tranſitus gentis Gog & Magog, ne vltra vaſtare poſſent finitimos populos: quam inquit, factam ab Alexandro Magno virgis ferreis & liquato plumbo. Quod mox poſt relata de Sole, eodem capite refert Alchoranus.

Aliud ſtultũ Mahometi dictum.

Illud aliud de Salomone, & de Regina Saba cap. *De formica* pag. mihi 364. multa fabuloſa continet, quæ fatuos reddant paruulos, & non ſapientes. Legas oro caput illud ſub initium, & ibi inuenies quænam dicat Alchoranus, de exercitibus Salomonis, Dæmonum, hominum, & volucrum: De ſermone auium quem ſe apprehendiſſe & didiciſſe aſſerit Salomon. De locutione formciæ in hæc verba coram Salomone, & exercitibus eius.

يَاأَيُّهَا ٱلنَّمْلُ ٱدْخُلُوا مَسَاكِنَكُمْ لَا يَحْطِمَنَّكُمْ سُلَيْمَانُ
وَجُنُودُهُ ۞

Ideſt. O *formicæ introite in tabernacula veſtra, ne lædat vos Salomon, & exercitus eius.* Subdit Alchoranus, quòd audiens Salomon verba formicæ, riſit. Deinde animaduertit deeſſe Vpupam in exercitu auium, & propterea comminatus eſt, ſe illam interfecturum. At Vpupa non longe abſens reſpondit, ſe ad Reginam Sabam iuiſſe, & ſibi nuncium ferre de eius magnificentia, & diuitijs. Verùm ſcito, inquit, illam Solem pro Deo colere. Atque his dictis Vpupa Salomonis beneuolentiam captauit. Tunc ſcripſit epiſtolam Salomon, quam per Vpupam ad Sabam miſit: Illamque epiſtolam cauſam fuiſſe Sabæ eundi ad Salomonem. Dum autem iret, agnoſcens Salomon illius aduentum, per Diaboli miniſterium Reginæ Sabæ ſolium ſeu tabernaculum tulit Hieruſalem: quod agnoſcens Saba obſtupuit. Vndè narrationi huius aduentus ex ſacra Scriptura 3. Reg. cap. 10. & 2. Paralip. cap. 9. tot, tantoque fabuloſa intermiſcet.

Sed & cap. 1. cui titulus eſt سورة البقرة *De Vacca*, fabulam

ſtam de duobus Angelis proponit, induſtri quidem ingenio excogitatam ad ciendum riſum.

Aliud inſulſũ Mahometi prouũciatum.

وَمَا أُنْزِلَ عَلَى ٱلْمَلَكَيْنِ بِبَابِلَ هَارُوتَ وَمَارُوتَ ۞

Ideſt. *Et quod accidit duobus Angelis in Babilonia, Haruta & Maruta.* In cuius loci explicationem addunt Gloſſę: Quòd hi duo Angeli ad iudicium inter Babylonios ferendum quotidie dę cælo deſcenderent: accidit autem quadam die, vt mulier eleganti forma accederet maritum ſuum, de illata ſibi iniuria apud eos expoſtulatura: Quare ambo pariter Angeli, mulieris illecti pulchritudine, cæperunt eius ſolicitare pudicitiam: illa demùm, ea ſe cõditione paratam, reſpondit, ſi ab eis orationem addiſceret, qua freti ipſi in cælum vel de cælo ad libitum euolarent: eamque perceptam ſtatim mulier recitauit, & in cælum tranſlata eſt, deluſis Angelis: qui propter adulterij attentationem, eam ſequi minimè potuerunt. Idcirco vltionem expetens Diuina iuſtitia: in eius delicti pœnam de duobus alterutrum Angelis eligendum propoſuit: An in futura vita vellent perpetuò inferni cruciatibus ſubijci: An in pręſẽti torqueri mallent? Quos Deus, cùm in pręſenti pœnas elegiſſent, per ſuperciliorum pilos ſuſpendi iuſſit. Atque ita ad vniuerſalis vſque iudicij diem in cauerna quadam circa Babylonem ſuperciliis vincti pendent.

Quot, & quanta, ea in narratione inuoluuntur? Quot mendacia? Quot fabuloſa? Quanta inde apparet inſcitia? Imò quãta ineſſe colligitur in ea proferente ſtultitia? Angelos puros ſpiritus: quos & ipſemet Mahometus vocat ſpiritus ſeu روح & ارواح, mulieris pulchritudine illectos & captos! Beatos animos adulterij crimine ſe inficere concupiſſe! Immortales mentes morituras, ita vt vita præſens & futura de eis dici queat, ſicut de hominibus! Quòd pilis ſuperciliorum eorum vultus, tamquam humani, decorentur! Proh ſtupor! Proh dolor! Et creditur! Immo tamquam propheticum ſuſcipitur!

Verùm, quis vniuerſa valeat referre ſtulta & fatua in Maho-

meticis libris effícta? Complura ſilere opus eſt, ne in immenſum volumen excreſcat.

Sileo effictam Alborachi pernicitatem, qua cum Mahometo, vnius tantummodo noctis ſpatio, terrarum, cælorum omnium, & totius Orbis ambitum permeauit; quamuis Mahometus in quolibet cælo non modicam noctis morulam, de his quæ ibi reperiret Angelum Gabrielem ſciſcitaturus, inſumeret.

Sileo quod dicitur in creatione hominis, à Deo pugillum terræ diſcoloris in plaſmatione intromiſſum: & exinde prouenire diuerſorum colorum multiplicitatem in hominibus.

Sileo quod de Angelis & homine dicitur. Deum voluiſſe hominem ab Angelis adorandum: quaſi Angelos voluiſſet Deus idololatriæ impietate fieri criminoſos.

Sileo ſtultitiam dicti illius de Angelorum vultibus & capitibus, quòd Angeli eſſent boues, & oues, & beſtiæ, & pecora.

Sileo magnitudines & moles corporum quorumdam, vt oculus ab altero tot milliaribus diſtaret.

Sileo molem tauri, vt à cornu eius ad cornu mille dierum itinere vix velociſſimus quiſque perueniret.

Sileo pennam illam ex luce & tabulam ex ſmaragdo, in qua vniuerſa creata & creanda recenſeri dicuntur.

Sileo cælorum compoſitionem, quam modò dicit ex fumo factam, modò ex carbunculo, ſeu ex ſmaragdo, ſeu ex auro, ſeu ex argento, &c.

Sileo illud mare nebuloſum ſuper ſeptimum cælum à Mahometo effictum, & ſuper nebuloſum aliud mare aereum, & ſuper mare aereum aliud mare lapideum, & ſuper illud aliud tenebroſum, & ſuper hoc aliud mare delitioſum, mox Lunam, deinde Solem; deinde Dei nomen, deinde Gabrielem, deinde mare plenum.

Sileo deinde replicationem numeri ſeptuagenarij, nempe eſſe ſuper prædicta ſeptuaginta millia lucis interuallorũ, deinde 70000. virtutum ſpatia, deinde 70000. montium iuga, deinde 70000 intercapedines, in quolibet intercapedinum ſpatio 70000. turbas, & in ſingulis turbis quinque millia Angelorum, Deum inceſſanter laudantium. mirum quidem, quòd non dixerit 70000. Angelos, vt ſeptuagenarius numerus celebraretur in omnibus.

Sileo

Sileo alia ſpatia exinde altiùs diſpoſita, nempe ſpatia gemmarum, mox ſpatia gratiarum, mox ſpatia potentiæ, mox ſpatia Deitatis, mox ſpatia diſpenſationis. En accedant Philoſophi ignorantes imaginaria ſpatia, audiant Mahometum tam diſſertè de ſpatijs imaginarijs differentem: vt ſi ex eius nænijs doctrinam nequeant percipere, ſaltem percipiant exinde riſum. ſed ſuper tanta ſpatia nouiſſimè hæc ſita eſſe dicuntur, nempe ſcabellum, & ſuper ſcabellum ſedes, & tandem ſuper ſedem domus vniuerſitatis.

Sileo Solem in fonte feruido, feruidum fontem in ſerpente, ſerpentem in ſpatio, ſpatium in quodam monte, montem illum in manu Angeli, vſque ad diem iudicij Orbem vniuerſum ſuſtinentis.

Sileo efficaciam alæ Gabrielis Archangeli, quæ percutiens Lunam tantum ei lumen abſtulit, vt vltra cum Sole conferri non poſſet, cùm priùs eſſet æqualis.

Sileo tandem plurima & plurima, quæ cum iam ridicula eſſent etiam imprudentibus & fatuis ipſis coegerunt Mahomet ad ſtultiſſimam propoſitionem proferendam (vt cęteras ſtultitias fucaret) nempe Alchoranum cæteroſque Mahometicæ ſectæ libros inintelligibiles eſſe, vt cap. 2. *De familia Amran*, ſub initium:

ما يعلم تاويله الا الله ۞

Ideſt: *Non nouit expoſitionem eius, niſi Deus*: Et alibi quoque inquit ignorari talium librorum expoſitionem ab hominibus, quod quàm ſit ridiculum & inconueniens quiſque eruditus agnoſcet: lex enim Dei à Deo hominibus tribuitur, vt intelligant Dei præcepta, & per ipſam legem dirigantur; quæ, niſi intelligatur quid ſibi velit, eos dirigere nequit.

Sed ſi cætera propter numerum neceſſe eſt ſilere, ne in longum nimis protendamur: certè ſilendum non eſt illud, quod in Alchorano سبا س c. *De Saba* inquit de Salomone, aſſerens ipſum habuiſſe dæmones conſtrictos & colligatos; ita vt, tamquam ſerui, Salomoni omnia miniſtrarent, tàm bellica inſtrumenta, quàm ſtatuas, quàm omnia quæcumque elaborata,

rata, & quæ induſtri artificio fieri opus erat. Tandem mortuus eſt Salomon: ipſe verò ſe mortuũ iuſſit in cubiculo collocari tamquam viuum in throno ſedentem, regio cultu indutum, tamen ne caderet baculo ſuffultum. Diaboli vero tamquam viuum, nondum ſentientes mortuum, adhuc verebantur, & timebant, cùm illum tamquam viuum ſedentem cernerent. Tempore autem vertente vermis baculum fulcientem corroſit: Vndè cecidit Salomon, & tali caſu, quem priùs viuentem exiſtimabant, Salomonem mortuum agnouerunt. Vndè illicò aufugerunt cùm priùs fugere formidarent. Verba Alchorani ſunt iſta.

ولسليمان الريح غدوها شهر ورواحها شهر واسلنا له عين
القطر ومن الجن من يعمل بين يديه ومن يزغ منهم عن امرنا
نذقه من عذاب السعير يعملون له ما يشاء من محاريب و
تماثيل وجفان كالجواب وقدور راسيات اعملوا آل داود
شكرا وقليل من عبادي الشكور ۞ فلما قضينا عليه
الموت ما دلهم على موته الا دابة الارض تاكل منساته فلما خر
تبينت الجن ان لو كانوا يعلمون الغيب ما لبثوا في العذاب المهين

Quanta inuoluuntur in huiuſmodi narratione? vt dæmones qui longè perſpicacioris ſunt intellectus quàm homines; cùm viderent Salomonem ſine motu, ſine ſpiritu, ſine arteriarum pulſatione, non manducantem, neque bibentem, non loquentem, aut aliquod vitæ ſignum præſeferentem: Vnde inſipientiſſimus etiam homo mortuum agnouiſſet, diaboli tamen priùs non ſenſiſſent, quàm caderet. Hoc quicumque intelligit iudicet.

Aliud fabuloſum Mahometicum. Quid addam aliud quod refert cap. الاعراف id eſt, *De muro ſito inter Paradiſum & Gehennam*, de camela, quod cum ſuo

ſuo pullo tantæ longitudinis eſſet, vt triginta millia paſſuum occuparet, & vna die omnes aquas ſorberent, ſequenti verò abſorberent viros & mulieres. Sic dicit ibi Alchoranus cum Gloſſa. Vbi addit aliam fatuitatem, nempe quòd aliqui interficientes camelam & pullum, eò quòd ſorberent homines, propterea à Deo mortem ſubierint, cùm præmium fuiſſent accepturi, quia bruta homines ſorbentia occidiſſent.

Capite *De Hierarchia cæleſti*, Arabicè verò الصافات dicit Alchoranus, Dæmones à ſtellis repelli ab acceſſu cælorum. Fortè quòd ſtellæ habent vim aliquam ad repellendos dæmones, qui ſunt ſpiritus? Nonnè omnes philoſophi aſſerunt, corporeum in ſpirituale non agere, & omne ſpirituale eſſe fortiùs. Quomodo ergo ſtellæ quæ ſunt corpora poſſunt ab acceſſu cælorum ſpiritus repellere?

Et ieiunij modus, quem preſcribit cap. I. Alchoranus, nonne fatuus & irrationabilis eſt? dicit enim pag. mihi 28. *Inſulſum ieiunij Alchoranici præceptum.*

أُحِلَّ لَكُمْ لَيْلَةَ الصِّيَامِ الرَّفَثُ إِلَى نِسَائِكُمْ ۞ وَكُلُوا وَاشْرَبُوا حَتَّى يَتَبَيَّنَ لَكُمُ الْخَيْطُ الْأَبْيَضُ مِنَ الْخَيْطِ الْأَسْوَدِ مِنَ الْفَجْرِ أَتِمُّوا الصِّيَامَ إِلَى اللَّيْلِ وَلَا تُبَاشِرُوهُنَّ وَأَنْتُمْ عَاكِفُونَ فِي الْمَسَاجِدِ ۞

Ideſt. *Licet vobis noƈte ieiunij commiſceri cum mulieribus veſtris &c. & commedite & bibite vſque dum diſtinguere poſſitis ex lumine auroræ inter filium album & nigrum. Deinceps perficite ieiunium vſque ad veſperam, & ne commiſceamini cum eis: ſed eritis perſiſtentes in templis*. Hoc eſt ieiunium quod proponitur; nempe, vt tota noƈte bibant & manducent, cibo potuque ingluuies expleant, quotieſcumque & quantumcumque comedant & bibant: die autem toto abſtineant: ac tale ieiunium Mahometi eſt. Hoc autem quid aliud eſt, niſi facere de die noƈtem, & noƈtem in diem conuertere? Hoc inde ſequitur inconueniens; & non abſtinentia: ſingulis enim vicenis quaternis horis

horis ſufficit ad ſatietatem poſſe per duodenas horas comede-re, reliqua enim temporis medietas ſomno tribuitur: & ita ſiue homo comedat die, & nocte dormiat: ſiue comedat nocte, & dormiat die; idem eſt, & natura idem ſubſidium capit, nec dici poteſt abſtinere.

Sed certè hoc tantùm poterit reſpondere Mahometus, quòd ſcilicet ipſe non dicat, die eſſe dormiendum, ſed in templis perſiſtendum. At hoc ipſum fatuitas eſt, cùm ad finem propoſitum orationis non aſſumat proportionata media? Si enim ipſe ſuos ad diurnam orationem excitare intendiſſet, illos ad copulam & crapulam tota nocte exercendam minimè adhortatus fuiſſet, dicens. *Comedite & bibite & copulamini &c.* Quia talis copula & commeſtio, & crapulatio tam ampla, præcedenti nocte exercita, compellit & vrget naturam potiùs ad dormiendum, quàm excitet ad orandum. Quare Mahometani in templum conuenientes poſt longam vigiliam noctis in templo dormitionem neceſſariò exercebunt, & non deprecationem: prout ipſemet teſtatur Alchoranus cap. 3. cui titulus سورة النساء ideſt *De mulieribus*, aliquantum altiùs à fine pag. mihi. 101.

وَإِذَا قَامُوا إِلَى ٱلصَّلَوٰةِ قَامُوا كُسَالَى يُرَآؤُونَ ٱلنَّاسَ وَلَا
يَذْكُرُونَ ٱللّٰهَ إِلَّا قَلِيلًا ۞

Ideſt. *Et cum ſteterint ad orationem ſtant ſegnes ſeu negligentes, ad placendum cum hypocriſi hominibus, & non reminiſcuntur Dei niſi modicè.* Hoc ſequitur ex Mahometico ieiunio.

Ieiunium & abſtinentia vera eſt, quam ſeruant Chriſtiani, qui, vt quieto noctis ſilentio valeant orationi vacare, vna tantùm vice in die comedunt, & parcè; non autem tota die ingurgitantur: taliſque ieiunij modus de ſe patet, quàm ſit aptum & proportionatum medium ad orationem, non ſolùm ipſo die, ſed præcipuè nocte exercendam: oratio enim eſt ieiunij finis precipuus cum carnis mortificatione: ad quam etiam, ſi aptum ſit medium Chriſtianorum ieiunandi formula, de ſe quoque patet. Ieiunium verò à Mahometto præſcriptum mentem obnu-

obnubilat nimietate crapulæ; & corpus, vel neceſſario ad dormitionem tempore orationis compellit, vel ſi illi vis inferatur vt oret, illud non ſolum debilitat, ſed etiam deſtruit & occidit, neceſſarij ſomni priuatione. Ridendum profectò ieiunium.

De Deo autem quanta effingit, præter impia, etiã fatua Mahometus? ſed ex pleriſque quàm fatuum eſt, ſicut ſæpe aſſerit in Alchorano, aſſerere Deum ipſum iuramentis puerilibus ſua dicta confirmaſſe: vt capite الفجر idest. *De Aurora*. *Plurimorum Alchorani iuramentorum inſulſitas.*

وَالْفَجْرِ وَلَيَالٍ عَشْرٍ وَالشَّفْعِ وَالْوَتْرِ وَاللَّيْلِ إِذَا يَسْرِ هَلْ فِي ذَلِكَ قَسَمٌ لِذِي حِجْرٍ ۞

Ideſt. *Per auroram, & per noctes decem, per interceſſionem & chordam, per noctem quando excurrit: num in hoc eſt iuramentum habenti impedimentum?* Similiter سورة النازعات incipit hiſce iuramentis.

وَالنَّازِعَاتِ غَرْقًا وَالنَّاشِطَاتِ نَشْطًا وَالسَّابِحَاتِ سَبْحًا وَالسَّابِقَاتِ سَبْقًا وَالْمُدَبِّرَاتِ أَمْرًا ۞

Ideſt. *Per fœminas extrahentes, aperientes, ſeu denudantes, aut excauantes profundum: per fœminas promptas promptitudine: per fœminas nantes natatione: per fœminas præuenientes præuentione: per fœminas dirigentes negotium*. Et talis eſt ſenſus de plano: licet expoſitores & inter eos author lib. Chamus ſic explicent. *Per ſtellas ſeu per veſperam: per ſtellas de vno in aliud ſignum velociter migrantes, ſeu per Angelos animas credentium in conuenientem locum velociter transferentes: per naues nantes, ſeu per animas fidelium, aut per ſtellas: per Angelos bonos qui præueniunt Dæmones in apparitione & inſpiratione: per dirigentes negotia*. Sic explicant Mahometani. Sed quocumque modo explicent perſpicua ſemper eſt leuitas iuramentorum, quæ etiã

in homine facerent nauſeam, quanto magis cùm tam fraudulenter, ſeu inſipienter, Deo tribuantur? & سورة الشمس Ideſt cap. *De Sole*, tale dat initium.

والشمس وضحيها والقمر اذا تليها والنهار اذا جليها والليل اذا يغشيها والسماء وما بنيها والارض وما طحيها ونفس وما سويها ۝

Ideſt: *Per Solem & meridiem ſeu ortum eius: per Lunam cum contemplaris eam, per diem quando ornaueris eum: per noctē quando obſcuraueris eam: per Cælum & quod ædificauit eum: per terram & quod complanauit eam: per animam & quod adæquauit eam*. Proh quot iuramenta! Sed attende quid initio capitis التين ideſt, *De ficu*, obteſtetur والتين والزيتون ideſt, *Per ficum, & per oliuam*. Et initio capitis البروج Ideſt. *De Zodiaco* ſeu faſcia cęleſti.

والسماء ذات البروج واليوم الموعود وشاهد ومشهود ۝

Ideſt. *Per Cælum habens Zodiacum; & per diem condictum: & per teſtificantem & teſtificatum.* Et cap. cui titulus ن القلم ideſt, *De Calamo*.

والقلم وما يسطرون ما انت بنعمة ربك بمجنون ۝

Ideſt: *Per Calamum, & per id quod ſcribunt, quòd tu per gratiam Domini tui non es dæmoniacus*.

Sed quid plura recenſeo? cum mihi maxima Alchorani pars recenſenda hic eſſet, ſi fatuitates eius omnes enumerare vellem

lem. Legatur ipſemet Alchoranus, & ferè in omnibus eius capitibus poſtremi libri innumera reperientur Dei nomine allata iuramenta, friuola & vilia, ad probanda ſiue aſſerenda ridicula. inſpiciatur سورة العصر & caput العاديات & cap. التين & cap. الضحى & cap. الليل & الشمس & الفجر & caput المرسلات & cap. النازعات & cap. البروج & cap. الطارق & plura etiam capita, in quibus innumera pene reperies ridenda iuſiuranda. Sed & inſuper legito caput القيمة Ideſt. *De reſurrectione*. Nam initio eius talia tibi occurrent.

لَا أُقْسِمُ بِيَوْمِ ٱلْقِيٰمَةِ وَلَا أُقْسِمُ بِٱلنَّفْسِ ٱللَّوَّامَةِ ۞

Ideſt. *Non iurabo per diem iudicij: Neque iurabo per animam maledicam*. Et initio capitis البلد *De prouincia*.

لَا أُقْسِمُ بِهٰذَا ٱلْبَلَدِ وَأَنْتَ حِلٌّ بِهٰذَا ٱلْبَلَدِ ۞

Ideſt: *Non iurabo per banc prouinciam, & tu ſtas in hac prouincia*. Mirum quidem, quòd renuat iurare effictitius Alcorani Deus per diem iudicij, & per prouinciam illam: cùm tot tamque friuola iuramenta per quaſcumque etiam viles creaturas tam facilè aliàs præſtet in compluribus Alchorani capitibus. Sed fortè in illa prouincia ſitam eſſe animaduertit Mahometus Stygiam paludem: & memor fabuloſi Deorum iuramenti per Stygiam paludem, quod Dijs non liceret infringere, noluit effictum à ſe Deum in Alchorano per illam prouinciam iurare. Sed quid reſpondebit Mahometus, cùm ſibi contradicens inducit eundem ſuum effictum Deum capite التين Ideſt. *De ficu* per eandem prouinciam actu iurare, per quam ſe negauerat iuraturum? dicit enim capite. *De ficu*.

وَالتِّينِ وَالزَّيْتُونِ وَطُورِ سِينِينَ وَهَذَا الْبَلَدِ الْأَمِينِ ۞

Ideſt. *Per ficum & per oliuam. Per montem Sina. Et per hanc prouinciam fidelem.* Ecce quomodo per eam prouinciam iuſiurandum præſtat, per quam ſe recuſauerat præſtaturum. ſic à pueris ioculares factitantur & diruuntur caſulæ, aſtruuntur & deſtruuntur neniæ. Non ſic ſacra Chriſtianorum volumina, in quibus non niſi graui de cauſa dicitur Deus iuraſſe, & iuſiurandum per ſemetipſum præſtitiſſe, cùm illi maior non ſit: vt habetur in epiſtola ad Hebræos capit. 6. vbi Apoſtolus ſic loquitur à num. 13. *Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret maiorem, iurauit per ſemetipſum, dicens &c.* Et interpoſitis paucis num. 16. *Homines enim per maiorem ſui iurant.* Alchoranus autem Deum tot ac talibus iuramentis pro friuolis aſſertionibus inducit iurantem: Quia ſcilicet ioco & non ſeriò de Deo loquebatur, vt Dei nomen, contra ſecundum Decalogi præceptum, in vanum aſſumeret.

Plurimi in Alchorano inſulſi tituli. Non eſſet aliquid addendum vt Alchorani inſipientia oſtenderetur, ſed ſecluſis omnibus hoc vnum ſufficeret: ſcilicet, perlegere & ſummatim inſpicere tantùm ipſius Alchorani titulos: Inſpiciens enim non ibi tantũmodo reperiet capita *De Abrahamo. De Iona. De Ioſeph. De familia Amram. De Maria, &c.* huiuſmodi.n.nomina vtiq. pertinent ad ſacram Scripturam & bonos mores. Sed quid faciunt ad rem cætera quæ ocurrent ei capita; *De Formica; De Ape; De Lapide; De Elephante: De Ferro. De Araneа: De Fumo. De Calamo. De Aurora. De Ficu. De littera* ص. *De Litera* ق *De Collibus arenoſis* ſeu *De fundamentis parietum*, &c. eiuſmodi impertinentia? Legito quæſo & animaduertito, quia præter innumeras eius nænias, quas pueriliter & inſipienter in corpore capitulorum inſeruit, ex ipſiſmet titulis agnoſces (ſi paſſionis velamine mentis obtutus ſpontè non obtexeris:) quanta ſit Alchorani vanitas, leuitas, & inſipientia.

Non talia in ſacra Scriptura Chriſtianorum tibi occurrent capita: Dei enim verba ſeria apud ipſos ſunt, non ridicula:

Quæ

Quæ ſi legas & attentè perſpicias, illicò Dei ſapientiam in illis loquentem agnoſces: & non fabellas audies ad decipiendum excogitatas per impoſtoris malitiam, aut certè effictas per inſipientis inſcitiam, prout in Alchorano paſſim.

Sed his claudamus eiuſmodi materiam, ne in immenſum procedamus, & ne ſingula Alchorani verba opus ſit hìc apponere, cum ſententijs aliorum Mahometicę legis librorum: & tãquam ſigillum hoc vnum ponatur, reſurrectio beſtiarũ, & gloria brutorum, quam ſupra tetigimus, in narratione illius nocturnæ viſionis, quando coſcendit iumentum Alborach, eamq. aſſerit Alchoranus س الانعام cap. *De animalibus*, & cap. كورت ſeu التكوير pag. mihi 562. vbi ſub capitis initium ſic loquitur. *Stultiſſimum Alchorani pronuntiatum.*

وَإِذَا ٱلْوُحُوشُ حُشِرَتْ ۝

Ideſt: *Et quando beſtiæ ſuſcitabuntur*. Capite verò *De animalibus* aliquanto poſt initium hæc aſſerit:

وَمَا مِنْ دَابَّةٍ فِي ٱلْأَرْضِ وَلَا طَائِرٍ يَطِيرُ بِجَنَاحَيْهِ إِلَّا أُمَمٌ أَمْثَالُكُمْ مَا

فَرَّطْنَا فِي ٱلْكِتَابِ مِنْ شَيْءٍ ثُمَّ إِلَىٰ رَبِّهِمْ يُحْشَرُونَ ۝

Ideſt: *Et non eſt brutum ſeu iumentum in terra, neque auis volans alis ſuis, niſi gentes ſimiles vobis hominibus. Non appoſuimus in libro aliquid ſuperfluum, vel iniuſtum. Deinde ad Dominum ſuum ſuſcitabuntur.* Hoc deerat ad omnem inſipientiam oſtendendam, vt bruta hominibus æquaret, & illa eſſe gentes hominibus ſimiles affirmaret; imò & ad vitam æternam ſuſcitanda aſſereret.

Quinimo addit in lib. Sonna Mahomet, in ſuis operationibus bruta apud Deum mereri, vel demereri, prout homines, ita vt in die iudicij eorum merita vel demerita penſanda teſtetur,

tur, in tantum vt ouem de cornupetæ arietis percuſſione aſ-ſerat vindicandam. Quis non miretur fatuitatem iſtam? quæ brutis & beſtijs ſine intellectu & libera arbitrij voluntate, natura & non ratione ductis, quibus libertas, meriti & demeriti fundamentum, non ineſt; ipſummet meritum vel demeritum in eſſe teſtatur. Sed qui Paradiſi gloriam, & Dei fruitionem (vt ſupra viſum eſt) beſtijs & brutis intellectu carētibus tribuit; mirum non eſt, ſi ijſdem libertate & ratione expertibus tribuat quoque meritum & demeritum. Et quamuis ipſe Mahomet pluries in Alchorano fateatur, bruta eſſe intellectus & rationis expertía, nihilominus audet ipſis ratione expertibus meritum & demeritum tribuere: quia meriti & demeriti rationem non percipiens, vt inſipientes deciperet, loquebatur. Vt in Mahomedicis libris non ſolùm reperiantur quæ animi duplicitatē oſtendunt & adeſſe ſignificant in Mahomedi voluntate malitiā: ſed etiam quæ indicēt eius intellectui inſcitiam ineſſe & ingnorantiam.

CAPVT

CAPVT V.

Iuſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda.

SECTIO I.

De legis rectitudine.

SVbdit deinde ſanctus Propheta præcipuam diuinæ Legis conditionem, dicens. *Iuſtitiæ Domini rectæ.* Quia ſcilicet lex, ad hoc vt diuina cenſeri poſſit, nihil iniuſtum & à iuſtitia alienum debet præcipere: & adeò neceſſaria eſt huiuſmodi conditio, vt non ſolùm lex diuina, verùm etiam & humana, ſi iniuſta ſit, verè lex dici non poſſit. Vndè ſanctiſſimus ſimul & eruditiſſimus Doctor Auguſtinus lib. 1. *De libero arbitrio* cap. 5. *Mihi lex*, inquit, *eſſe non videtur quæ iuſta non fuerit*. Et lib. 19. De Ciuitate Dei cap. 21. cum Cicerone 2. de legib. dixit. Legem condi debere ad vitam iuſtam, quietam, & beatam: & ideò qui leges iniuſtas condidere, quiduis potius tuliſſe quàm leges. Idem latè confirmat egregius inter Philoſophos Plato in Dialogo Minos. Et Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, Legem eſſe, inquit, regulam iuſtorum & iniuſtorum. Ariſtoteles quoque Philoſophorum Princeps 3. Politiorum cap. 7. in fine & 2. Ethicorum cap. 1. In hoc differre, ait, Reſpub. bonas à malis, quòd malæ iniuſtas leges habeant: bonæ autem iuſtis legibus fulciantur: legislatores verò, qui non iuſtas leges ſtatuunt, peccare. Et 3. Politicorum lect. 9. apud ſanctum Thomam cap. 7. *Prima verò illa quæſtio manifeſtum facit; nihil adeo vt leges rectæ poſitas & iuſtas debere dominari*. Et 7. Politicorum cap. 2. *Quomodo*, inquit, *erit hoc ciuile, ſeu politicum, aut lege ſancibile, quod neque legitimum eſt? At legitimum non eſt velle iuſtè & iniuſtè dominari; hoc enim eſt ſubdere & non iuſtè*. Et poſt pauca. *Sed plerique videntur exiſtimare, ciuilem diſciplinam eſſe dominari, & quod in ſe ipſos fieri nollent, hoc in alios facere non erubeſcunt: ipſi pro ſe iuſtitiam quærunt, pro alijs verò nulla eis iuſtitiæ cura eſt.*

Iniuſta lex impropriè lex dicitur.

Hoc autem abſurdum eſt. Et Auguſtinus longe ante Mahometi ortum, lib. 19. de Ciuitate Dei cap. 21. *Quod iurè fit* (ait) *iuſtè fit: quod autem fit iniuſtè nec iurè fieri poteſt. Non enim iura putanda ſunt vel dicenda, iniqua hominum conſtituta, cùm illud etiam ipſi ius eſſe dicant, quod de iuſtitiæ fonte manauerit.*

Si ergo etiam lex humana, lex dici non poteſt, niſi iuſtitia fulciatur, quonam modo iniuſta lex poterit exiſtimari diuina? Manifeſtum eſt igitur diuinam legem eſſe non poſſe iniuſtam.

Hoc autem de Diuina Lege fatetur etiam Alchoranus. Vnde سورة الاعراف cap. *De muro inter Gehennam & Paradiſum ſito*. pag. mihi 152. ſic inquit:

قُلْ إِنَّ ٱللَّهَ لَا يَأْمُرُ بِٱلْفَحْشَآءِ ۞

Ideſt: *Dic: certè quòd Deus non iubet turpia*. Deinde ſtatim ſubdit:

قُلْ أَمَرَ رَبِّي بِٱلْقِسْطِ ۞

Ideſt: *Dic: præcipit Dominus meus iuſtitiam*. Et poſt pauca ſubdit:

قُلْ إِنَّمَا حَرَّمَ رَبِّيَ ٱلْفَوَاحِشَ مَا ظَهَرَ مِنْهَا وَمَا بَطَنَ وَٱلْإِثْمَ وَٱلْبَغْيَ

بِغَيْرِ ٱلْحَقِّ ۞

Ideſt: *Dic: certè quòd probibet Dominus meus turpia, tàm extrinſecùs, quàm intrinſecùs:* ſcilicet non ſolùm operationes turpes, ſed etiam turpes cogitationes, *& probibet ſcelus & petitionem contra ius*. Et س النحل ided, capite *De Ape*, poſt medium pag. 266.

Ideſt

إن الله يأمر بالعدل والإحسان وإيتاي ذي القربى وينهى عن
الفحشاء ۞

Ideſt: *Certè Deus iubet iuſtitiam, & beneficentiam, & largitionem munerum propinquis: & prohibet turpia, & iniuſta.*

Et ita certum eſt; à Deo nonniſi iuſta, recta, & honeſta præcipi poſſe: ſicut è contra palàm eſt, turpia & iniuſta iuberi nonniſi à Diabolo, prout etiam Alchoranus cap. 1. البقرة ideſt, *De Vacca*, non longè à fine pag. 45.

الشيطان يعدكم الفقر ويأمركم بالفحشاء ۞

Ideſt: *Diabolus pollicetur ſeu minatur vobis egeſtatem, & præcipit vobis turpia ſeu iniuſta.*

Vndè iuſti & Sancti, qui Dei voluntatem inquirunt, & Deo obſequuntur, & Deum imitantur, ipſi quoque ſuis ſubditis, nonniſi iuſta & honeſta præcipiunt.

Iniqui verò non niſi talia præcipiunt, quales ipſi ſunt, & Diabolus cui obſequuntur. Idque tam perſpicuum eſt, vt Alchoranus ipſe non ſit auſus inficiari, ſed cap. التوبة ideſt, *De Pœnitentia*, ſeu (vt alij volunt) *De Gladio*, pag. mihi 191. ſic loquitur:

المنافقون والمنافقات بعضهم من بعض يأمرون بالمنكر
وينهون عن المعروف ۞

Ideſt. *Impij, & impiæ, ſibi inuicem iniquitatem præcipiunt, & à iuſtitia recedunt.* Et poſt pauca.

والمومنون والمومنات بعضهم أولياء بعض يأمرون بالمعروف

وَيَنْهَوْنَ عَنِ ٱلْمُنكَرِ وَيُقِيمُونَ ٱلصَّلَوٰةَ وَيُؤْتُونَ ٱلزَّكَوٰةَ وَ
يُطِيعُونَ ٱللَّهَ ۞

Ideſt: *Fideles viri, & fideles mulieres, ſibi inuicem præcipiunt iuſtitiam, recedunt ab iniquitate & vacant orationi, & exhibent eleemoſinam, & obediunt Deo.* Capite autem الاحزاب *De hæreſibus* ſeu *ſectis* circa medium, pag. mihi 404. dicit. Dei mãdata facta eſſe in menſura, vſurpans illud pſalmi 110. *Fidelia omnia mandata eius facta in veritate & æquitate*. Verba Alchorani ſunt.

وَكَانَ أَمْرُ ٱللَّهِ قَدَرًا مَّقْدُورًا ۞

Ideſt. *Et eſt præceptum Dei menſura menſurata, ſeu decretum rectum.*

Rectitudo Legis Moſaicæ, & Euangelicæ.

His poſitis, ſi rectitudinem præceptorum legis latæ per Moyſen, & legis Euangelicæ, conſideremus; omnia, & ſingula in iuſtitia & rectitudine fundata eſſe perſpiciemus. Idque tam clarum eſt, vt non ſit locus dubitationi: ipſeq; Mahomet non inficiatur, ſed ratione rectitudinis, dicit vtramq; legem fuiſſe lumen, & regulam rectam, hominibus. Vnde cap. 2. ſub initium ſic inquit.

وَأَنزَلَ ٱلتَّوْرَٰةَ وَٱلْإِنجِيلَ مِن قَبْلُ هُدًى لِّلنَّاسِ ۞

Et capite 4. circa medium.

إِنَّا أَنزَلْنَا ٱلتَّوْرَٰةَ فِيهَا هُدًى وَنُورٌ ۞

Et paulò poſt eodem capite 4.

ٱلْإِنجِيلَ فِيهِ هُدًى وَنُورٌ ۞

Ideſt:

Ideſt. *Miſimus Torà ſeu legem Moyſis, & Euangelium, tamquam lucem ad dirigendos homines.* Vndè non eſt dubium, Moyſis legem, & Euangelicam, à Deo fuiſſe latas.

Supereſt, vt de Mahometi lege conſideremus: an re vera iuſta, vel potius iniuſta dici poſſit.

Et, vt cum fundamento procedamus: primò videndum eſt, in quonam rectitudo & iuſtitia legis conſiſtat: Qua ratione lex iuſta vel iniuſta dici poſſit?

Reſpondet Philoſophorum Princeps 3. Politicorum, præſertim cap. 5. & 8. leges tunc iuſtas eſſe cēſendas, quando æqualitatem ſeruant, & in commune omnium bonum feruntur: non reſpicientes vtilitatem vel bonum vnius tantùm, aut paucorum, aut multorum; ſed in vniuerſum bonum omnium ſimul, & omnibus & ſingulis id quod debetur, tribuunt, ita vt ciues bonos efficiant. Legem verò tunc eſſe malam & iniuſtam, cùm non reſpicit bonum omnium; ſed vel bonum vnius tantùm, vel paucorum, vel multorum. Addit inſuper libro ſeptimo Politicorum cap. tertio, legem non poſſe bonam aut iuſtam eſſe, quæ præter naturam aliquid præcipiat. Vnde legis iuſtitia in debita æqualitate ſita eſt cum vnicuique quod proprium eſt reddit, illud ſcilicet quod ei ſecundùm naturæ & conditionis exigentiam debetur. Quare Auguſtinus libro octoginta trium quæſtionum q. 31. *Iuſtitia* (inquit) *eſt habitus animi, communi vtilitate conſeruata ſuam cuique tribuens dignitatem. eius initium eſt à natura profectum.* Sic etiam loquitur Plato in dialogo Minos & alibi cum vniuerſa Philoſophorum ſchola.

In quo legis rectitudo cōſiſtat.

Sed quia ad omnes effectus quatuor genera cauſarū vidētur concurrere: nempe finis, efficiens, materia forma: adequatè iuſta, omni poſtpoſita dubitatione, lex tunc cēſenda eſt, quando ex vniuerſis cauſarum principijs in ipſam legē iuſtitia confluit: nempe vt ſit iuſta ratione finis, iuſta ratione efficientis ſeu legiſlatoris, iuſta ratione materiæ, iuſta ratione formæ.

Iuſta eſt lex ratione finis, cùm commune omnium bonum reſpicit, non peculiarem vnius vel alterius vel plurium, quod ſignificant allegati authores, dum commune bonum & bonitatem loquuntur.

Iuſta, ratione efficientis, cùm legiſlator authoritatem non vſurpat, ſed ea quam iurè obtinet vtitur in lege ferenda: il-

lud ſignificat Auguſt. loco allegato dicens,communi vtilitate ſeruata,& ſuam cuique tribuens dignitatem . dum enim ſubditus fert ſuperiori leges, vel par in parem, dignitas non ſeruatur.

Iuſta, ratione materiæ, cùm ea quę præcipiuntur, bona, rectaque ſint & conuenientia:idq volunt preallegati, dum dicunt,conuenientia naturæ præcipienda, & ea quæ ciues bonos efficiant.

Et tandem iuſta ratione formæ, dum in ea ordo & regula, cum quodam iuſtitiæ nitore ſplendent, vt ſine acceptione perſonæ, æquè tàm honores quàm onera diſtribuantur, illudque expreſſit Auguſtinus dicens, ſua cuique tribuens.

SECTIO II.

De Euangelicæ Legis rectitudine.

VErùm non alio faciliori modo & breuiori via legis rectitudinem agnoſcemus, in quonam conſiſtat, niſi legis Euangelicæ rectitudinem contemplando,quæ ſanctitate, iuſtitia, & rectitudine, ſuperat omnes, & in eo etiam (præciſis quibuſcumque alijs teſtimonijs) coniuncitur eſſe diuina.

Et quidem quòd ſit iuſta quantum ad efficientem, ſeu legiſlatorem, reuocari in dubium minimè poteſt,cùm Euangelicę legis lator Chriſtus (vt infra ſuo loco oſtendemus diuinis Scripturarum teſtificationibus) Deus ſit, qui vniuerſam ſuper omnes obtinet poteſtatē: ſed & præterea iam ſupra Tract. 1. cap.8.ſect.1. probatum eſt, Chriſtum poteſtatem habuiſſe ad Euangelicam legem ferendam. Patet etiam iuſtitia ex parte legiſlatoris quoad modum: Non enim vi, armis, aut bello, ad Euangelicam legem voluit homines cogendos; ſed tantùm prædicatione, ſuaſione, ratione, ita vt poſt legis propoſitionem aſſenſum liberæ ipſorum voluntati relinqueret. Vnde dixit Chriſtus Matthęi vlt. *Ite, prædicate Euangelium omni creaturæ.*

turæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Non autem dixit: Ite & cogite ad Euangelicam legem, nempe quia cùm fides humanus ſit actus, libertati eſt relinquendus, vt liberè eliciatur, & à principio intrinſeco; coacta enim fides impropriè fides dicitur.

Quantum ad finem, etiam patet eſſe iuſtam, quia non reſpicit ſingularis perſonæ vtilitatem, ſed vtilitatem omnium pariter; & ſemper reſpectu vniuerſorum loquitur, nec exceptionem facit alicuius, ſed omnes eidem præcepto ſubdit quos eadem natura complectitur, nec eos lege diſtinguit quos nec natura diſcernit.

Quantum autem ad materiam, patet, quia circa debitum & conueniens verſatur.

Et tandem quoad formam, quia debita & conuenientia præcipit, oppoſita verò prohibet: ita vt illius diſpoſitionem attenta animi conſideratione perpendens, ex eius nitore & elegantia in admirationem inducatur.

Sed & inſuper circa materiam, & ſimul circa formam (vix enim loqui de alterutra poteſt, quin ſermo de vtraque profetatur) aduertendum eſt, ad hoc vt lex completa eſſe dicatur, vt præcipiat & diſponat circa omnem materiam, id eſt circa omne debitum: ſi in parte debiti tantû reſpiciat, lex adæquatè perfecta dici non poteſt. Animaduerte igitur quàm benè & quàm plenè Euangelica lex circa omne debitum diſponat & præcipiat.

Vniuerſum hominis debitum, vel eſt reſpectu Dei, vel reſpectu ſuimet, vel reſpectu proximi: extra hos non eſt aliquid, cuius bonum aut debitum concatur rationalis creatura proſpicere. Lex igitur cõpleta præcipere debet circa debitum reſpectu Dei, circa debitum reſpectu ſui, ſeu ipſiuſmet ſubditi cui lex datur, & circa proximum, ſeu conſubditum, ſeu concreaturam. Cumque circa vniuerſa hæc debita rectè diſpoſuerit, nihil legi deeſt quominùs abſolutè rectiſſima, & perfectiſſima dici poſſit.

Ita etiam iuſtitia perfecta & completa ordinat hominem primò ad Deum, ſecundò ad ſe ipſum, tertiò ad proximum. Dum enim quiſque ordinatè vitam ducit, Deo reddens quod Deo debetur, ſibi quod ſuum eſt, & proximo quod proximi: tunc perfectè iuſtus cenſendus eſt, tanquam vniuerſam complens

Completa iuſtitia benè ordinat hominẽ ad Deum, ad ſe, & ad proximum.

Completa re-ctitudo Euā-gelicæ legis. plens iuſtitiam, cùm præterea aliud quidpiam non ſit ad quod homo ordinetur. Lex autem Euangelica iubet, Deo reddendum omne debitum ſibi pariter & proximo: & in nullo detrahit debitum aut Deo, aut ſibi, aut proximo. Ergo rectiſſima lex eſt.

Patet autem illam reddere Deo omne debitum. Primò enim iubet, reddi illi debitum cultum, debitum amorem dicens. Matth. 22. ſeu ſect. 74. Marci 12. ſeu ſect. 41. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex omni mente tua, & ex omnibus viribus tuis,* Quo præcepto totum reddit Deo, non enim Deo ſufficit pars cum ſit auctor totius, & propterea iubet reddendum illi totum.

Secundò, ordinat proximum ad ſe ipſum, vt ſcilicet ſe debito amore diligat, vt vitam æternam ſibi præligat, & præſentia tranſitoria deſpiciat: nè illis illectus, permanentia in æternum amittat. Eaque de cauſa iubet quemlibet ſuis concupiſcentijs non aſſentiri, ſed reluctari, eas repellere, illarumque motus rationi ſubijcere &c. Propterea inquit Matth. 10. num. 37. ſeu ſect. 29. & cap. 16. num. 24. ſeu ſect. 52. Marc. 8. num. 34. ſeu ſect. 27. Luc. 9. num 23. ſeu ſect. 34. cap. 14. à num. 26. ſeu ſect. 55. & 56. cap. 17. num. 33. ſeu ſect. 62. Ioann. cap. 12. à num. 24. ſeu ſect. 29. *Qui non odit animam ſuam non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Et ex alia parte iubet dilectionem Matth. 22. vbi ſupra. *Diliges te ipſum.* Quia ſcilicet, cùm in homine duo appetitus inſint; Vnus rationalis, quo vera bona appetuntur: alter ſenſitiuus, quo apparentia, & ſenſibus dulcia concupiſcuntur, quorum appetitus retrahit rationalem inclinationem à deſiderio permanentium bonorum: iubet odium exerceri contra ſenſitiuum in quibus opponitur rationali; & amorem reſpectu rationalis, vt vegetior in deſiderio permanentium euadat.

Tertiò, ordinat hominem debito reſpectu ad proximum, dum iubet illum diligi ſicut ſe ipſum, vbi ſupra Matth. 22. *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Et Matthæi 7. 12. ſeu ſect. 13. & Lucæ 6. 31. ſeu ſect. 20. *Omnia quæcumque vultis vt vobis faciant homines, facite illis.* Hæc enim debita rectitudo eſt, vt ſicut proximus etiam homo eſt, & Dei creatura ad eius imaginem efformata, & pari dilectione à Deo omnium Patre tamquam filius diligitur, etiam à proximo tamquam

quam alter ipſe, & tamquam frater: quia frater dicitur tamquam ferè alter, vel alter ego: pari dilectione diligatur. Non enim reſpectu Dei differunt, quoad relationem & ordinem creaturæ, vnde deſumpta eſt regula illa morum præcipua reſpectu proximi. *Quod tibi vis alteri feceris, quod tibi non vis alteri ne feceris*. quæ in ſacris paginis habetur locis præallegatis. Et Ariſtoteles ipſe quamuis ethnicus agnouit, vt patet libro ſeptimo Politicorum cap. ſecundo poſt medium. Vbi dicit abſurdum eſſe, aliam legem velle pro alijs, aliam pro ſe, hoc ſibi fieri, illud vero alijs, pro ſe iuſtitiam, pro alijs vero iniuſtitiam &c. Quia verò quiſq. ſibi proximior eſt, quàm alteri; propterea Euangelica lex prius iubet diligendum ſe ipſum, deinde proximum, ad inſtar illius dilectionis, qua ſemetipſum quiſque proſequitur. Propterea inquit vbi ſupra Matth. 22. &c. *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*. Quibus indicat, dilectionem ſui debere eſſe quaſi exemplar dilectionis proximi: Proximi verò dilectionem ex illa deriuari tamquam imaginem. Prius eſt autem exemplar, quàm imago.

Et hoc quoad vniuerſalem rectitudinem. Si verò ad particularia & ſingularia præcepta deſcendamus, nihil in eis inueniemus à rectitudine tantiſper alienum, nihil à naturæ exigentia diſtans: & quamuis in Moſaica lege (propter rationes adductas in reſponſionibus ad obiectiones eius contra Euangelia) aliqua minus perfecta fuerint permiſſa, noluit permittere amplius Euangelica lex. Vnde non vltrà vni viro plures ſimul patitur eſſe vxores: quia natura humana hoc exigit, vt vni vnica iungatur, ſicut à principio in hominis creatione à Deo ordinatum eſt. Et in Veteri lege numquam dicitur, aut iubetur, vt vnus plures duceret, ſed fuit conniuentibus legis oculis tantumodò permiſſum. Cætera verò legenti ſacra Euangelia cæteroſque libros ad Euangelicam legem ſpectantes, facilè patet, quàm ſint recta, cùm omnia mala prohibeant, omnia bona præcipiant, quæ tamquam neceſſaria rectitudo exigit: & ad illa quæ non neceſſariò ad rectitudinem faciunt, ſed ad maiorem quamdam iuſtitiæ exuberantiam, hortantur ſi non præcipiunt, vt ſunt conſilia Euangelica de caſtitate Matth. 19. ſeu ſect. 59. & 1. ad Corinth. 7. ad hoc vt purius, & expeditiùs Deo vacetur. Conſilium de paupertate, Matth. 19. num. 21. ſeu ſect. 61. Conſilium benefaciendi his qui nobis

bis ſunt moleſtiæ aut detrimento, Matth. 5. ſeu ſect. 9. Conſilium de non litigando, ſed petenti libenter & ſponte omnia cedendo, ibidem. Conſilium de eleemoſina & miſericordia etiam extra caſus neceſſitatis, Luce c. 6. num. 38. ſeu ſect. 20. Conſilium de oratione, Luc. 18 ſeu ſect. 63. &c. quæ longum eſſet enarrare.

In quibus nihil diſſonum & à rectitudine aliquo modo diſtractum poteſt inueniri. Et in omnibus communem vtilitatem, & vniuerſalem bonum totius Eccleſiæ reſpicit: non bonum peculiare vnius tantum vel paucorum vel plurimorum; ſic enim recta non eſſet: ſed bonum omnium ſimul æquè proſpiciens, omnibus ius proprium reddens, & propterea dicitur Euangelicæ legis Eccleſia Eccleſia Catholica, ſeu vniuerſalis.

Vnde patet, Euangelicam legem omnẽ complecti iuſtitiam, ità vt iuſta ſit ratione finis, qui eſt vtilitas omnium: iuſta ratione legiſlatoris, qui eſt Chriſtus, Dominus omnium ac Deus, vt inferiùs ſuo loco patebit: iuſta etiam eadem de cauſa, quia legiſlator ad fidem non cogit vi armis aut bello; ſed ad fidem tantùm ſuadet, ratione, prædicatione, veritatis propoſitione: iuſta tandem ratione materiæ & formæ, cùm omnia debita & conuenientia præcipiat, & vniuerſa illis contraria prohibeat; tàm circa Deum, quàm circa ſeipſum, quàm etiam circa proximum.

SECTIO

SECTIO III.

De Alchoranicæ legis iniuſtitia.

MAhometi autem lex ſtatim conuincitur à debita rectitudine eſſe aliena. Non enim reſpicit bonum vniuerſale omnium; ſed bonum peculiare vnius vel etiam multorum, vnius partis, & non totius. Relaxat enim plurimorum potentiam, & imbecillium nimis coarctat indigentiam. Ariſtoteles autem 3. Polit. cap. 5. in hoc dignoſcit iuſtam rectamque legem ab iniuſta, ſic dicens. *Quando igitur vnus, vel pauci, vel multi communem vtilitatem in gubernatione ſequuntur, has eſſe rectas Rerumpub. ſpecies neceſſe eſt. Quando autem ad propriam vtilitatem, vel vnius, vel paucorum, vel multorum gubernantur, tranſgreſſiones ſunt & labes.* Et poſt pauca. *Vocare autem conſueuimus, cùm vnus ad vtilitatem communem reſpiciens gubernat, Regiam poteſtatem. Cum vero pauci gubernant plures ad communem vtilitatem, dicimus Ariſtocratiam, ſeu optimatum gubernationem. Cùm autem multitudo ad communem vtilitatem gubernat, communi nomine vocatur Reſpublica.* Et hoc in quantum recta eſt lex, & gubernatio. De iniuſta autem ſic inquit idem Philoſophus ibidem. *Prolabuntur verò, ac tranſgrediuntur huiuſmodi ſpecies: Ex Regia quidem gubernatione in Tyrannidem: Ex Ariſtocratia in Oligarchiam, ideſt paucorum potentiam: Ex Republica in popularem ſtatum. Tyrannidem eſſe dicimus dominatum vnius ad proprium commodum intendentis. Paucorum potentiam, cùm ad opulentorum commodum gubernatur. Popularem verò, cùm ad commodum egenorum. Harum autem nulla ad communitatem reſpicit.* Sic Ariſtoteles.

Mahometicæ legis iniuſtitia.

Non recenſeo hic iniuſtitiã quam contra cæteros iubet exequendã Mahometus, nempe vt armis cogãtur alieni ad Mahometicã legem, vel certè cogantur ad tributũ, & vt rapiant alienorum bona Mahometani, & in ſeruitutem redigant cæteros. Sileo etiã complura iniuſta quæ præcipiuntur in Mahometica lege aduerſus extraneos: loquor autẽ de iniuſtitia quam exercendam diſponit inter ſubditos. Primò igitur in ſua lege con-

Mahometi lex tyrannica.

uincitur Mahomet, tyrannidem inſtituere contra ipſoſmet Mahometicam ſectam profitentes: non enim reſpicit commune bonum, & omnium commodum & vtilitatem; ſed propriam: ipſe namque quam alijs arctam facit legem, ſibi multum relaxat; præcipuè in ijs, quæ ad carnales pertinent concupiſcentias. Præcipit enim cap. *De Mulieribus*, nè propinquas conſanguineas ſeu affines ſibi vxores aſſumerent, duabus pag. poſt initium capitis ſic dicens.

وَلَا تَنكِحُوا مَا نَكَحَ آبَاؤُكُم مِنَ النِّسَاءِ إِلَّا مَا قَدْ سَلَفَ إِنَّهُ
كَانَ فَاحِشَةً وَمَقْتًا وَسَاءَ سَبِيلًا حُرِّمَتْ عَلَيْكُمْ أُمَّهَاتُكُمْ
وَبَنَاتُكُمْ وَأَخَوَاتُكُمْ وَعَمَّاتُكُمْ وَخَالَاتُكُمْ وَبَنَاتُ الْأَخِ
وَبَنَاتُ الْأُخْتِ وَأُمَّهَاتُكُمُ اللَّاتِي أَرْضَعْنَكُمْ وَأَخَوَاتُكُم مِنَ
الرَّضَاعَةِ وَأُمَّهَاتُ نِسَائِكُمْ وَرَبَائِبُكُمُ اللَّاتِي فِي حُجُورِكُم
مِن نِسَائِكُمُ اللَّاتِي دَخَلْتُم بِهِنَّ فَإِن لَم تَكُونُوا دَخَلْتُم بِهِنَّ
فَلَا جُنَاحَ عَلَيْكُم ۞

Ideſt. *Ne cõmiſceamini cum mulieribus quæ cognitæ fuerunt à Patribus veſtris, quoniam turpe eſt, & malum, & iniquum: probibitæ ſunt vobis matres veſtræ, & filiæ veſtræ, & amitæ veſtræ, & patrueles veſtræ, & filiæ fratris veſtri, & filiæ ſororis veſtræ, & nutrices veſtræ, & illæ quæ ex ijſdem vberibus lac ſuxerunt, & matres vxorum veſtrarum, & priuignæ veſtræ, &c.* Hæc tàm clarè, & præciſè, ſingillatim, tam diligenti enumeratione prohibet, dicens, illa præterire eſſe turpe, & inhoneſtum.

At ſibi licentiam ſumit ampliſſimam الأحزاب cap. *De Hæreſibus, de ſectis ſeu partibus*; quod eſt c. 17. tertij libri, vbi Deum illum, qui in Prophetis ſuis olim ſemper ſanctitatis ſigna requi-

quirebat, his verbis conatur facere ſuæ libidinis pellicem, poſt medium cap. pag. mihi.405.

يا ايها النبي انا احللنا لك ازواجك اللاتي آتيت اجورهن
وما ملكت يمينك مما افاء الله عليك وبنات عمك وبنات
عماتك وبنات خالك وبنات خالاتك اللاتي هاجرن
معك وامراة مومنة ان وهبت نفسها للنبي ان اراد النبي ان
يستنكحها خالصة لك من دون المومنين قد علمنا ما فرضنا
عليهم في ازواجهم وما ملكت ايمانهم لكيلا يكون عليك
حرج ۝

Ideſt. *O Propheta nos certè concedimus tibi in vxores tuas omnes quibus dederis mercedes ſuas, & quaſcumque acceperit manus tua, & filias patrui tui, & filias amitæ tuæ, & filias fratris matris tuæ, & filias materteræ tuæ, quæ peregrinatæ ſunt tecum, & quamcumque mulierem credentem, quæ ſe tibi prophetæ proſtituere voluerit, idque tibi ſpeciatim, & ſingulariter conceditur; non verò alijs quibuſcumque. Iam ſcimus quid illis præſcripſerimus de eorum vxoribus, & de ancillis ſuis, nè flagitium perpetrent;* Ecce quomodo Mahomet Alchorani legem in proprium commodum ſtatuit, vt Tyrannica ſit.

Qualis nam ratio exigebat, vt ſibi libidinis fræna in tantum relaxaret, & vt liceret cuiuſcumque generis mulieres, ſiue conſanguinitate, ſiue affinitate iunctas, carnaliter cognoſcere? forte quia eſſet Propheta, & legislator? At hoc in contrarium potius facit; cùm enim legislator eſſet, oportebat cæteris præbere exempla caſtitatis potiùs & ſanctitatis, non verò libidinis: & decebat Prophetam eſſe ſanctiorem & honeſtiorem populo. Si enim ipſe nefas & turpe dicit eſſe, concubere cum conſanguineis, viris plebis & cæteris hominibus, quanto magis turpe & nefas eſſe exiſtimandum eſt in Dei Propheta;

ta; cùm & cœni ſordes magis pateant in ſerico, quàm in rudi panno; & maculis deturpata eo turpiora videãtur quo pretioſiora? Ergò turpius eſt Prophetam cum conſanguinea copulari, quam plebeum: Vndè ſi alicui eſſet hoc relaxandum, ratio potius contrarium exigeret, ſcilicet, vt ſi liceret alijs conſanguineas ducere, hoc non liceret Prophetæ. Non ita Chriſtus in Euangelio, qui quamuis omnia honeſta, & recta permitteret cæteris; tamen ipſe à delectabilibus abſtinebat. Vnde cùm poſſet eſſe diues, & honeſtis oblectationibus fonſus mulcere, noluit: ſed dicere poterat: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet*, & ſemper iter faciebat per ciuitates, & caſtella, & laboris incommoda non refugiebat; imò vt cæteros incolumes ſeruaret ſponte ſe perſequentibus obtulit, dicens. *Si ergo me quæritis, ſinite hos abire*. Et Moyſes vt Deum ſuo populo propitium redderet, ſuimet electionem viſus eſt minus curare, & populi totius ſalutem ſui vnius ſaluti propoſuit, dicens. *Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro quem ſcripſiſti*. Quàm diſtat Mahometi ſtatutum à Chriſti & Moyſis actionibus? Chriſtus & Moyſes propter populi commodum incommoda ſuſcipere non detrectauerunt: Mahomet verò propria inquirens commoda, populi incommodum non curat. Nempe illi iuſtas leges tulerunt, omnium vtilitatem conſiderantes: Mahomet verò communē vtilitatem non reſpicit, vt Tyranni titulum conſequatur. Non enim Tyrannus aliud eſt, prout inquit Ariſtoteles vbi ſuprà, niſi legiſlator ad propria commoda legem ferens.

Nec in eo ſiſtit Mahometi Tyrannis, niſi etiam alia pro ſua cōmoditate ſtatuat ſibi propria, non cū alijs cōmunia. Pro quo ſciendum eſt; Mahometanis licere per Mahometi legem, plures vxores ſimul habere: Non licere tamen vnam ſpernere, & inter eas æqualitatem non facere, in victu, in veſtitu, & conſuetudine, ne præbeatur anſa iurgijs & inuidentiæ: vt cap. *De Mulieribus* habetur, ſub initium. Ipſe verò Mahomet in ea lege etiam ſibi diſpenſat, eodem c. *De Hæreſibus*, immediatè poſt præallegata, vbi ſic inquit,

ترجى من تشاء منهن وتووى اليك من تشاء ومن ابتغيت
ممن عزلت فلا جناح عليك ذلك ادنى ان تقر اعينهن ولا يحزن
ويرضين بما اتيتهن كلهن ۞

Ideſt. *Copulare cum quacumque ex illis tibi libuerit, & tecum inhabitare fac quãcumque volueris, & non erit tibi criminis, vel ad hanc accedere, vel ab illa recedere. Hoc autem parum eſt, verùm etiam gratum habeant ipſæ quicquid tibi libuerit, & non contriſtentur, & complaceant ſibi de quacumque re, quam illis dederis.* Hic etiam ſibi peculiariter ſuas vxores ad beneplacitum pertractandi licentiam ſumit. Vbi etiam illud recurrit argumentum: cur Propheta, qui eſſe debuit plebi exemplar iuſtitiæ & æquitatis, poſſet æqualitatem cum vxoribus non ſeruare?

Verùm hæc etiam à rudibus & carnalibus ſuſtineri aliquò modo poſſent, licèt craſſis falſiſque argumentis, nempe ſi dicerent: Prophetæ propter eius excellentiam potuiſſe legem aliqua relaxare. Craſſam dixi eiuſmodi rationem, quia ex illà potius infertur contrarium, quia Propheta, vt ſuprà dictum eſt, præbere debet exempla probitatis & honeſtatis, & non è contra. Quid autem reſponderi poterit ad argumentum euidens iniquitatis? Eſt lex poſita antiquitùs per Moyſen, deinde confirmata per Chriſtum, & ab ipſo etiam Mahomet non improbata in omnibus hominibus, nempè, non eſſe concupiſcendam alterius vxorem, nec cum ea ſe commiſcendum; eſtque talis lex tam propria noſtræ naturæ, vt etiam antiqui Idolorum cultores adulteria & adulteros execrarentur. Et Mahomet iubet adulteros grauibus ſubijci pœnis, in Alchorano سورة النور cap. *De Luce*. Ipſe verò aliquando captus vxoris Zaidi pulchritudine, non ſolùm concupiuit, ſed etiam Zaidò abſtulit, & ſibi copulauit. Idque non effingimus nos, ſed ipſe Mahomet teſtatur سورة الاحزاب ideſt. *De Hæreſibus* cir-

cà medium, & Mahometani non inficiantur, cùm clariſſimè ex eorum libris conſtet. Verba Alchorani ſunt hæc pag. mihi 403.

وَإِذْ تَقُولُ لِلَّذِى أَنْعَمَ اللهُ عَلَيْهِ وَأَنْعَمْتَ عَلَيْهِ أَمْسِكْ عَلَيْكَ زَوْجَكَ
وَاتَّقِ اللهَ وَتُخْفِى فِى نَفْسِكَ مَا اللهُ مُبْدِيهِ وَتَخْشَى النَّاسَ وَاللهُ أَحَقُّ
أَنْ تَخْشَيهُ فَلَمَّا قَضَى زَيْدٌ مِنْهَا وَطَرًا زَوَّجْنَاكَهَا لِكَىْ لَا
يَكُونَ عَلَى الْمُؤْمِنِينَ حَرَجٌ فِى أَزْوَاجِ أَدْعِيَاءِهِمْ إِذَا قَضَوْا
مِنْهُنَّ وَطَرًا وَكَانَ أَمْرُ اللهِ مَفْعُولًا مَا كَانَ عَلَى النَّبِىِّ مِنْ
حَرَجٍ فِيمَا فَرَضَ اللهُ لَهُ ۞

Ideſt. *Et cùm diceres illi, cui Deus gratiam ſuam largitus eſt, & tu etiam beneficia contuliſti. Accipe tibi vxorem tuam, & time Deum. Et abſcondebas intra temetipſum quod Deus in te operabatur, & timebas homines: & Deus dignior eſt vt timeatur. Cùm igitur Zaidus ſumpſerit ex ea delectationem ſuam; nos Deus copulauimus illam tibi, vt non ſit fidelibus peccatum in vxoribus deſideriorum ſuorum, cùm delectationem ex illis perceperint: & Dei opus factum eſt: & non eſt Propbetæ imputandum ad culpam illud, quod Deus ipſi ſpecialiter conceſſit.* Ecce quomodo ſpeciales ſeu peculiares leges illicò iactabat, quandocumque ſuæ libidinis exigebat indigentia. Non illi ſufficiebat peculiaris lex de licentia copulæ cum conſanguineis & affinibus. Non alia lex ſpecialis de licentia inæqualitatis inter vxores: niſi etiam hanc tàm amplã libidinis licentiam vſurparet, vt ſibi etiam alienas vxores liceret proſtituere. Plura addi poſſent, in quibus propria commoda in ſua lege reſpicit Mahomet; nempè, vt nemini liceret mulierem à Mahometo cognitam aliquando cognoſcere, eamque culpam eſſe grauiſſimam; quod eodem cap. *De Hæreſibus* præcipit, poſt medium. Vnde vxores poſt mortem Mahometi coactæ ſunt in viduitate tabeſcere, erantque tunc numero nouem.

Aliud etiam ſpeciatim, de exuuijs in bello adeptis, præcipit

de-

deberi ſibi: quod mandatum inſinuat initio سورة الانفال capitis *De Spolijs*.

يَسْـَٔلُونَكَ عَنِ الْأَنْفَالِ قُلِ الْأَنْفَالُ لِلّٰهِ وَالرَّسُولِ ۞

Ideſt. *Interrogabunt te de Spolijs ſeu præda vel exuuijs. Reſpondebis, ſpolia pertinere ad Deum & ad Prophetam*. Et innumera alia, quibus conuincitur, in ſua lege Mahomet Tyrannidem exercuiſſe.

Aliam iniuſtitiam adnotat, vbi ſupra, de lege Ariſtoteles: Quando ſcilicet lex reſpicit commoda potentium, & imbecillium deſpicit incommoda. Alchoranus verò & cæteri legis Mahometicæ libri non ſatis habuerunt exercere Tyrannidem, niſi etiam præſeferrent Oligarchiam, ideſt Paucorum potentiam. Quòd autem ita ſit, patet ex c. Alchorani سورة التحريم *Mahometica lex Oligarchica, in Potentium commodum.*

Ideſt. *De Probibitione*, vbi dat viris licentiam, ſe cum omnibus ancillis poſſe carnaliter commiſcere, etiam inuitis vxoribus, ſic inquiens.

يَا أَيُّهَا النَّبِيُّ لِمَ تُحَرِّمُ مَا أَحَلَّ اللّٰهُ لَكَ تَبْتَغِي مَرْضَاتَ أَزْوَاجِكَ وَ
اللّٰهُ غَفُورٌ رَحِيمٌ قَدْ فَرَضَ اللّٰهُ لَكُمْ تَحِلَّةَ أَيْمَانِكُمْ وَاللّٰهُ مَوْلَاكُمْ
وَهُوَ الْعَلِيمُ الْحَكِيمُ ۞

Ideſt, *O Propheta, quare probibes id quod à Deo permiſſum eſt tibi, obſequens beneplacitis coniugum tuarum? & Deus eſt miſerans miſerator, iam Deus permiſit vobis copulam ancillarum veſtrarum: & Deus eſt Dominus veſter, eſtque cognitor ſapiens.*

His verbis licere aſſerit Mahometanis copulam cum ancillis, etiam inuitis vxoribus, quæ permiſſio, ecquis non videat, quòd iniuriam facit vxoribus, cùm poteſtatem quam habent in corpus viri, auferat? Nam per matrimonij contractum, ſicut vir poteſtatem acquirit in corpus vxoris, ita & vxor poteſta-

teſtatem accipit in corpus viri, prout adnotat Apoſtolus ad Corinthios ſcribens, cap. 7. prioris epiſtolæ. *Vxori vir debitum reddat: ſimiliter autem & vxor viro. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet ſed vir. Similiter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. Nolite fraudare inuicem &c.* Alchoranus verò, huiuſmodi contractus nullam habens rationem, liberam dat viris licentiam cum ancillis ſe copulandi, & vxoribus ius proprium auferendi. Hoc autē quid aliud eſt niſi Oligarchia; & legis inſtitutio, non in vtilitatem vniuerſorum, ſed in commodum potentiorum, nempè virorum & hominum: & in oppreſſionem debilium & imbecilliū, nempè fœminarum? Et de facto experiuntur fœminæ eiuſmodi detrimentum, cùm viris non tamquàm ſociæ & coadiutrices ad familiæ cuſtodiam per Mahometicam legem tribuantur, ſed tamquàm ſeruæ & ancillæ opprimantur: quod nec minus ciuilium eſt hominum; ſed prout inquit Ariſtotel. 1. Politicorum cap. 1. *Proprium eſt barbarorum, apud quos fœmina & ſeruus eodem gradu habentur.*

Huc etiam ſpectat vxorum pluralitas, quæ Alchoranica lege permittitur, vt magis pateat, per eam legem vxores ſubijci viris tamquam ſeruas & ancillas, & ideo licere pluribus ſimul copulari vxoribus per Alchoranum, ſicut licet pluribus eodem tempore dominari ancillis, vt Mahometica lex fiat oppreſſio fœminarum.

Sed & licentia, quæ viris tam amplè laxatur, etiam ex friuola vt etiam ſine cauſa, vxores à ſe ablegandi & repudiandi; nonne Oligarchica eſt inſtitutio in oppreſſionem feminarum, & virorum iniuſtam authoritatem, qui valeant vbi non eſt crimen tantam pœnam infligere? quæ enim grauior eſt fœminis pœna, quàm repudij libellus? Quo non ſolum domum & familiam & virum, ſed & honorem & decorem omnem amittunt: ita vt apud homines tamquam reiectæ quiſquiliæ reputentur. vnde pleræque mortem præeligerent, ſi eis optionis locus daretur.

Gloria autem & futuræ vitæ felicitas, quæ ſolis viris nulla habita ratione nec mentione fœminarum, per Alchoranicam legem promittitur: nonne etiam palam facit, Mahometicam legem Oligarchicam eſſe, cùm in tantis debilem ſexum deſpiciat? vt quaſi illæ, ſicut ſexu viris ſunt diſpares, ita à Mahometo

meto cenſeantur veluti diuerſæ ſpecie diſſimileſque natura.

Non ita Chriſti lex, quæ debitum omnium in vniuerſum proſpiciens, omnium debitæ conſulit vtilitati, vnicuiq. id quod ſtatus & conditio, natura & ſexus exigunt adæquatè tribuens. Vnde vxores non tamquam ſeruę & ancillæ ſeruitute premuntur, ſed tamquam coadiutrices viro tribuuntur, quamuis ſubordinatæ, prout ſexus fragilitas exigit, & ſicut ab initio in creatione à Deo inſtitutum eſt, quando intendens Deus vxorem homini tribuere, non dixit: faciamus ancillam & ſeruam, cui homo imperet, quam ſeruitute premat; ſed dixit: *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi:* indicans, mulierem viro dandam tamquam comitem & ſociam, non tamquam ſubditam; tāquam coauditricem, non tāquam ancillā: Inde eſt, quòd matrimoniū dicitur نكاح *Coniugium*, non ملك *Regni obtentio*, ſeu *mancipiorum adeptio*, & vir dicitur زَوْجٌ *Coniux*, non سَيِّد *Dominus*: & vxor dicitur زَوْجَةٌ *Coniux* non أَمَةٌ *Ancilla*. Alchoranus igitur, non ſolùm tyrannidis, verum etiam & oligarchiæ iniuſtitiam ſtatuit.

Ergo, recta lex dici non poteſt. Ergo neque diuina, quia *Iuſtitiæ Domini rectæ*.

Et eo minus diuina dici poteſt Mahometi lex, quò ampliùs *Mahometica*
iniuſtitiæ licentiam ſibi relaxans, non tyrannidis tantùm & *lex popularis*
Oligarchię tortuoſitatem, contra legis rectitudinem: ſed & ſi *ſeu carnalis*
benè & ſine paſſionis pondere in alteram partem inclinante, recta & ęqua lance libretur, tertij quoque generis labem *& vilis.*
contra legis rationem ſtatuit, in Reipublicæ ruinam etiam popularem ſtatum inſtituens: Qui, vt ibidem Philoſophus inquit ſcilicet. 3. Polit. cap. 5. & 4. Polit. cap. 3. non minus quam Tyrannis, & Oligarchia Rempublicam perdit. nec minùs à rectitudinis regula deuiat & aberrat. Nam cùm in homine duę ſint veluti portiones, intellectualis & rationalis vna, animalis & ſenſualis altera: vna ſpiritus, altera carnis: illa nobilior, hæc vilior: ſuperior illa, iſta inferior; hæc delectabilia ſenſibus, &

carnis oble&amenta requirat, illa verò ſenſibus & carni ſuauia deſpiciens ad ſpiritualia anhelet: fit inde diſsenſus, quẽ in ſe quilibet experitur, carnis & ſpiritus, intellectus & ſenſus, volũtatis & appetitus: prout etiam in ſe ipſo experiebatur Apoſtolus, cùm ad Romanos ſcribens capite ſeptimo diceret: *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati*. Et ad Gal. 5. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem. hæc enim ſibi inuicem aduerſantur*. Sunt igitur duo appetitus in homine; alter qui ſenſibus illicitur, alter verò qui ratione ducitur: eoſquè ambos (quamuis ſibi inuicem aduerſantes) eiuſdem tamen vrbis neceſſe eſt eſſe concives; cum eidem homini vterque inſit, & intellectus & ſenſus. At ex duobus eiuſmodi conciuibus, nulli dubium eſt, intellectui deberi principatum; idque nec ipſemet Alchoranus, neque Mahometus recuſat: quinimmò fatetur, carnis concupiſcentiæ non eſſe obſequendum, eo quòd à Dei ſemitis hominem conetur auertere: vt

سورة ص idest. *Capite de litera Sad*, pagina mihi 433.

وَلَا تَتَّبِعِ الْهَوَى فَيُضِلَّكَ عَنْ سَبِيلِ اللَّهِ ۞

Ideſt. *Et ne ſequaris concupiſcentiam, quia abducet te à via Dei*. Inſuper & concupiſcentijs ſuis reluctanti fatetur paradiſi gloriam deberi; cæteris verò è contra, inferni ſupplicia, ſic loquitur سورة النازعات ideſt cap. *De Extrahentibus* ſeu *ſpoliantibus* ſeu *De quibuſdam ſtellis*, quod eſt 78. pag. mihi 560.

فَأَمَّا مَنْ طَغَى وَآثَرَ الْحَيَوٰةَ الدُّنْيَا فَإِنَّ الْجَحِيمَ هِيَ الْمَأْوَى وَأَمَّا مَنْ خَافَ
مَقَامَ رَبِّهِ وَنَهَى النَّفْسَ عَنِ الْهَوَى فَإِنَّ الْجَنَّةَ هِيَ الْمَأْوَى ۞

Ideſt. *Itaque qui cumque tyranniter egerit, & praelegerit vitam huius ſaeculi, infernus vtique erit illi receptaculum. At quicumque reueritus fuerit locum Domini ſui, & abnegaueirt animam ſuam à concupiſcentia, illi profectò paradiſus erit habitaculum*. Et ſic paſſim in genere benè loqui videtur Alchoranus.

nus. At, cum fateatur, rationali principatum deberi, quò effrenem carnis libidinem indebitè reluctantem ſubijceret, quò humanæ creaturæ ciuitas tranquillè degeret: Tamen poſtea ad peculiaria veniens, tam amplam ſtatuit pro carne & ſenſu legem, & ita rationi & intellectui detrahit; vt eum ſubdat cui dominari debuerat, & regem ſeruo ſubijciat.

Quid enim aliud eſt, tot vni viro fæminas proſtituere, etiam cum ancillis, quamùis innumeris, poſse, inuitis quoque vxoribus, omnem libidinis turpitudinem exercere: Inſuper & beatitudinem, & ipſum hominis finem vltimum in ſpurciſſima carnis commixtione collocare: & in tantum concupiſcentiæ campum omnibus aperire: quid, inquam, aliud eſt, niſi carnis potentiam aduerſus rationem roborare? Vt caro tanquam præcipua in Mahometi lege excolatur, & cuius collo iugum debetur illius manui ſceptrum tribuatur, vt dominetur, & ſubijciat eam cui tenetur ſubeſſe: & ita ſerua, ſeu vile mancipium, impunè, immò ex lege & tamquam iurè, reginam opprimat, & irrationabilibus carnis legibus rationalis portio cogatur obedire. Nempe non ſufficiebat Mahometo per ſuum Alchoranum Tyrannidem exercere, & Oligarchiam ſtatuere; niſi etiam popularem, immò viliſſimum & ſpurciſſimum carnalem ſtatum, & libidinoſam legem in humanæ Reipublicæ perniciem inſtitueret.

Quid anne&tam ſpeciem virtutis & honeſtatis ad fucanda præcepta inhoneſtatis: cum etiam orationis & ieiunij fucum aſſumpſerit, perinde ac rationi fauturus ad edomandam carnis petulantiam, vt ſcilicet videretur quaſi ieiunij iugo & orationis ſtimulo velle carnē edomare, dum non niſi luxuriæ delectamētis & mulierum amplexibus inhiaret Et quidem pro ratione præceptum valde fuiſſet fauorabile, ſi verè ieiunium præcepiſſet: At ſi bene ieiunij Alchoranici præceptum inſpiciatur, non ita eſt inſtitutum, vt poſſet eius adiutorio rationalis portio victoriam de ſenſuum concupiſcentiis reportare & carnem ſubijcere. Sed ieiunij tantùm nomine retento, iubet ſub ieiunij ſpecie crapulas & ebrietates, & ſpecie orationis libidinis exercitationē. Tale namque ieiunium præcipit cap. سورة البقرة *De vacca*. Pag. mihi 28. ſic dicens

أحل لكم ليلة الصيام الرفث الى نسائكم هن لباس
لكم وانتم لباس لهن علم الله انكم كنتم تختانون
انفسكم فتاب عليكم وعفا عنكم فالان باشروهن و
ابتغوا ما كتب الله لكم وكلوا واشربوا حتى يتبين
لكم الخيط الابيض من الخيط الاسود من الفجر ثم اتموا الصيام
الى الليل ولا تباشروهن وانتم عاكفون في المساجد تلك
حدود الله فلا تقربوها ۞

Ideſt. *Licet vobis nocte ieiunij accedere ad vxores veſtras: ipſa ſint indumentum vobis, & vos indumentum ipſis, nouit Deus quòd vos fraudatis voſmetipſos, & clementer agit vobiſcum, & parcit vobis. Igitur commiſcemini cum eis, & inquirite quod præſcripſit vobis Deus, & comedite & bibite vſque dum diſtinguere poſſitis filum album à filo nigro ex illuceſcente aurora. Deinceps complete ieiunium vſque ad noctem: & ne commiſceamini cum eis: Sed perſiſtite in templis. Hæc ſunt præſcripta Dei: non igitur tangatis eas.* His verbis ieiunium inſtituit.

Sed animaduertite quæſo ieiunij modum. Vt ſcilicet die tantùm ieiunij: ideſt quandiù Sol intra Orizontis lineam fertur, illicita ſit omnis commeſtio, omnis etiam tactus, propriæ etiam vxoris. At ante ſolis ortum, & poſt ſolis occaſum, bibant & ingurgitentur crapula & ebrietate & copula, vſque dum illuceſcat aurora. Et quale ieiunium eſt interdiù cibo abſtinere, ſi noctu quis crapuletur? Certè ſufficiet carni, infra vigintiquatuor horas, poſſe duodecim horarum ſpatio ventri indulgere: reliquæ enim duodecim ſomno poſt crapulam debentur: nec enim commodè poſt crapulam mens poteſt orationi vacare, cibi & potus adhuc nimietate grauata. Vnde nihil abſtinentiæ ea in ieiunandi formula continetur; niſi tantùm variatio temporis, nempe vt noctu fiat quod aliàs interdiù

diù fiebat, & è contra; ita vt nox in diem, & dies in noctem vertatur. Quare nec carni quicquam detrahitur, & ſpiritui nihil tribuitur: Niſi fortè ſpiritui ratio conuenientiæ detrahatur, dum temporis conuenientia permutatur: quod quidem rationi derogat potiùs, quàm quicquam arroget, vt de ſe patet: Sapiens enim ſeruat tempus, & prudentis eſt temporis ſeruare opportunitatem: ſicut è contra, proprium imprudentis & ſtulti eſt, temporis rationem negligere, teſtante ſapientia, Eccleſiaſtici 20. num. 7. illis verbis. *Laſciuus, & imprudens, non ſeruabunt tempus*. Mahometica igitur importuna commeſtionis permutatio potiùs prudentiæ & rationi officit, quàm proſit: & nocturna crapula & copula corpus cogit potiùs ad dormitionem, quàm excitet animum ad orationem. Vt ſic nequeat Mahometus, nec etiam in fauorabilibus pro ratione & ſpiritu, fauoris modum tenere: vt in omnibus carnis partes ſuſcipiat, & carnem ſpiritui, ſenſum rationi, proponat; & rectum humanæ mentis affectum effrenatæ ſenſuum cõcupiſcentiæ omninò conetur ſubſternere. Vt non ſolùm Tyrannidem exerceat, Oligarchiam ſtatuat; ſed etiam, nobilitate ſpiritus ac ratione deſpecta, popularem ſeu carnalem ſtatum inſtituat: Vt omnem tortuoſitatem, quæ legem à rectitudine diſtrahit, Alchoranica lege Mahometus complectatur. Et vt inſuper eam iam plenam iniuſtitiam reddat aſperiorem, aſſumit in omnibus titulum Prophetiæ, & fucum honeſtatis, virtutis, & iuſtitiæ. Vt ſecundum Philoſophi ſententiam 7. Ethicorum cap. 6. eò eſſet iniuſtior, quò fallacior: eò iniquior, quò fucatiorem iniquitatem exercens, haberi voluit æquior & ſanctior.

Itaque cùm omnis rectitudo legis (vt ipſamet veritas teſtatur Matt. 22. ſect. 74.) ex illis duobus pendeat mandatis. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. & proximum tuum ſicut te ipſum*. Quibus homo, ad perficiendam omnem iuſtitiæ plenitudinem, ordinatur ad Deum, vt eum piè colat: ad ſe ipſum, vt ab immunditijs ſe honeſtè cuſtodiat: ad proximum, vt eum iuſtè & clementer diligat. Mahometus vt vniuerſam diſtorqueat iuſtitiæ rectitudinem; Primò loquitur blaſphemias, aſſerens, Deum ea præcipere turpia quæ præcipit Alchoranus: vt ſit impius in Deum, ſimilis illis, de quibus ipſe dicit,

Mahometica lex omnẽ iuſtitiam frangit.

ſe dicit سوره الاعراف cap. *De muro*. Aliquanto poſt initium

وَإِذَا فَعَلُوا فَاحِشَةً قَالُوا اللّٰهُ أَمَرَنَا بِهَا ۞

Ideſt. *Et quando perpetrarint turpia, dicunt: Deus præcepit nobis vt hæc ageremus*. Secundò ſtatuit Tyrannidem, & Oligarchiam: vt ſit iniuſtus in proximum. Tertiò popularem quoque ſtatum, ſeu carnalem vitam præcipuè inſtituit ſibi: vt ſit inhoneſtus in ſe ipſum. Vt ita omnes lædens vniuerſam iuſtitiam perdat.

Inſuper præceptum quod ſuis tantopere commendat tam in Alchorano cap. de توبه *Pœnitentia* ſeu *De gladio* & alibi, ſicut etiã in Sonna, vt occidant oẽs niſi fiant Mahometani: nõne euidens eſt iniuſtitia contra proximum? ſed fortè reſpõdebit quis, hoc fuiſſe præceptũ ad hoc vt omnes fideles fierẽt & ſaluarentur. At hoc falſum eſt, quia Alchoranica lex mergit ſe ſuſcipientes in perditionẽ, & non ducit ad paradiſi gloriam, vt patet ex dictis, & magis ex dicendis patebit. Sed hoc etiam præciſo: Quomodo poteſt hæc ratio aſſignari, tàm iniuſti tamque immitis præcepti, à Mahometanis; cum ipſemet Alchoranus cap. 1. & cap. 4. tam apertè aſſerat, Iudæos, Chriſtianos, & etiam Paganos per ſuam legem ſaluari, & paradiſi gloriam conſequi? cur igitur præcepit eos ab ea lege etiam vi & armis deterreri, per quam, iuxta eius ſententiam, ſalutem aſſequuntur? certè non alia de cauſa, niſi vt in hoc etiam vim proximis inferret: & vt ex ore ſuo ſemetipſum Mahomet damnaret: dicit enim cap. 2. Alchorani cui tit. *De familia Amrani*, 2. vel 3. ci[illegible] pa[illegible] ſub initium.

[illegible] يَكْفُرُونَ بِآيَاتِ اللّٰهِ وَيَقْتُلُونَ النَّبِيِّينَ بِغَيْرِ حَقٍّ وَ
[illegible] يَأْمُرُونَ بِالْقِسْطِ مِنَ النَّاسِ فَبَشِّرْهُمْ بِعَذَابٍ

Ideſt. *Certè quod infideles Dei legi, & inter* [illegible]

iniuſtè, & illi qui occidunt homines iuſta præcipientes ſeu operantes (prænuncia hoc illis) quòd ſubijcientur acerbiſſimis pœnis. Dum ergo Mahomet iubet occidentes Chriſtianos, Iudęos, Paganos &c. quos ipſe dicit paradiſi gloriam adepturos, vtique ex ſua ſententia, non niſi iuſtos præcipit occidendos: paradiſum namque non niſi iuſti conſequuntur. Ergo ex ipſomet Alchorano, Mahometo iuſtorum interfectori pœna debetur acerbiſſima; tamquã iniuſto, & iniuſtè proximo vim inferenti.

Ex his igitur ſatis euidenter colligimus, omnem iniuſtitiam in Mahometi legem vndequaque confluere, dum etiam ipſius vniuerſa cauſarum principia in illam non niſi iniuſtitiam influunt; Iniuſtitiam in Mahometi legem influit cauſa finalis, nempe finis quo impulſus eſt Mahomet ad Alchoranicam legem effingendam. Quia finis non fuit commune bonum, vt iam probatum eſt, ſed propriæ libidinis expletio, dominandi ardor, loci ſuperioris ambitio, inanis gloriæ apud homines captatio, temporalium diuitiarum appetitus; ad omnia quæ vtilitatem, vel faſtum, vel præcipuè delectationẽ carnis ſapiunt anhelatio. Propterea tot tãtoſq. titulos ſanctitatis, & excellentiæ vſurpat, ſe ſigillum Prophetarum, Dominum Sanctorum, & omnium ſanctiſſimum, & Redemptorem omnium iactat, ſuumque nomen cum Dei nomine in cælis, & in ipſomet Dei ſolio adnotatum & inſculptum: & alia complura quæcumque excogitare ... glorioſa & eminentia. Propterea ſibi & Deo deberi ... ſpolias & exuuias omnemque prędam: Propterea q... ... præcipuè, tantam ſegetem fæminarum ſibi pr... ... us peculiares leges in eo negotio ſibi ſtatuit. Hic ... ... Mahomet, non communis vtilitas, non commune ... Dei in ſuam legem finis ipſe iniuſti... ...on æqui... ... us illin ſe eſſet, influeret.

Quòd ſi iniuſtitiam in M... ... n non ... ubditi poteritne in eamdem fortè ... ... eſtiæ, per finalẽ efficiens impe... ... ſt, vn... At à tali fine infectus ag... ... iometus ſectum infecti... ... ſuaſione peræ colum... ... & gladio data virt... ... hometici ſcens, ... empore Tyran... ... fiat, efficien-

impietates in Deum, iniquitates in proximum, turpitudines præcipuè in ſe ipſum: vt ſuæ legis intentum non niſi circa indebitam materiam verſaretur: & ſuæ legis forma non niſi iniuſtitiam redoleret: atque vt omnes Alchoranicam legem apertis oculis ſine paſſionis velamine inſpicientes, exhorreſcerēt tantum iniuſtitiæ monſtrum, obſtupeſcerent talem ſuſceptam hominibus impoſturam.

Talis igitur forma, talis materia, talis finis Mahometicæ legis. Qualis ergo efficiens? Qualis legiſlator? Qualis Alchorani dator? Reſpondet Mahomet: Deus. Proh impoſtura! Deus non iubet turpia, non inhoneſta, non iniuſta. Sed reſpondet prudens quiſque & ſapiens & aduertens: Alchorani dator Mahometus, vel melius Alchorani dator diabolus, qui iubet turpia, iniuſta, & inhoneſta, prout etiam Alchoranus ſæpe teſtatur à cap. 1. incipiens.

ألشيطان انه لكم عدو مبين انما يامركم بالسوء
والفحشاء ۞

Ideſt. *Diabolus certè eſt vobis hominibus inimicus manifeſtus, nam præcipit vobis iniqua, & turpia*: & huiuſmodi pluries repetit. Cùm igitur tot iniqua & inhoneſta Alchoranica lex cōtineat, benè ex ipſomet Alchorano infertur, Alchorani datorē fuiſſe diabolum: ſed & ipſe Alchoranus ſignificat ipſius auctorem diabolum fuiſſe, vt patet سورة الاحقاف poſt medium, vbi inducit Mahomet diabolos, talia de Alchorano loquentes.

انا سمعنا كتابا انزل من بعد موسى مصدقا لما بين يديه
يهدي الى الحق والى طريق مستقيم ۞

Ideſt. *Certè nos audiuimus librum ſeu Scripturam, quæ data eſt poſt Moyſen, ratum faciens quod eſt præ manibus eius, & dirigit*

git ad veritatem, & in viam rectam. Hæc ſunt verba Diaboli de Alchorano loquentis, in ipſomet Alchorano appoſita. Quis credat igitur Mendaciorum patri? Quis fidem præſtet Diabolo? illi de quo etiam Alchoranus toties repetit, non niſi ad impia, iniuſta, & vniuerſa mala homines impellere, vt per mendaciorũ anfractus eos ſecum in gehennam pertrahat?

Et c. de *Diabolis* سورة الجن repetit, Diabolos eſſe Mahometicæ legis profeſsores, & Alchorani legẽ ſuſcepiſſe. Ergo, ipſomet fatente Mahomet & Alchorano, verè dici poteſt, Diabolum Alchorani & Mahometicę legis auctorem extitiſſe.

Sed & Mahometus, tamquam Diaboli miniſter, Alchorani auctor fuit; Mahometus inquã ille, qui cũ eſſet Idololatra, animaduertens facilè ſe poſſe Mechenſibus idolorum cultoribus & ſimplicibus & rudibus circa Dei culturam ad ſua commoda machinari impoſturam, auſus & machinatus eſt. Mahometus (non ad iniuriam loquor ſed ad veritatis oſtenſionem nec vlli grauis vel dura cenſenda eſt locutio, de quibus conſtat Mahometi operatio; nec apud Mahometanos indecens reputari debet, ibi verba proferre, vbi Mahometus protulit actiones) Mahometus, igitur, ille qui poteſtatem quam nec habebat, ſed nec aliàs obtinere poterat ad legem ferendam, quia non erat Dominus, non Rex, non Imperator, per aſtutiam fraudulenter vſurpauit. Mahometus ille, qui titulos & nomen ſibi aſcribebat virtutum, ſed actiones exercebat vitiorum. Mahometus ille, qui diuinam iactabat voluntatem; ſed eo nomine ſuam fucare intendebat prauitatem. Mahometus ille, qui legem Dei ſimulauit; ſed tot tantaque iniuſta ordinauit. Mahometus ille, qui noſcens effictam ſuam legem ante rationis examen non poſſe ſubſiſtere, præcepit, vt non ratione, ſed gladio eam ſubditi tuerentur: nempe vt ſuam cauſam tanquam bruta & beſtiæ, poſtpoſito rationis diſcurſu, quod proprium hominis eſt, vnguibus & dentibus agerent. Et ita gladio vult Mahometus ſuam legem in hominum animum inducendam, non ſuaſione & ratione: & gladio inducitur, & gladio ſeruatur, & gladio prædicatur: ſic enim ſolent dum concionantur Mahometici concionatores, gladium euaginatum toto concionis tempore præ manibus habere. Nempe vt ex eo etiam palàm fiat, effi-

cientem Mahometicæ ſectæ cauſam, gladium eſſe, nō rationem: vt vis, quæ recuſanti eam legem ſuſcipere, iniuſtè infertur, inferat & oſtendat, iniuſtitiam in talem legem non ſolùm prouenire ex cæteris cauſis eius; nempe finali, materiali, & formali, ſed etiam ex efficienti. Vt confluentes viciſſim vniuerſi vitiorum fontes in Alchoranicam legem vndequaque, tamquam in iniuſtitiæ pelagus influant. Sed gratulor tibi quod non tantam ſuſtinere valuiſti iniuriam; ſed cùm homo eſſes rationis & diſcurſus compos, te hominem & virum præbuiſti: dum conſiderans Mahometicas nenias, iniuſtitias, mendacia &c. indagaturus rei veritatē, vniuerſas dubitationes in librum vnum cogens hucuſque miſiſti, vt reſponſionem acciperes. Et gaudeo, quia quod fieri debuerat exequutus es, oppoſita prętermittens. Nam cùm duo pręciperet Alchoranus: vnum, vt gladio lex inducatur & ſeruetur: Alterum, vt Mahometani de Scripturæ & fidei dubijs Chriſtianos ſciſcitentur, & Chriſtianis fidē præſtent, vt ſupra ex cap. *De Iona* dictum eſt, tu te hominem præſtitiſti, non belluā; dū humanis armis, non bellicis ſeu belluarū, de pertinentibus ad fidem inquiſiſti, gladium tanquam feræ inſtrumentum deſpiciens, & rationem ſeu argumentorum vim, tanquam proprium hominis gladium, acuens. Ecce ſubtiliſſimis tuis obiectionibus reſponſionem damus: quam niſi copioſo famulatu comitaretur veritas, in tam numeroſo & arguto tuarum obiectionū apparatu, aridi mei ſermonis humilitas vix appareret. Sed nimia veritatis copia, & redundans Chriſtianæ certitudinis affluentia, imò vaſtum Diuinæ auctoritatis pelagus, mirum non eſt, ſi tuarum obiectionum incendium, quamuis ardentiſſimo ingenij tui igne ſuccenſum, tamquam ſcintillam vnam reſtinguat: cedunt enim omnia veritati, & vniuerſa Creatori ſubijciuntur.

Cæterùm infra dum de Mahometo agemus, iniuſtitia à legiſlatore proueniens magis conſtabit.

Cum igitur Alchoranica lex nō ſeruet pietatem erga Deum: non clementiam erga proximum: nec iubeat ſeruari honeſtatem erga ſe ipſum: iniuſtitiam vniuerſam conuincitur inſtituere, & omnem iuſtitiam profligare. At omnes iuſtitiæ Domini rectæ, cùm nulla ratione à rectitudine deflectant, aut aliquo modo recedant. Ergo Alchoranica lex, tantum à iuſtitia & rectitudine aberrans, non poteſt dici lex Domini.

SECTIO IV.

An Alchoranica lex corda lætificet.

QVòd ſi lex recta non eſt, neque lætificans corda dici poteſt: quia à rectitudine lætitia cordis prouenit, ita vt quod rectum non eſt, vt inquit Auguſtinus in pſalmum 36. & alibi, neceſſariò triſtitiam ſecum ferat. Eamque triſtitiam experiuntur vxores Mahometanorum, cùm ſuos viros ſuos non eſſe conſpiciunt, ſed aliarum, prout virorum libido poſtulat; & quod peius eſt, earumque adauget triſtitiam, & zelotypiæ ſtimulos magis reddit acutos, conſpicere ex legis Mahometi ordinatione, vbi ſuprà, viros ſuos plerumque eſſe ancillarum potius quàm vxorum.

Mahomettica lex neque lætificat corda, ſed angit.

Prætermitto hic breuitatis cauſa pleraque alia quæ in lege Mahometi triſtitiam pluribus inferunt: cùm enim vtilitatem omnium adæquatè non proſpiciat, vt viſum eſt, neceſſe eſt vt eos, quibus non proſpicit, triſtitiæ dolor angat & excruciet.

Non ita Chriſti lex, cuius tanta eſt rectitudo & iuſtitia, vt de ipſa dictum per Prophetam intelligatur. *Iuſtitiæ Domini rectæ lætificantes corda.* Et vt inquit Auguſtin. hunc eundem pſalmi verſiculum explicans. *Omnes Iuſtitiæ Domini in illo rectæ, qui non docuit, quod ipſe non fecit; vt qui imitarentur, corde gauderent, in eis quæ liberè cum charitate facerent, non ſeruiliter cum timore.* Non enim Chriſtus rectam legem alijs tantummodò præſcribebat verbis, ſed & operibus, & eius legis exequutione, exemplum præbebat. Imò arctiora & perfectiora perficiens, tamquam virtutum exemplar ſemetipsũ omnibus exhibebat, vt patet in Euangelijs: vnde Lucas initio libri Actuum Apoſtolorum dicere poſſet: *Ieſus cæpit facere & docere.* Vt eius ſubditi cum cordis lætitia & promptis animis poſt ſuum Regem, ad eius præcepta complenda properarent, cùm ipſummet Regem præceptum ſuum priùs cernerēt exequentem, adeo vt diceret: *Venite poſt me.* Et, *Qui ſequitur me.* Et, *Qui vult venire poſt me &c.* Et ita ſui legiſlatoris non ſolum audientes verba, ſed & intuentes exempla, feſtiui atque hilares eius veſtigia ſequuntur. Vt compleatur quod

fuerat per Iſaiam cap.9. prænunciatum. *Lætabuntur coram te ſicut qui lætãtur in meſſe: ſicut exultant victores capta præda, quãdo diuidunt ſpolia.* & ſtatim ſubiũgit eius lætitiæ cauſam, *Iugum enim* (inquiens) *oneris eius ſuperaſti*: quia ſcilicet Deus legis iugum omni eſſet onere leuaturus cùm aduenisset in carne, de quo ibi eſt ſermo: non ſolùm ipſum legis iugum leniorem reddens oleò gratiæ, prout cap. ſequenti prædixit: *Auferetur onus eius de humero tuo, & computreſcet iugum à facie olei*; Sed & faciens leniorem ſui laboris conſortio. Vt leuiſſimum fieret Euangelicæ legis iugum; non tantùm per gratiam ſ roborante Dei auxilio; ſed etiam per exemplum, præeunte Chriſti veſtigio.

At non talis Alchoranica lex. Mahometes enim cæteris legem præſcribebat, quam ſibi in pluribus relaxabat, ad propria commoda legem ferens: vt ſupra viſum eſt: Adeo vt non lętitia ſubditorum corda exhilararet, ſed graui triſtitiæ iugo præmeret, cùm cerneret legiſlatorem, peculiarem ſibi legem ſtatuere, ampliorem, & laxiorem: ita vt in arctioribus præceptis ab eo præſcriptis, non haberent, non modò exemplum prophetæ præeuntis, ſed nec ſequentis imitationem, aut adiutorium: idque ex legibus ſibi peculiariter relaxatis, ſupra recenſitis, patet; & ex alijs pluribus, Alchoranum cæteroſque Mahometicæ ſectæ libros inſpicienti, facilè patebit: Vnde animi triſtitia inſurgat neceſſe eſt; & cordis amaricatio potiùs excitetur, quàm gaudium & lętitia.

Itaque Mahometi lex neque recta eſt, neque lætificans corda; qualis Dei lex eſt, teſtante Propheta illis pſal.18. verbis. *Iuſtitiæ Domini rectæ lætificantes corda.*

CAPVT

CAPVT VI.

Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

HAnc aliam conditionem diuinæ legis annectit prædictis Propheta, ſignificans, Dei legem claram eſſe & perſpicuam, ita in ſe, vt etiam illuminet alios. Primò dicit lucidam eſſe, quia ſcilicet clara & perſpicua eſt, & ſuiſmet præceptis ſignificat ſe eſſe diuinam.

Diuina lex ſuiſmet præceptis ſe diuinam profert.

Eam conditionem ineſſe legi Euangelicæ patet ex dictis: tanta enim eſt eius ſanctitas & rectitudo, vt non niſi à Deo præcipi potuiſſe, conſiderantibus pateat. Alchoranus verò à rectitudine tam aliena præcipit, vt potius lucida in contrario ſenſu videatur; nempe ita vt clarè colligatur, à Deo eſſe non poſſe.

Poteſt in alio ſenſu accipi luciditas Diuini præcepti: nempè, vt ſignificet, illud non eſſe confuſum & dubium, an hoc vel illud præcipiat, ſed clarè & apertè Dei voluntatem indicet. Et talis luciditas in omnibus Euangelicæ legis præceptis conſpicitur, oculis vitiorum velamento aut paſſionis tegumento non obumbratis. Singula enim eius præcepta Dei voluntatem clarè indicant: & Euangelium clarè loquitur: ſemper idem aſſerens, ſemper idem præcipiens; numquam verò prohibens quod præceperat, aut retractans. vnde Chriſtus, Io. 18. num. 20. ſeu ſect. 39. *Ego palàm loquutus ſum mundo, & in occulto loquutus ſum nihil.*

Diuina lex clara & perſpicua.

Alchoranus verò tanta eſt diuerſorum præceptorum varietate confuſus, vt ſępè quid ſibi velit ignoretur; & ex multis libet pauca referre, vt ex paucis cætera cognoſcãtur. Dicit quidem ipſe; in Dei lege non eſſe mutationem & variationem, idque ſępè repetit, prçſertim سورة الفاطر cap. *De Creatore*, non longè à fine. At in vno locó præcipit vnum, in aliò verò præcipit aliud, vt cap. 4. cui titulus eſt سورة المايدة *De Menſa.* ſub initium; De cibis vetitis ſic inquit.

Alchoranica lex confuſa & anceps.

أحل لكم ليلة الصيام الرفث الى نسائكم هن لباس
لكم وانتم لباس لهن علم الله انكم كنتم تختانون
انفسكم فتاب عليكم وعفى عنكم فالآن باشروهن و
ابتغوا ما كتب الله لكم وكلوا واشربوا حتى يتبين
لكم الخيط الابيض من الخيط الاسود من الفجر ثم اتموا الصيام
الى الليل ولا تباشروهن وانتم عاكفون في المساجد تلك
حدود الله فلا تقربوها ۝

Ideſt. *Licet vobis noctæ ieiunij accedere ad vxores veſtras: ipſæ ſint indumentum vobis, & vos indumentum ipſis, nouit Deus quòd vos fraudatis voſmetipſos, & clementer agit vobiſcum, & parcit vobis. Igitur commiſcemini cum eis, & inquirite quod præſcripſit vobis Deus, & comedite & bibite vſque dum diſtinguere poſſitis filum album à filo nigro ex illuceſcente aurora. Deinceps complete ieiunium vſque ad noctem: & ne commiſceamini cum eis: Sed perſiſtite in templis. Hæc ſunt præſcripta Dei: non igitur tangatis eas.* His verbis ieiunium inſtituit.

Sed animaduertite quæſo ieiunij modum. Vt ſcilicet die tantùm ieiunij: ideſt quandiù Sol intra Orizontis lineam feratur, illicita ſit omnis commeſtio, omnis etiam tactus, propriæ etiam vxoris. At ante ſolis ortum, & poſt ſolis occaſum, bibant & ingurgitentur crapula & ebrietate & copula, vſque dum illuceſcat aurora. Et quale ieiunium eſt interdiù cibo abſtinere, ſi noctu quis crapuletur? Certè ſufficiet carni, infra vigintiquatuor horas, poſſe duodecim horarum ſpatio ventri indulgere: reliquæ enim duodecim ſomno poſt crapulam debentur: nec enim commodè poſt crapulam mens poteſt orationi vacare, cibi & potus adhuc nimietate grauata. Vnde nihil abſtinentiæ ea in ieiunandi formula continetur; niſi tantùm variatio temporis, nempe vt noctu fiat quod aliàs inter-

diù fiebat, & è contra; ita vt nox in diem, & dies in noctem vertatur. Quare nec carni quicquam detrahitur, & ſpiritui nihil tribuitur: Niſi fortè ſpiritui ratio conuenientiæ detrahatur, dum temporis conuenientia permutatur: quod quidem rationi derogat potiùs, quàm quicquam arroget, vt de ſe patet: Sapiens enim ſeruat tempus, & prudentis eſt temporis ſeruare opportunitatem: ſicut è contra, proprium imprudentis & ſtulti eſt, temporis rationem negligere, teſtante ſapientia, Eccleſiaſtici 20. num. 7. illis verbis. *Laſciuus, & imprudens, non ſeruabunt tempus*. Mahometica igitur importuna commeſtionis permutatio potiùs prudentiæ & rationi officit, quàm proſit: & nocturna crapula & copula corpus cogit potiùs ad dormitionem, quàm excitet animum ad orationem. Vt ſic nequeat Mahometus, nec etiam in fauorabilibus pro ratione & ſpiritu, fauoris modum tenere: vt in omnibus carnis partes ſuſcipiat, & carnem ſpiritui, ſenſum rationi, proponat; & rectum humanæ mentis affectum effrenatæ ſenſuum cõcupiſcentiæ omninò conetur ſubſternere. Vt non ſolùm Tyrannidem exerceat, Oligarchiam ſtatuat; ſed etiam, nobilitate ſpiritus ac ratione deſpecta, popularem ſeu carnalem ſtatum inſtituat: Vt omnem tortuoſitatem, quæ legem à rectitudine diſtrahit, Alchoranica lege Mahometus complectatur. Et vt inſuper eam iam plenam iniuſtitiam reddat aſperiorem, aſſumit in omnibus titulum Prophetiæ, & fucum honeſtatis, virtutis, & iuſtitiæ. Vt ſecundum Philoſophi ſententiam 7. Ethicorum cap. 6. eò eſſet iniuſtior, quò fallacior: eò iniquior, quò fucatiorem iniquitatem exercens, haberi voluit æquior & ſanctior.

Itaquè cùm omnis rectitudo legis (vt ipſamet veritas teſtatur Matt. 22. ſect. 74.) ex illis duobus pendeat mandatis. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. & proximum tuum ſicut te ipſum*. Quibus homo, ad perficiendam omnem iuſtitiæ plenitudinem, ordinatur ad Deum, vt eum piè colat; ad ſe ipſum, vt ab immunditijs ſe honeſtè cuſtodiat: ad proximum, vt eum iuſtè & clementer diligat. Mahometus vt vniuerſam diſtorqueat iuſtitiæ rectitudinem. Primò loquitur blaſphemias, aſſerens, Deum ea præcipere turpia quæ præcipit Alchoranus: vt ſit impius in Deum, ſimilis illis, de quibus ipſe dicit, *Mahometica lex omnẽ iuſtitiam frangit.*

ſe dicit,

ſe dicit سوره الاعراف cap. *De muro*. Aliquanto poſt initium

وَإِذَا فَعَلُوا فَاحِشَةً قَالُوا اللَّهُ أَمَرَنَا بِهَا ۞

Ideſt. *Et quando perpetrarint turpia, dicunt: Deus præcepit nobis vt hæc ageremus*. Secundò ſtatuit Tyrannidem, & Oligarchiam: vt ſit iniuſtus in proximum. Tertiò popularem quoque ſtatum, ſeu carnalem vitam præcipuè inſtituit ſibi: vt ſit inhoneſtus in ſe ipſum. Vt ita omnes lædens vniuerſam iuſtitiam perdat.

Inſuper præceptum quod ſuis tantopere commendat tam in Alchorano cap. de توبة *Pœnitentia* ſeu *De gladio* & alibi, ſicut etiã in Sonna, vt occidant oẽs niſi fiant Mahometani: nõne euidens eſt iniuſtitia contra proximum? ſed fortè reſpõdebit quis, hoc fuiſſe præceptũ ad hoc vt omnes fideles fierẽt & ſaluarentur. At hoc falſum eſt, quia Alchoranica lex mergit ſe ſuſcipientes in perditionẽ, & non ducit ad paradiſi gloriam, vt patet ex dictis, & magis ex dicendis patebit. Sed hoc etiam præciſo: Quomodo poteſt hæc ratio aſſignari, tàm iniuſti tamque immitis præcepti, à Mahometanis; cum ipſemet Alchoranus cap. 1. & cap. 4. tam apertè aſſerat, Iudæos, Chriſtianos, & etiam Paganos per ſuam legem ſaluari, & paradiſi gloriam conſequi? cur igitur præcepit eos ab ea lege etiam vi & armis deterreri, per quam, iuxta eius ſententiam, ſalutem aſſequuntur? certè non alia de cauſa, niſi vt in hoc etiam vim proximis inferret: & vt ex ore ſuo ſemetipſum Mahomet damnaret: dicit enim cap. 2. Alchorani cui tit. *De familia Amrani*, 2. vel 3. circiter pag. ſub initium.

إِنَّ الَّذِينَ يَكْفُرُونَ بِآيَاتِ اللَّهِ وَيَقْتُلُونَ النَّبِيِّينَ بِغَيْرِ حَقٍّ وَيَقْتُلُونَ الَّذِينَ يَأْمُرُونَ بِالْقِسْطِ مِنَ النَّاسِ فَبَشِّرْهُمْ بِعَذَابٍ أَلِيمٍ ۞

Ideſt. *Certè quod infideles Dei legi, & interfectores Prophetarũ* in-

iniuſtè, & illi qui occidunt homines iuſta præcipientes ſeu *operantes (prænuncia hoc illis) quòd ſubijcientur acerbiſſimis pœnis*; Dum ergo Mahomet iubet occidentes Chriſtianos, Iudęos, Paganos &c. quos ipſe dicit paradiſi gloriam adepturos, vtique ex ſua ſententia, non niſi iuſtos præcipit occidendos: paradiſum namque non niſi iuſti conſequuntur. Ergo ex ipſomet Alchorano, Mahometo iuſtorum interfectori pœna debetur acerbiſſima; tanquã iniuſto, & iniuſtè proximo vim inferenti.

Ex his igitur ſatis euidenter colligimus, omnem iniuſtitiam in Mahometi legem vndequaque confluere, dum etiam ipſius vniuerſa cauſarum principia in illam non niſi iniuſtitiam influunt: Iniuſtitiam in Mahometi legem inſtruit cauſa finalis, nempe finis quo impulſus eſt Mahomet ad Alchoranicam legem effingendam. Quia finis non fuit commune bonum, veram probatum eſt, ſed propriæ libidinis expletio, dominandi ardor, loci ſuperioris ambitio, inanis gloriæ apud homines captatio, temporalium diuitiarum appetitus; ad omnia quæ vtilitatem, vel faſtum, vel præcipuè delectationẽ carnis ſapiunt anhelatio. Propterea tot tãtoſq. titulos ſanctitatis, & excellentiæ vſurpat, ſe ſigillum Prophetarum, Dominum Sanctorum, & omnium ſanctiſſimum, & Redemptorem omnium iactat, ſuumque nomen cum Dei nomine in cælis, & in ipſomet Dei ſolio adnotatum & inſculptum: & alia complura quæcumque excogitare potuit glorioſa & eminentia. Propterea ſibi & Deo deberi omnia, ſpolias & exuuias omnemque prędam: Propterea quoque, & præcipuè, tantam ſegetem fæminarum ſibi præparat, & peculiares leges in eo negotio ſibi ſtatuit. Hic nempe finis Mahomet, non communis vtilitas, non commune bonum: vt in ſuam legem finis ipſe iniuſtitiam & non æquitatem, quantum in ſe eſſet, influeret.

Quòd ſi iniuſtitiam in Mahometi legem cauſa finalis ingerit, poteritne in eamdem fortè juſtitiam cauſa efficiens ingerere, cũ per finalẽ efficiens impellatur & efficientis ſit finis moderator? At à tali fine infectus agens, quid aliud poterat efficere, niſi effectum infectioni proportionatum? Nec enim conceptus viperæ columbinum excludit partum, neque mens vitijs grauidata virtutes parit. Quare Mahometi mens tali fine turgeſcens, alium non ualuit excludere partum, quàm Alchorani Tyrannidem, Oligarchiam, popularem ſeu carnalem ſtatum, impie-

impietates in Deum, iniquitates in proximum, turpitudines præcipuè in ſe ipſum: vt ſuæ legis intentum non niſi circa indebitam materiam verſaretur: & ſuæ legis forma non niſi iniuſtitiam redoleret: atque vt omnes Alchoranicam legem apertis oculis ſine paſſionis velamine inſpicientes, exhorreſcerēt tantum iniuſtitiæ monſtrum, obſtupeſcerent talem ſuſceptam hominibus impoſturam.

Talis igitur forma, talis materia, talis finis Mahometicæ legis. Qualis ergo efficiens? Qualis legiſlator? Qualis Alchorani dator? Reſpondet Mahomet: Deus. Proh impoſtura! Deus non iubet turpia, non inhoneſta, non iniuſta. Sed reſpondet prudens quiſque & ſapiens & aduertens: Alchorani dator Mahometus, vel melius Alchorani dator diabolus, qui iubet turpia, iniuſta, & inhoneſta, prout etiam Alchoranus ſæpe teſtatur à cap. 1. incipiens.

ألشيطان إنه لكم عدو مبين إنما يأمركم بالسوء
والفحشاء ۞

Ideſt. *Diabolus certè eſt vobis hominibus inimicus manifeſtus, nam præcipit vobis iniqua, & turpia*: & huiuſmodi pluries repetit. Cùm igitur tot iniqua & inhoneſta Alchoranica lex cōtineat, benè ex ipſomet Alchorano infertur, Alchorani datorē fuiſſe diabolum: ſed & ipſe Alchoranus ſignificat ipſius auctorem diabolum fuiſſe, vt patet سورة الاحقاف poſt medium, vbi inducit Mahomet diabolos, talia de Alchorano loquentes.

إنا سمعنا كتابا أنزل من بعد موسى مصدقا لما بين يديه
يهدي إلى الحق وإلى طريق مستقيم ۞

Ideſt. *Certè nos audiuimus librum ſeu Scripturam, quæ data eſt poſt Moyſen, ratum faciens quod eſt præ manibus eius, & dirigit*

git ad veritatem, & in viam rectam. Hæc ſunt verba Diaboli de Alchorano loquentis, in ipſomet Alchorano appoſita. Quis credat igitur Mendaciorum patri? Quis fidem præſtet Diabolo? illi de quo etiam Alchoranus toties repetit, non niſi ad impia, iniuſta, & vniuerſa mala homines impellere, vt per mendaciorũ anfractus eos ſecum in gehennam pertrahat?

Et c. de *Diabolis* سورة الجن repetit, Diabolos eſſe Mahometicæ legis profeſsores, & Alchorani legẽ ſuſcepiſſe. Ergo, ipſomet fatente Mahomet & Alchorano, verè dici poteſt, Diabolum Alchorani & Mahometicę legis auctorem extitiſſe.

Sed & Mahometus, tamquam Diaboli miniſter, Alchorani auctor fuit; Mahometus inquã ille, qui cũ eſſet Idololatra, animaduertens facilè ſe poſſe Mechenſibus idolorum cultoribus & ſimplicibus & rudibus circa Dei culturam ad ſua commoda machinari impoſturam, auſus & machinatus eſt. Mahometus (non ad iniuriam loquor ſed ad veritatis oſtenſionem nec vlli grauis vel dura cenſenda eſt locutio, de quibus conſtat Mahometi operatio; nec apud Mahometanos indecens reputari debet, ibi verba proferre, vbi Mahometus protulit actiones) Mahometus, igitur, ille qui poteſtatem quam nec habebat, ſed nec aliàs obtinere poterat ad legem ferendam, quia non erat Dominus, non Rex, non Imperator, per aſtutiam fraudulenter vſurpauit. Mahometus ille, qui titulos & nomen ſibi aſcribebat virtutum, ſed actiones exercebat vitiorum. Mahometus ille, qui diuinam iactabat voluntatem; ſed eo nomine ſuam fucare intendebat prauitatem. Mahometus ille, qui legem Dei ſimulauit; ſed tot tantaque iniuſta ordinauit. Mahometus ille, qui noſcens effictam ſuam legem ante rationis examèn non poſſe ſubſiſtere, præcepit, vt non ratione, ſed gladio eam ſubditi tuerentur: nempe vt ſuam cauſam tanquam bruta & beſtiæ, poſtpoſito rationis diſcurſu, quod proprium hominis eſt, vnguibus & dentibus agerent. Et ita gladio vult Mahometus ſuam legem in hominum animum inducendam, non ſuaſione & ratione: & gladio inducitur, & gladio ſeruatur, & gladio prædicatur: ſic enim ſolent dum concionantur Mahometici concionatores, gladium euaginatum toto concionis tempore præ manibus habere. Nempe vt ex eo etiam palàm fiat, effi-

Ii cien-

cientem Mahometicæ ſectæ cauſam, gladium eſſe, nō rationem: vt vis, quæ recuſanti eam legem ſuſcipere, iniuſtè infertur, inferat & oſtendat, iniuſtitiam in talem legem non ſolùm prouenire ex cæteris cauſis eius; nempe finali, materiali, & formali, ſed etiam ex efficienti. Vt confluentes viciſſim vniuerſi vitiorum fontes in Alchoranicam legem vndequaque, tamquam in iniuſtitiæ pelagus influant. Sed gratulor tibi quod non tantam ſuſtinere valuiſti iniuriam; ſed cùm homo eſſes rationis & diſcurſus compos, te hominem & virum præbuiſti: dum conſiderans Mahometicas nęnias, iniuſtitias, mendacia &c. indagaturus rei veritatē, vniuerſas dubitationes in librum vnum cogens hucuſque miſiſti, vt reſponſionem acciperes. Et gaudeo, quia quod fieri debuerat exequtus es, oppoſita prętermittens. Nam cùm duo pręciperet Alchoranus: vnum, vt gladio lex inducatur & ſeruetur: Alterum, vt Mahometani de Scripturæ & fidei dubijs Chriſtianos ſciſcitentur, & Chriſtianis fidē præſtent, vt ſupra ex cap. *De Iona* dictũm eſt, tu te hominem præſtitiſti, non belluā; dū humanis armis, non bellicis ſeu belluarũ, de pertinentibus ad fidem inquiſiſti, gladium tanquam feræ inſtrumentum deſpiciens, & rationem ſeu argumentorum vim, tanquam proprium hominis gladium, acuens. Ecce ſubtiliſſimis tuis obiectionibus reſponſionem damus: quam niſi copioſo famulatu comitaretur veritas, in tam numeroſo & arguto tuarum obiectionū apparatu, aridi mei ſermonis humilitas vix appareret. Sed nimia veritatis copia, & redundans Chriſtianæ certitudinis affluentia, imò vaſtum Diuinæ auctoritatis pelagus, mirum non eſt, ſi tuarum obiectionum incendium, quamuis ardentiſſimo ingenij tui igne ſuccenſum, tamquam ſcintillam vnam reſtinguat: cedunt enim omnia veritati, & vniuerſa Creatori ſubijciuntur.

Cæterùm infra dum de Mahometo agemus, iniuſtitia à legiſlatore proueniens magis conſtabit.

Cum igitur Alchoranica lex nō ſeruet pietatem erga Deum: non clementiam erga proximum: nec iubeat ſeruari honeſtatem erga ſe ipſum: Iniuſtitiam vniuerſam conuincitur inſtituere, & omnem iuſtitiam profligare. At omnes iuſtitiæ Domini rectæ, cùm nulla ratione à rectitudine deflectant, aut aliquo modo recedant. Ergo Alchoranica lex, tantum à iuſtitia & rectitudine aberrans, non poteſt dici lex Domini.

SE-

SECTIO IV.

An Alchoranita lex corda lætificet.

QVòd ſi lex recta non eſt, neque lætificans corda dici poteſt: quia à rectitudine lætitia cordis prouenit, ita vt quod rectum non eſt, vt inquit Auguſtinus in pſalmum 36. & alibi, neceſſariò triſtitiam ſecum ferat. Eamque triſtitiam experiuntur vxores Mahometanorum, cùm ſuos viros ſuos non eſſe conſpiciunt, ſed aliarum, prout virorum libido poſtulat; & quod peius eſt, earumque adauget triſtitiam, & zelotypiæ ſtimulos magis reddit acutos, conſpicere ex legis Mahometi ordinatione, vbi ſupra, viros ſuos plerumque eſſe ancillarum potius quàm vxorum. *Mahomettica lex neque lætificat corda, ſed angit.*

Prætermitto hîc breuitatis cauſa pleraque alia quæ in lege Mahometi triſtitiam pluribus inferunt: cùm enim vtilitatem omnium adæquatè non proſpiciat, vt viſum eſt, neceſſe eſt vt eos, quibus non proſpicit, triſtitiæ dolor angat & excruciet.

Non ita Chriſti lex, cuius tanta eſt rectitudo & iuſtitia, vt de ipſa dictum per Prophetam intelligatur: *Iuſtitiæ Domini rectæ lætificantes corda.* Et vt inquit Auguſtin. hunc eundem pſalmi verſiculum explicans: *Omnes Iuſtitiæ Domini in illo rectæ, qui non docuit, quod ipſe non fecit: vt qui imitarentur, corde gauderent, in eis quæ liberè cum charitate facerent, non ſeruiliter cum timore.* Non enim Chriſtus rectam legem alijs tantummodò præſcribebat verbis, ſed & operibus & eius legis exequutione, exemplum præbebat. Imò arctiora & perfectiora perficiens, tamquam virtutum exemplar ſemetipſũ omnibus exhibebat, vt patet in Euangelijs: vnde Lucas initio libri Actuum Apoſtolorum dicere poſſet: *Ieſus cæpit facere & docere.* Vt eius ſubditi cum cordis lætitia & promptis animis poſt ſuum Regem, ad eius præcepta complenda properarent, cùm ipſummet Regem præceptum ſuum priùs cernerēt exequentem, adeo vt diceret: *Venite poſt me.* Et, *Qui ſequitur me.* Et, *Qui vult venire poſt me &c.* Et ita ſui legiſlatoris non ſolum audientes verba, ſed & intuentes exempla, feſtiui atque hilares eius veſtigia ſequuntur. Vt compleatur quod

fuerat per Iſaiam cap.9. prænuntiatum. *Lætabuntur coram te ſicut qui lætātur in meſſe: ſicut exultant victores capta præda, quādo diuidunt ſpolia.* & ſtatim ſubiūgit eius lætitiæ cauſam, *Iugum enim* (inquiens) *oneris eius ſuperaſti*; quia ſcilicet Deus legis iugum omni eſſet onere leuaturus cùm aduenisſet in carne, de quo ibi eſt ſermo; non ſolùm ipſum legis iugum leniorem reddens oleo gratiæ, prout cap. ſequenti prædixit: *Auferetur onus eius de humero tuo, & computreſcet iugum à facie olei*; Sed & faciens leniorem ſui laboris conſortio: Vt leuiſſimum fieret Euangelicæ legis iugum; non tantùm per gratiam roborante Dei auxilio; ſed etiam per exemplum, præeunte Chriſti veſtigio.

At non talis Alchoranica lex: Mahometes enim cæteris legem præſcribebat, quam ſibi in pluribus relaxabat, ad propria commoda legem ferens: vt ſupra viſum eſt. Adeo vt non lętitia ſubditorum corda exhilararet, ſed graui triſtitiæ iugo præmeret, cùm cernerēt legiſlatorem, peculiarem ſibi legem ſtatuere, ampliorem, & laxiorem: ita vt in arctioribus præceptis ab eo præſcriptis, non haberent, non modò exemplum prophetæ præeuntis, ſed nec ſequentis imitationem, aut adiutorium. idque ex legibus ſibi peculiariter relaxatis, ſupra recenſitis, patet; & ex alijs pluribus, Alchoranum cæteroſque Mahometicæ ſectæ libros inſpicienti, facilè patebit: Vnde animi triſtitia inſurgat neceſſe eſt; & cordis amaricatio potiùs excitetur, quàm gaudium & lętitia.

Itaque Mahometi lex neque recta eſt, neque lætificans corda; qualis Dei lex eſt, teſtante Propheta illis pſal.18. verbis. *Iuſtitiæ Domini rectæ lætificantes corda.*

CAPVT

CAPVT VI.

Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

HAnc aliam conditionem diuinæ legis annectit prædictis Propheta, ſignificans, Dei legem claram eſſe & perſpicuam, ita in ſe, vt etiam illuminet alios. Primò dicit lucidam eſſe, quia ſcilicet clara & perſpicua eſt, & ſuiſmet præceptis ſignificat ſe eſſe diuinam.

Diuina lex ſuiſmet præceptis ſe diuinam profert.

Eam conditionem ineſſe legi Euangelicæ patet ex dictis: tanta enim eſt eius ſanctitas & rectitudo, vt non niſi à Deo præcipi potuiſſe, conſiderantibus pateat. Alchoranus verò à rectitudine tam aliena præcipit, vt potius lucida in contrario ſenſu videatur; nempe ita vt clarè colligatur, à Deo eſſe non poſſe.

Poteſt in alio ſenſu accipi luciditas Diuini præcepti: nempè, vt ſignificet, illud non eſſe confuſum & dubium, an hoc vel illud præcipiat, ſed clarè & apertè Dei voluntatem indicet. Et talis luciditas in omnibus Euangelicæ legis præceptis conſpicitur, oculis vitiorum velamento aut paſſionis tegumento non obumbratis. Singula enim eius præcepta Dei voluntatem clarè indicant: & Euangelium clarè loquitur: ſemper idem aſſerens, ſemper idem præcipiens; numquam verò prohibens quod præceperat, aut retractans. vnde Chriſtus, Io. 18. num. 20. ſeu ſect. 39. *Ego palàm loquutus ſum mundo, & in occulto loquutus ſum nihil.*

Diuina lex clara & perſpicua.

Alchoranus verò tanta eſt diuerſorum præceptorum varietate confuſus, vt ſępè quid ſibi velit ignoretur; & ex multis libet pauca referre, vt ex paucis cætera cognoſcãtur. Dicit quidem ipſe; in Dei lege non eſſe mutationem & variationem, idque ſępè repetit, pręſertim سورة الفاطر cap. *De Creatore*, non longè à fine. At in vno locò præcipit vnum, in aliò verò præcipit aliud, vt cap. 4. cui titulus eſt سورة المايدة *De Menſa.* ſub initium, De cibis vetitis ſic inquit.

Alchoranica lex confuſa & anceps.

حُرِّمَتْ عليكم المَيْتَةُ والدَّمُ ولَحْمُ الخِنْزِيرِ وَمَا أُهِلَّ لِغَيْرِ اللهِ بِهِ وَ
المُخْنِقَةُ وَالمَوْقُوذَةُ وَالمُرَدِّيَةُ وَالنَّطِيحَةُ وَمَا أَكَلَ السَّبُعُ ۞

Ideſt. *Prohibita ſunt vobis morticinum, & ſanguis, & caro porcina, & quod Idolo ſacrificatum eſt, & ſuffocatum, & combuſtum, & proiectitium, & cornu percuſſum, & à beſtijs occiſum.*

Nouem ergo genera prohibita eſſe inquit. At cap. الانعام *De animalibus.* verſus finem, alio modo loquitur his verbis

قُلْ لَا أَجِدُ فِيمَا أُوحِيَ إِلَيَّ مُحَرَّمًا عَلَى طَاعِمٍ يَطْعَمُهُ إِلَّا أَنْ يَكُونَ
مَيْتَةً أَوْ دَمًا مَسْفُوحًا أَوْ لَحْمَ خِنْزِيرٍ فَإِنَّهُ رِجْسٌ أَوْ فِسْقًا أُهِلَّ
لِغَيْرِ اللهِ بِهِ ۞

Ideſt. *Dic: non inuenio in eo quod mihi reuelatum eſt, eſſe prohibitum vt comedatur, niſi morticinum, aut ſanguis effuſus, aut caro porci, aut immolatum Idolis.* Hic ergo quatuor tantùm prohibita eſſe dicit, & non plura, ibi autem aſſerit prohibita illa nouem. Peto quodnam præceptum vim habebit, cui nam loco fides habenda eſt, cui nam obtemperandum, cùm in vno prohibeat nouem, & in alio non niſi quatuor prohibita eſſe decernat? Certè non poteſt ratio pro alterutra parte praeponderare, quia Alchoranus, vt inquit سورة الدخان cap. *De fumo*, & الفرقان ideſt de *Alforcan* ſeu de Alchoran circa medium, ſimul totus deſcendit, vt ibi loquitur, جملة واحدة ideſt *Vnico contextu*, ſeu *in vnam ſummam*. Ergo vterque locus eàmdem vim habet ad præcipiendum & prohibendum. Ergo confuſum eſt hoc præceptum, animoſque reddit ancipites: Eſt in ſe obſcurum, obtenebratque oculos mentis: non ergo eſt præ-

præceptum lucidum, nec illuminans oculos.

Similiter lib. ſecundi cap. x. سورة النحل ideſt *de Ape.* circa medium, poſtquam de potu lactis, aliorumque liquorum dixit, ſic inquit pag. 263.

وَمِنْ ثَمَرَاتِ ٱلنَّخِيلِ وَٱلْأَعْنَابِ تَتَّخِذُونَ مِنْهُ سَكَرًا وَرِزْقًا حَسَنًا ۞

Ideſt. *Et ex fructibus palmarum, & vuarum, inebriamini, & ſaturabimini, ſeu potum & victum* ſiue *cibum ſumetis*. cap. autem primo lib. primi *De Vacca*, pag. mihi 34. Vinum prohibet his verbis.

يَسْـَٔلُونَكَ عَنِ ٱلْخَمْرِ وَٱلْمَيْسِرِ قُلْ فِيهِمَا إِثْمٌ كَبِيرٌ وَمَنَافِعُ لِلنَّاسِ وَإِثْمُهُمَا أَكْبَرُ مِنْ نَفْعِهِمَا ۞

Ideſt. *Sciſcitabuntur de vino & ludo: tu autem reſponde, vtrique ineſſe magnum facinus, & vtilitatem hominibus: verùm facinus vtilitatem ſuperat*; & cap. 4. المايدة *De Menſa* altiùs à fine, clarè prohibet, dicens, vinum opus eſſe Diaboli.

ٱلْخَمْرُ رِجْسٌ مِنْ عَمَلِ ٱلشَّيْطَانِ فَٱجْتَنِبُوهُ ۞

Vinum &c. eſt abominatio ex operibus Diaboli, propterea recedite ab eo. Quibus verbis videtur prohibere vinũ; in loco verò ſup. allegato permittit. Cui nam erit obtemperandum cap. 1. & 4. 1. lib. vel x. lib 2. Certè Mahometani ipſi à vino abſtinentes 1. & 4. cap obedientiam reddunt, non x. ſecundi: tamen confuſum eſt, dubiumque præceptum.

Sed & dum laudat hinc caſtitatem virginitatem puritatem, dicens beatos felices & digniſſimos eos eſſe qui virginitatem cu-

cuſtodiunt لحافظون لفروجهم pro vt loquitur Alchoranus, initio سوره المومنون cap. *De Credentibus fidelibus*, & alibi repetit:& deinde tantum commendat Mahometum, eo quòd virilem ſu m potentiam tam largiter in fœminas exerceret: quid aliud facit Alchoranus, niſi confundere mentem, & reddere animũ ancipitem; ita vt dubius & anceps ſit, An magis coli debeat virginitas, an luxuria: ex vno enim capite virginitas colenda ſuadetur: ex alio audiens quis tantum prophetam extitiſſe Mahometum, dum tam eximia libidinis exempla præberet; poſſet exinde ad tanti prophetæ imitationem potius excitari, præſertim cùm magis vrgeant exempla, quàm verba.

Plura recenſeri poſſent, ex quibus obſcuritas Alchoranicæ legis demonſtratur; verùm legẽti Alchoranum facilè patet eius confuſio, & iuanis locutio; cùm de vno in aliud, præter exigentiam & ab re, tam frequens tranſeat, cùm hiſtoriarum ſeries confundat, cùm pluries idem repetat, eamdemque narrationem multoties incipiens nunquam ad finem perducat. Moyſis natiuitatem & vitam ferè in omnibus Alchorani capitibus narrat. Hiſtoriam ſimiliter Abraham, Sodomę item & Loth, Eliæ, Samuelis, Gedeonis, Dauidis, Salomonis, Zachariæ, Ioannis Baptiſtæ, cæteraſque in ſacra Scriptura per ſeriem ordinatè narratas, ita Alchoranus permiſcet & confundit, & fabuloſa intermiſcet, vt clarè ſuam obſcuritatem & confuſionem oſtendat, legentiumque animos confundat.

Legito quæſo, Ahmed eruditiſſime, Alchoranum, & in iis locis qui certè frequentiſſimi ſunt, in quibus ex lib. Torâ ſeu Moyſis Pentateucho cæteriſque Veteris teſtamenti libris, aliquid meminit: conferto ſimul cum ipſo Alchorano Chriſtianorum Scripturam, & ex collatione clarè perſpicies, vter veram hiſtoriæ narrationẽ proferat, vter verò confundat. Ego enim & contuli, & ex collatione non aliud mihi viſum eſt, quàm ex vna parte Alchoranus, modò hæc modò illa tangens & nunquã proſequens, ad inſtar latronis furtim incedere: quẽadmodum enim fur, ne deprehendatur, hic modicum ſiſtit, illicò illuc fugit, nequiens patere loco vt in omnibus lateat, vndique

furtim incedens. Vel certè tamquam lacera veſtis, non ex integra conſuta panni textura, ſed tamquam ex ſciſſuris emendicata, hic partem, ibi ſciſſuram ponens, & vbique hiſtoriarum confundens ſeriem, fatetur ſeipſo ſuam faciem ementitam, ſuos emendicatos fucos. Ex alia parte Torà & Euangelium, hiſtoriarum ſeriem integrè proſequentia vſque dũ finem videant; oſtendunt, ſe non timere mendacij deprehenſionem: & quaſi integra veſtis, non ex collectis ſciſſuris emendicata, ſed ex integra tela contexta, ſe ipſis ſuam loquuntur integritatem. Alchoranus quippe nõ ideo cõplura ex S. Scriptur. recenſuiſſe deprehenditur; vt vera Dei eloquia fateretur, ſed vt veritatis fuco ſua mendacia contegeret, nõ facilè deprehẽdenda, ſicut ſi nuda mendacia propoſuiſſet: Vt fallaciæ amaritudo, veritatis dulcedine temperata, humani intellectus guſtu non ſentiretur; quò facilè deceptus in credulitatis ventrem incautus attraheret, & mellita venena inficiendus glutiret. Propterea hæc illis permiſcet, & omnia ſimul confundit. Ad cuius probationem non aliud exquiro argumentum, niſi ipſiusmet Alchorani inſpectionem. Legito, & cum Scripturis Chriſtianorum confertо; nam collatio ipſa hoc te idem docebit.

Vnde conſtabit, Mahometi legem confuſam potius eſſe, quàm lucidam: oculos potius tenebroſos reddentem, quàm illuſtrantem.

Præterea, ex tanta quam carnalibus concupiſcentijs dat licentiam, ſimul & exemplum, imò & pollicetur præmium: nempe præmium beatitudinis carnalem copulam proponens, mulieroſum Prophetam magnificans, tantam ſegetem carnalium voluptatum parans: quid aliud facit Mahometi lex, niſi oculorum mentis aciem obtundere? Perſpicuum enim eſt, teſte ipſo Philoſophorum Principe Ariſt. 6. Ethic. cap. 5. & libro Ethic. 7. cap. 11. & 12. carnalibus delectationibus mentis aciem hebetari, & vt ipſe inquit, Delectationes corporales corrumpunt exiſtimationem prudentiæ, & inter cæteras enerues emollitaſque filias, luxuria etiam mentis cæcitatem parit. Vndè ex hoc etiam capite conſtat, Mahometi legem tenebris mentem offundere: *Præceptum* verò *Domini lucidum eſt & illuminans oculos*. Ergo Mahometi præceptum non eſt præceptum Domini.

Alchorani lex mẽtis excæcat oculos.

CAPVT VII.

Timor Domini ſanctus, permanens in ſæculum ſæculi.

PRima facie non videtur eſſe diuinę legis conditio, quam ſubnectit Propheta dicens. *Timor Domini ſanctus &c.* ſed videtur eſſe conditio tantummodo diuini timoris. Tamen ſi benè perpendatur, etiam diuinę legis eſt conditio, quia ad hoc vt ſui timorem nobis incuteret, pleraque Deus iuſſit. Vnde poſuit effectum pro cauſa dicens: *Timor Domini*, ac ſi diceret, lex Domini, *Permanens in ſæculum ſæculi*.

SECTIO I.

De Alchoranicæ legis inhoneſtate.

Diuinæ legis honeſtas & modeſtia.

PRæmittit autem prius, timorem ſeu legem Domini ſanctam eſſe: ſcilicet puram, modeſtam, honeſtam, honeſtate & modeſtia ac ſancto ſermone corda mundantem: iuxta illud Saluatoris ad diſcipulos in poſtremo accubitu, Ioannis cap. 15. ſeu ſect. 34. *Iam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem loquutus ſum vobis*. Diuina enim lex dici non poteſt, quæ immodeſtia, inhoneſtis ſermonibus, & turpitudinibus aures offendit.

Et quidem ſi Euangelica lex attendatur, ſtatim redolet ſuam honeſtatem, modeſtiam, puritatem, ſanctitatem, vt alia non indigeat probatione, niſi ipſa ſui met inſpectione.

Mahometticæ legis inhoneſtas.

Alchoranus autem ac cæteri Mahometticæ legis libri, tot tantaque inhoneſta continent & præcipiunt, vt ſine puritatis & honeſtatis iniuria nec inſpici nec proferri poſſint. Concubitus & carnales ſui paradiſi commixtiones: virilis potentia Mahometti, adulteria ipſius: copulationes etiam cum puellis

non adhuc octauum annum excedentibus: cognitio inceſtuoſa consanguinearum: vxorum multitudo, interminata Mahometi libido, cui liceret omnes conſentientes, & ſe illi offerentes proſtituere: & cætera ferè innumera, quæ eos libros, Alchoranum præſertim, legenti paſſim occurunt, tam turpia ſunt; vt ferè neceſſariò honeſta etiam corda inde ſordeſcant, & mundæ obſurdeſcant aures.

Quis honeſtus & verecundus non erubeſcet, dum audit Alchoranum capite primo pagina mihi 35. ſic loquentem.

نِسَاؤُكُمْ حَرْثٌ لَكُمْ فَأْتُوا حَرْثَكُمْ أَنَّى شِئْتُمْ ۞

Ideſt. *Vxores veſtræ ſunt aratura vobis, indite igitur araturã veſtrã ad libitum*. Ideſt adite eas tàm ſecundũ naturã, quàm contra; ſeu vt Gloſſæ eius explicant: à facie, à tergo, à latere, vel quocumque alio modo.

Cuius honeſti viri aures non offenduntur, dum audit Alchoranum eodem capite primo, paulo poſt prædicta, præcipientem, vt non liceat, vxorem tertiò dimiſſam ad ſuum virum reuerti, nec etiam ipſis conuenientibus, niſi priùs cum altero viro ſe commiſcuerit.

فَإِنْ طَلَّقَهَا فَلَا تَحِلُّ لَهُ مِنْ بَعْدُ حَتَّى تَنْكِحَ زَوْجًا غَيْرَهُ ۞

Ideſt. *Et ſi demiſerit eam* (ſcilicet vxorem, de qua loquitur) *non licebit deinceps ei* (ſcilicet qui dimiſerat eam) *niſi ſe commiſcuerit cum alio viro*.

Cuius verecundi ſenſus non obſtupeſcet, librum Aſſamail de Mahometi moribus audientes, talia referentem.

وَمِنْ سُنَّتِهِ عَلَيْهِ السَّلَامُ إِنَّهُ كَانَ يَحْضُرُ عَلَى نِسَائِهِ فِي سَاعَةٍ
وَاحِدَةٍ وَهُنَّ إِحْدَى عَشْرَةَ ۞

Ideſt. *Et ex Sonnat eius*, ſeu lege eius, *cui ſit pax: habetur quòd*

 ipſe

ipſe commiſceret ſe vxoribus ſuis intra ſpatium vnius horæ, cùm eſſent vndecim vxores.

Quis non exhorreſcet Mahometi libidinem, audiens librum Agar de Mahometo narrantem, ab eo, viro iam perfectæ ætatis ſupra trigeſimum annum, puellam quandam nomine Aſam adhuc ſeptennem aut octennem fuiſſe oppreſſam?

Quis non exhorreat turpiſſimam Mahometi gloriationem, dum iactat, ſe quadraginta etiam hominum veneream potentiã ſuperare! en de quibus gloriatur Mahometus!

Quis legens Alchoranum non ſtupeat, videns, quantus ſit in turpibus? Nunc de menſtruoſis, nunc de coniugatis, nunc de viduis, nunc de puellis, nunc de coniugio, nunc de copula, de eius modo, de qualitate, de ſitu, de tempore, & de vniuerſis quæ ad eam pertinent tam indiuiduanter diſſerens: ita vt numquam aut vix de ea re cęptum ſermonem finiat, aut ſi finierit mox reſumat; & vbi non licet per extenſum, ſaltem aliqua induſtria intermiſceat: vt Mahometi animus, quo plenus erat, id eructaret.

Sed quod Alchoranus, Alchorani gloſſę, aliique Mahomedanorum libri, Mahomedici paradiſi gloriam explicantes, aſſerunt, cuius certè vel mediocris honeſtatis lingua audebit proferre; vel ſine erubeſcentia (quamuis non erubeſcant paginæ) valeat recenſere calamus: De eo quod effingunt in futura vita, ad delectationis plenitudinem, & protenſionem turpiſſimæ illius beatitudinis per Mahometum effictæ?

At de his ſileantur plura: ne turpitudinum virus per aures infuſum in tantum excreſcat, quò ſenſus omnes perfundens corda etiam pertingat, & animæ vitam inficiat. Sufficiat tantùm aures offendiſſe, vt mens à Mahometo decepta diſcrimen ſuum animaduertat. Iam ad alia tranſeamus, ne tantum nefas peruadat animos.

SECTIO II.

De diuinæ legis conſtantia.

SEquitur. *Permanens in ſæculum ſæculi*. Hoc etiam repetit pſalmo 110. *Fidelia omnia mandata eius confirmata in ſæculum ſæculi*. Quia ſcilicet, inter cætera, durationem & ſtabilitatem quandam habet diuina lex. Vt quemadmodum eius cauſa, quæ eſt diuinus intellectus & diuina voluntas; æterna, ſtabilis, & immutabilis eſt; ita etiam diuina lex ſuæ cauſæ ſtabilitatem & immutabilitatem præſeferat. *Diuina lex permanẽs & conſtans.*

Hanc diuinæ legis conditionem pluribus in locis fatetur Alchoranus, præſertim سورة الفاطر c. *De Creatore*. circa finem, pag. mihi 419.

فَلَن تَجِدَ لِسُنَّةِ ٱللهِ تَبْدِيلًا وَلَن تَجِدَ لِسُنَّةِ ٱللهِ تَحْوِيلًا ۞

Ideſt. *Et non inueniens in lege Dei mutationem, & nequaquam inuenies in lege Dei retractationem*, Et cap. *De Iona*. ſeu سورة يونس pag. mihi 208.

لَا تَبْدِيلَ لِكَلِمَاتِ ٱللهِ ۞

Ideſt. *Non eſt retractatio in verbis Dei*. Quare nulli dubium eſt, Dei legem ſemper eamdem, ſtabilem, firmam, & immobilem eſſe.

Sed difficultatem facit diuerſitas legum, Naturæ, Scriptæ per Moyſen, & Euangelicæ per Chriſtum: quæ leges diuerſæ videntur.

Verùm ſi res benè perſpiciatur, clarè patebit, vnam & eam-

Euāgelica lex ab initio intenta, lex autem Moyſi tāquam mediū ad Euangelicam.

eamdem fuiſſe legem ab initio intentam; diuerſitatem autem legis Moyſi, per accidens, non per ſe & primò, fuiſſe inſtitutam, ſed tamquam medium ad legem Euangelicam, qua perficitur lex naturæ. Pro cuius probatione ſufficit tantùm in memoriam reuocare primam hominis conditionem, quando à Deo creatus eſt, eiuſque menti lex naturalis indita, per lumen rationis, perfecta, qualem decebat à Deo primò inſtitui. Quando inſuper, addito etiam ſupernaturali ſplendore gratiæ, eſt ita hominis menti perfectiſſima lex infuſa. At per peccatum, quod etiam Alchoranus in primo cap. fatetur, amiſit lumen gratiæ, & hebetatum eſt eius lumen naturæ. Vndè quaſi ipſa lex naturæ deperdita eſt, cùm homo ad illam ſeruandam inhabilis euaſiſſet; cùm ſine adminiculis, illius perfectionem ſubſtinere non poſſet: quia amiſerat omnia dona ſupernaturalia, & infirmatus erat in naturalibus; ita vt liberum eius arbitrium non eſſet ad benè operandum, iuxta legis rationem, expeditum. Indigebat gratia, & diuinis præſidijs, quibus à lapſu erigeretur, & ad rectè agendum firmaretur.

Propterea Deus iam tunc ab initio, ſtatim poſt hominis lapſum, Redemptorem illi promiſit, legiſque Euangelicæ inſtitutionem per eumdem Redemptorem, vt habetur Geneſis 3. quando Deus ad ſerpentem comminans dixit: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius, ipſa conteret caput tuum &c.* Quæ verba de Chriſto dicta eſſe ſuperiùs probauimus. Et Alchoranus cap. 1. fatetur etiam, homini poſt lapſum, Redemptorem à Deo promiſſum, & per illum legem inſtituendam: eius verba hæc ſunt pag. mihi 6. ſub initium primi cap. *De Vacca.*

فَتَلَقَّى آدَمُ مِن رَبِّهِ كَلِمَاتٍ فَتَابَ عَلَيْهِ اِنَّهُ هُوَ التَّوَّابُ الرَّحِيمِ
قُلْنَا اهْبِطُوا مِنْهَا جَمِيعًا فَاِمَّا يَاتِيَنَّكُمْ مِنِّي هُدًى فَمَن تَبِعَ
هُدَايَ فَلَا خَوْفٌ عَلَيْهِمْ وَلَا هُمْ يَحْزَنُونَ وَالَّذِينَ كَفَرُوا وَكَذَّبُوا
بِآيَاتِنَا أُولَئِكَ أَصْحَابُ النَّارِ هُمْ فِيهَا خَالِدُونَ ۞

Ideſt

Ideſt. *Et ſuſcepit Adam à Domino ſuo verba, & pœnituit ſe ſuper eum, ſeu miſertus eſt eius, quoniam ipſe eſt clemens miſerator. Diximus: diſcedite ex eo* (ideſt de Paradiſo) *omnes. Verumtamen mittam omninò vobis Redemptorem, ſeu Præceptorem, & quicumque ſecutus fuerit Præceptorem meum, non formidabit, nec contriſtabitur. Qui autem non crediderint, & mendacia dixerint eſſe legem meam: illi erunt ignis conſumptio, & igne in æternum cremabuntur.* Ergo etiam ſecundum Alchoranum, poſt deperditam legis naturæ integritatem per lapſum hominis, legem Redemptoris Deus illicò promiſit. Vndè poſt legem naturæ illicò lex Redemporis fuit ordinata:

Quia tamen non expediebat, Redemporem illicò mittendum, propter rationes ſuprà allatas: quia ſcilicet homines culpæ grauitatem non agnouiſſent, ſi ſtatim remedium obtinuiſſent. Propterea ex tunc, vſque dum Redemptor adeſſet, prouidit Deus hominibus, medio illo tempore decedentibus, per fidem in futurum Mediatorem & Redemptorem; per quam gratiam obtinerent, vt naturæ legem ſeruarent; eamdem ſcilicet ab initio propoſitam, quamuis propter debilitatem naturæ non omnis rigor exigeretur; ſed tantum, quantum imbecillis natura, aliqua Dei gratia roborata poſſet perficere. Et ita plurimi, ante Redemptoris aduentum, per fidem in ipſum venturum gratiam conſecuti ſunt & ſalutem, vt Salomon Sap. 9 & 10. *Per ſapientiam ſanati ſunt quicumque placuerunt tibi Domine à principio. Hec illum, qui primus formatus eſt à Deo Pater orbis terrarum, cuſtodiuit, & eduxit illum à delicto ſuo.* Similiter & ſanctus Iob per fidem in futurum Redemptorem ſaluus etiam effectus eſt. Vndè cap 19. à n. 24. de Redemptore mentionem facit, in quem ſperaret. *Scio enim*, inquit, *quod Redemptor meus viuit, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.*

Verùm, quia homines peccatis obnoxij ſemper in dies magis grauioribus flagitijs opprimebantur; & Saluatoris & Redemptoris venturi memoria, diuinæque promiſſionis recordatio, iam penitus aboleta erat: propterea, quia tanti ponderis erat huiuſmodi Redemptoris aduentus, nè inſperato tempore & inopinatus adueniret, conueniens erat plures de eius aduentu præcedere ſignificationes, prænunciationes, & prophetias: Tum inquam, vt quaſi Regis aduentus, præcurſoribus

bus honoraretur: tum etiam, vt viri intereà decedentes excuſationem non haberent, & ne ignorantiam prætendere poſſent, ſi fidem in futurum Redemptorem non ſuſcepiſſent; & vt ſaluari poſſent: ſicut enim nullus modò ſalutem conſequitur, qui Redemptori non credit: vt infrà patebit, cùm Chriſtum Deum eſſe oſtendemus: ità nec aliquis olim ſalutem conſequebatur, qui Redemptorem non expectaret venturum. Prouidit ergo ſummus omnium Prouiſor tantæ hominū neceſſitati: & propterea legem Moyſis inſtituit, illam ſolis Iudæis tradidit, vt per illam à ceteris gentibus Iudæorum gentem diſtingueret; eademque de cauſa Prophetarum teſtimonijs inſigniuit: Nempe, quia ex illa gente & ex Iudæorum progenie erat Seruator oriturus. Itaque lege illa tāquam nota inſignita eſt, & ab omnium populorum multitudine ſegregata. Nec tamen ſolis Iudæis, per Moyſi legem & per Prophetas, Chriſti aduentum voluit indicare: verùm etiam & gentes, cæteroſque populos (mulieres quaſdam prophetico imbuēs ſpiritu, Sibyllas nomine) noluit ignorare. Prophetantibus enim viris didicit Iudæa, & prophetantibus mulieribus didicerunt Gentes. Teſtimonia autem Sibyllarum de Chriſto Redemptore, inferiùs, de eius Diuinitate tractantes, commodiùs referemus, ſicut & teſtimonia Prophetarum, quæ etiam ſuperiùs tract. 2. cap. 3. ſummatim recenſuimus.

Nunc autem concludemus: Moyſis legem non per ſe primò fuiſſe inſtitutam, ſed tamquam medium, & promiſſionem, & memoriam, & excitationem continuatæ memoriæ, de ven turo Redemptore. Quod patet ex cap. 18 Deut. vbi Chriſtus promittitur, eiuſque lex indicatur: & conſtat in vniuerſum ex omnibus quæ in lege continentur: aliqua enim verbis, aliqua factis & figuris, Chriſtum præſignant, vt ſuprà in reſponſione ad argumenta, quæ contra Euangelia obijciebantur, ſatis dictum eſt.

Naturalia præcepta ſemper eadem.

His ergo poſitis, patet, Diuinam legem, in his quæ ad ſubſtantiam pertinent, ſemper vnam eamdemque fuiſſe, vnam eamdemque fidem in Mediatorem. Qui enim Redemptorem ipſum præceſſerunt, fidem habebant in futurum. Qui eodem tempore in terris cum Redemptore verſabantur, vt Chriſti diſcipuli, fidem habuerunt in præſentem. Qui verò poſt illum in Orbe vixerunt, aut viuunt, & viuent, fidem habent, habebunt,

bunt, vel habuerunt in Redemptorem, qui iam omnia perfecit, & præceſſit. At eadem veritas eſt, quæ enunciatur diuerſis temporibus de eodem obiecto. exempli gratia: Propoſitiones iſtæ, de ortu ſolis die præſcripto, idem continent eamdemque veritatem aſtruunt. Primò, ſi ante diem conditum dicatur: Craſtina die orietur ſol. Secundò, ſi dum oritur affirmetur: Nunc oritur ſol. Tertiò, ſi poſt ortum dicatur: Hoc mane ortus eſt ſol. In his omnibus propoſitionibus, quamuis diuerſis verbi temporibus enuncientur, eadem tamen veritas aſſeritur, & idem eſt obiectum: nec dici poſſunt plures veritates, quia vna eſt veritas obiectiua de eodem ortu ſolis. Ita in caſu noſtro, eandem veritatē credunt modò Chriſtiani, dum aſſerunt, Redemptorem Chriſtum veniſſe: ac illi, qui præſentes dum Chriſtus verſaretur in terris aſſerebant, Chriſtum adeſſe; & illi, qui ante eius aduentum aſſerebant, Chriſtum venturum eſſe. Vnde, quoad fidem, eadem ſemper fuit.

Et quod pertinet ad præcepta: naturalia quidem nunquam mutata ſunt: cætera verò, quæ poſitiua dicuntur; propter rerum exigentiam, conueniens fuit illa mutari. Nam lex Moyſis, cū Chriſtum venturum prædicaret, poterat plura præcepta poſitiua cæremonialia, actionum Chriſti præfiguratiua, ſubſtinere; quia nondum venerat Chriſtus: at poſtquam venit, conditio rerum mutata eſt, ita vt præfigurationes illæ in poſterum friuolæ eſſent, & propterea à Deo non amplius præcipiendæ, qui non niſi rationabilia præcipit. Si verò de cæteris poſitiuis præceptis, quæ non pertinent ad cæremonias & præfigurationes, obijciatur. Reſpondeo: ideo etiam illa mutanda fuiſſe, quia, reſpectu illorum etiam, rationabilitas per rerum ſtatus mutationem euacuabatur. Illa enim præcepta iudicialia & nimis rigoroſa, tunc temporis neceſſaria erant, ad hoc vt populus ille pœnis tam aſperis à peccato retraheretur; quia non adhuc in eos copioſè Dei gratia effundebatur: & propterea defectus gratiæ, per comminationis vehementiam, erat aliquo modo ſupplendus (Deus enim non deeſt in neceſſarijs vnquam.) At poſtquam Redemptor venit, & per ſuam paſſionē & mortem, copioſam gratiæ diffuſionē meruit ſibi credentibus, iuxta illud Ioan. 10. ſeu ſect. 23. *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant:* aderat iam abundantia gratiæ;

Naturalia præcepta ſemper eadem.

 &pro-

& propterea non erat, cur eius defectus per horribiles illas comminationes præſentium pœnarum aliquo modo ſuppleretur, quibus à peccato retrahentur. Vnde mutatio ſtatus rerum, illorum præceptorum euacuauit rationabilitatem, & propterea mutata ſunt.

Quia verò naturalium præceptorum rationabilitas nulla ſtatus mutatione poteſt euacuari, propterea naturalia præcepta in omni ſtatu, ſiue ante Chriſtum, ſiue poſt Chriſtum, à Deo præcipiuntur. Et ex his conſtat, diuinam legem vnam ſemper fuiſſe, & eſſe: nempè ſemper rationabilia præcipientem, iuxta ſtatus & rerum exigentiam.

Si quæ autem reſpectu ſacrificij,& Sacramentorum, à Chriſto in Euangelica lege præcepta ſunt, etiam iure & rationabiliter fuerunt præcepta: quia tale Sacrificium, talia Sacramenta, ad Chriſti merita applicanda, & Chriſti gratiam conferendam,hominum natura, & ipſa Chriſti redemptio exigunt. Quæ facilè Euangelicæ legis Sacrificium & ſacramenta ipſa agnoſcenti patent, & propterea hic ſilemus, ne longi ſimus.

Conſtat ergo ex dictis; quonam modo diuina lex ſit confirmata in ſæculum ſæculi, vt inquit Propheta pſalmo 110.& pſalmo 18. *Timor Domini ſanctus, permanens in ſæculum ſæculi.*

SECTIO III.

De Alchoranicæ legis inſtabilitate.

Alchoranus autem, ſicut viſum eſt carere cæteris conditionibus, ita etiam conuincitur hanc aliam diuinæ legis conditionem deſiderare. Idque duplici cauſa.

Alchoranica lex diuinæ legi omnino contraria.

Prior eſt, quia Dei legem, non ſolum mutat, ſed & penitus deſtruere conatur; tũ quoad credenda,tùm etiam quoad exequenda. Deſtruit credenda; nàm illam Dei Trinitatem, quam omnes Scripturæ diuinæ, quæ penes Iudæos & Chriſtianos extant, prædicant, & apertè loquuntur; Alchoranus paſſim

infi-

inficiatur, & negat. Scripturas autem de Trinitate in eius tractatu proferemus, ex quibus Alchoranus, inficians Trinitatis veritatem, redarguetur.

Item mutare conatur Dei legem, quoad credenda, cùm Chriſtum eſſe Deum, Alchoranus multoties neget. Sacræ autem ſcripturæ, prout infrà ſuo loco oſtendemus, apertè, Chriſtum Deum eſſe, prædicant.

Mutat etiam diuinam legem, quoad exequenda, cùm plura præcipiat quæ diuina lex prohibet; aliqua prohibeat, quæ diuina lex præcipit, aut permittit.

Prohibet diuina lex fornicationem, adulterium, & adulterij concupiſcentiam, vt patet in Decalogo Exod. 20. *Non mœchaberis. Non concupiſces vxorem proximi tui.* Mahomet verò, vt ſuprà viſum eſt, viris omnibus dat adulterandi licentiam, سورة التحريم c. *De Probibitione.* & c. *de luce.* Vbi vult omnes, etiã obſiſtentibus vxoribus, poſſe cũ ancillis viros ſe cmbiſcere. Præcipit lex diuina dicens, ibi: *Non concupiſces vxorem proximi tui.* At Mahomot in Alchorano, بسورة الاحزاب cap. *De Hæreſibus* ſeu *ſectis*, audet aſſerere concupiſcentiam vxoris alterius à Deo ſibi præceptam; imò & ipsũmet adulterium, inſuper & cum vxore alterius exercere concubinatum, vt patet ex dictó cap. *De Hæreſibus*.

Quomodo ergo ſubſtineri poteſt illud Alchorani dictum, capite Foſelat. فصلت ideſt: *Diſtinctum eſt*, vel cap. vt alij ſcribũt المصابيح *De Lampadibus*, cuius initium tale eſt.

حم تنزيل من الرحمن الرحيم ۞

pag. mihi 458.

ما يقال لك إلا ما قد قيل للرسل من قبلك ۞

Ideſt. *Non aliud tibi dicitur, niſi quod dictum eſt ante te ad*

Apoſtolos. Quo ſignificare videtur, Alchorani præcepta alia non eſſe à præceptis per alios legiſlatores antea tradita; fortè ad illud pſalmi alludens, quo diuina lex in ſæculum ſæculi permanens ſignificatur: vt ſcilicet ſignificaret ipſe Mahomet, ſe quoque eſſe legiſlatorem, & legem à ſe propoſitam eſſe quoque diuinam. At falſum eſt, & nulla ratione ſubſtineri poteſt, quia nullus Apoſtolorum, aut Prophetarum, aut legiſlatorum, ſeu diuinæ legis mediatorum, dixit aliquando, per Deum licere, viris cum ancillis concubere, inuitis vxoribus; & tamen ipſe Mahomet, dicto cap. *De Probibitione*, clariſſimis verbis aſſerere auſus eſt; Deum ſibi comminantem, ſeque arguentem huiuſmodi verbis inducens: *O Propbeta, cur probibes quod Deus permiſit tibi, obſequium præſtare intendens vxoribus tuis? Iam Deus permiſit vobis copulam ancillarum veſtrarum*. Ergo falſum proloquitur Alchoranus, dum dicit ſe aliud non præcipere, quàm quod antea præceptum fuerat, quia in nulla lege adulterium fuit aliquando permiſſum; non viris, ſicut nec mulieribus. Quòd ſi obijciatur quod factum eſt ab Abraham, & Iacob, qui vxoribus præcipientibus ingreſſi ſunt ad ancillas, prout in Geneſi, non proficiet obiectio; quia aliud eſt vti re aliquà, iubente domino, aliud eſt auferre domino inuito: nec furtum committitur quandò dominus largitur; ſed tunc dicitur furtum, tunc peccatum committitur, quando à domino, etiam obſiſtente aut nolente, aufertur. Abraham verò & Iacob (ipſo Deo in ſterilitatis remedium & ad ſui populi ſobolem propagandam, eius quam condiderat naturæ leges relaxante) ante perfectam legis reparationem per Chriſtum, qui tam populi quàm etiam legis aduenturus erat reparator, illud ius quod vxores in eorum corpora habebant, ipſiſmet vxoribus præcipiētibus, ancillis tribuerũt: vnde ſuo modo ad eorũ actuũ cohoneſtationẽ, ſcilicet ad hoc vt ſancti illi Patriarchę ad ancillas, tãquã ad proprias vxores poſſent tũc ritè accedere, tria cõcurrebant (quãuis nõ ſingula ſingillatim ad talẽ cohoneſtationẽ ſufficerent) nempe, primò, tempus ante legis reformationem, quo, vt ſupra diximus, imperfecta complura permiſſa ſunt. 2. Dei relaxatio; non enim credendum eſt, viros illos, quorum ſanctitas omnibus perſpicua eſt, illud ſine peculiari Dei diſpenſatione auſos eſſe. 3. vxorum iuſſio, propter ſuam ſterilitatem, vt patet Geneſis 16. & 30. At Mahomet, poſt legis perfectio-

fectionem per Chriſtum,& diuinis obſiſtentibus præceptis,& vt d.c. patet, inuitis etiam vxoribus, aufert ius illud, vt an-cillis furto & vi ſublatum largiatur. Non igitur aſſignari poteſt vnde cohoneſtetur talis Mahometi ordinatio: Poſtquàm enim Chriſtus clarè in Euangelio loquitur, vxorum pluralitatem nefas eſſe, Quid audet Mahomet illius diuina præcepta retractare? ergo falſum eſt quod aſſerit,dum ſe nihil noui præcipere iactat, nam nouationem patet eum conatum eſſe facere, non ſolùm contra Euangelium, verum etiam contra Veteris legis præcepta & permiſſa;cùm nec in Veteri lege, nec in Noua, vnquam permiſſum ſit uiris (etiam inuitis vxoribus) ad alienas accedere. Hæc igitur manifeſta Mahometi nouatio eſt: Quod neque apud Gentes idolorum cultores, aliquando iure permiſſum eſt; ſemper enim, vt Ariſt. 2.Eth.c.6.& 5.Eth. cap.1.Turpe & prauum adulterium habitum eſt; ita vt qui illud committit, non poſſit dici tunc rectè agere, ſed omninò & euidenter,peccare. Ergo dum dicit Mahometus, ſe nihil noui præcipere; falſum aſtruit.

Ita ergo mutauit Alchoranus diuinam legem, tàm quoad credenda, quàm etiam quoad exequenda; non ſolùm in allegatis, ſed etiam in pluribus, quæ breuitatis cauſa reticemus, cùm, ad probandum intentum, allegata ſufficiant.

Verùm, ſi mirum eſt, talia Alchoranum propoſuiſſe, & tàm turpi præcepto, diuinæ legis nomine, recta & vera diuinæ legis mandata adulteraſſe, creſcet admiratio, cùm non ſolùm diuinam legem mutaſſe, verùm etiam & ſuamet præcepta videbimus retractaſſe; ita vt nulla ratione lex dici poſſit ſtabilis, & permanens. *Alchoranica lex ſuamet precepta infringit; modò iubens, modò idem prohibens.*

Et Primò, iam ſupra viſum eſt,retractaſſe præceptum de cibis vetitis, priùs enim cap. 4. مايدة sub initium, nouem ciborum genera prohibuit, deinde الانعام cap: *De Animalibus*, ſeù *Brutis*, verſus finem, dicit, non eſſe niſi tantùm quatuor prohibita.

Secundò, etiam ſupra diximus, de mutatione præcepti circa vini potum, nam cap. 1. & 4. البقر : المايدة prohibet

cap.

cap. autem سورة النحل *De Ape*, dicit, eſſe permiſſum, ſeque vino inebriari, licere.

Præterea innumera ſunt, quæ Mahomet retractat; ita vt in Alchorano ad centum quinquaginta verſus aſcendant retractati, quos vocant Arabes منسوخة. Ideſt, *Reuocatos*, ſeu deletos, & نواسخ ideſt, *Retractantes*, ſeu *Delentes*. Præcipuè autem circa orationem celebris fuit mutatio, nàm ab initio dum eſſet Mechæ iuſſit Mahometanos, orationis tempore, conuertere faciem verſus Templum Hieruſalem. Deinde duodecimo poſt anno, ideſt ſecundo incolatus Medinę ſeù Tribic, ne videretur Iudæorum morem, quoad orationem, Mahometanis proponere, iuſſit, vt non verſùs Templum Hieruſalem, ſed verſùs Templum Mecæ faciem in oratione conuerterent, vt habetur in Alchorano cap. 1. pag. mihi 22. circa medium.

وَمِنْ حَيْثُ خَرَجْتَ فَوَلِّ وَجْهَكَ شَطْرَ ٱلْمَسْجِدِ ٱلْحَرَامِ ۝

Ideſt. *Et vndecumque exieris verte faciem tuam verſus templum Mecæ*. Hoc autem quàm malè, & iniuſtè, & impiè factum ſit, vnuſquiſque hiſtoriarum peritus agnoſcet: tunc enim temporis in Templo Mecæ adhuc colebatur Idolum, quia anno ſecundo incolatus Mahomet Medinæ, non adhuc ſuperauerat aut ſubdiderat Mechenſes, neque adhuc Idolum deiectum fuerat, quod factum eſt ſeptimo anno poſt Mahometi exilium: vnde Mahomet præcepit Mahometanis, vt eodem modo orarent, ſicut Idololatræ Mechenſes orabant, conuertendo faciem verſùs templum, in quo Idolum colebatur. Non ne ſatiùs fuiſſet ad Templum Hieruſalem, in quo verò Deo aliquando per Iudæos verus cultus redditus fuerat, faciem vertere, quàm talem conuerſionem mutare verſùs Idolum?

Eadem ratione mutauit ieiunij tempus: priùs enim præceperat vt Iudæorum ieiunium ſeruarent, vt habetur cap. 1. p. 27.

كتب عليكم الصيام كما كتب على الذين من
قبلكم ۞

Ideſt. *Præcipitur vobis ieiunium, ſicuti præceptum eſt illis, qui fuerunt ante vos.* Vbi Gloſſæ explicant de Iudæis ſignificari. Vnde ibi Iudæorum ieiunium Mahometanis ſeruandum præcipitur, quod etiam vſque ad tempus ſeruauerunt, ſcilicet per 12. annos. At deinde alio verſu præcepit, vt ieiunarent menſe Ramadan, cap. 1. dicens.

ان تصوموا خير لكم ان كنتم تعلمون شهر رمضان الذى
انزل فيه القرآن هدى للناس ۞

Ideſt: *Si ieiunaueritis, bonum erit vobis: ſi ſcietis, menſe Ramadan, quando demiſſus eſt Alchoranus ad dirigendos homines.* Vndè patet etiam ieiunij legem mutatam fuiſſe.

Et de ancillis ipſe Mahomet priùs benè diſponebat, dicens, non licere cum illis concubere: tamen deinde factus cuiuſdam puellæ, ancillæ ſuæ, amaſius: vt poſſet liberè illi ſe commiſcere, non obſiſtente Gadiſæ & Aaſæ vxorum ſuarum reclamatione, quamuis præſtito in ea re illis iuramento; iuſſit, ſeu aſſeruit, contra præſtitum iuramentum, ex Dei nutu licere, vniuerſas proprias proſtituere ſeruas, سورة التحريم Ideſt capiti *De probibitione* tale dans initium.

يا ايها النبى لم تحرم ما احل الله لك تبتغى مرضات ازواجك
قد فرض الله لكم تحلة ايمانكم ۞

Ideſt. *O Propheta, cur probibes quod permiſit Deus tibi, ſectaris*

ctaris beneplacita vxorum tuarum? iam Deus permiſit vobis copulam ancillarum veſtrarum. Ecce ipſemet fatetur, ſe prius prohibuiſſe, quod deinde permittit & relaxat.

Præterea, quoad teſtamentum iuſſit cap. 1. & ibi Gloſſæ, licere, tertiam bonorum partem relinquere parentibus & propinquis, his verbis, pag. mihi 27.

كُتِبَ عَلَيْكُمْ إِذَا حَضَرَ أَحَدَكُمُ الْمَوْتُ إِنْ تَرَكَ خَيْرًا الْوَصِيَّةُ
لِلْوَالِدَيْنِ وَالْأَقْرَبِينَ بِالْمَعْرُوفِ حَقًّا عَلَى الْمُتَّقِينَ فَمَنْ بَدَّلَهُ
بَعْدَ مَا سَمِعَهُ فَإِنَّمَا إِثْمُهُ عَلَى الَّذِينَ يُبَدِّلُونَهُ ۞

Ideſt. *Scriptum eſt de vobis, quando alicui veſtrum mors imminens erit, (ſi relinquat bona) teſtamentum patri & matri & propinquis, ſecundum legitimationem, & conuenientiam religioſis. Quicumque verò hoc permutauerit, poſtquam huius legis decretum ad aures eius peruenerit, vtique peccati reus erit, & peccabunt quicumque mutauerint illud.* At hoc Alchorani decretum non per aliud decretum eiuſdem libri abrogatum eſt; ſed ad libitum Mahometi, qui proprio marte, nullam Dei legem in hoc effingens, ſed propriam explicans voluntatem, retractauit, præcipiens, non licere tertiam bonorum partem parentibus, aut conſanguineis relinquere. Mahometani autem, neglecto Alchorani mandato, Mahometi præceptum complent, cenſentque tertiam bonorum partem conſanguineis relinquere, nefas eſſe: nec Alchorani verba curant, dicentis illos peccati reos qui eam legem non ſeruarent.

Sed & præterea: Nunc aſſerit, licere Chiſti legem profiteri, immo Chriſtianos Paradiſi gloriam adepturos: Nunc è contra, illos infideles appellat, & iubet eos ſaltem tributo ſubijci. Nunc dicit, licere etiam Iudaiſmum & Paganiſmum ſectari, & exinde profitentes ſalutem aſſequuturos: Nunc verò è contra, non aliud licere, niſi colere Mahometticam ſectam: aliàs enim neminem ſaluari. Nunc dicit, Mahometum ad ſolos Arabes inſtituendos prophetam datum eſſe; & propterea Arabica tan-

tùm

tùm lingua Alchoranum accepiſſe, vt سورة الاحقاف & alibi: at alijs in locis, eundem vniuerſis gentibus inſtitutorem veniſſe. Hic dicit, ſe nullũ cogere ad Mahometicam legẽ: ibi verò iubet, vt ad Mahometaniſmũ omnes, etiã armis, cogantur. Hic inquit, infideles tantũmodo à diabolo tentari: ibi verò diaboli tentationibus omnes etiã tactos fuiſſe prophetas. Hic virgines & caſtos & mundos commendat: ibi verò immunditiam, luxuriam, & carnis delectamenta; adeo vt illa tamquam finem vltimum expetenda proponat. Hic præcipit, vt Chriſtianis & Iudæis Mahometani fidem adhibeant, etiam in his quæ ad Religionem pertinerent: ibi verò iubet, vt à Chriſtianis & Iudæis caueant, tanquam à deceptoribus. Ita in compluribus alijs præceptis, modò hæc præcipiens, modò hæc eadem prohibens: Nunc hæc, nunc illa proponens. Adeo vt in ea lege præceptum firmum, permanẽs, ſeu minime retractatum, vix reperiri poſſit; ſi benè & attentè vniuerſam Mahometi legem quis rimetur. Tanta igitur eſt Mahometicæ legis conſtantia, vt modò hæc, modò illa præcipiat: ita vt ſubditus quid ſeruandum ſit, neſciat.

At mirum non eſt Alchorani dicta callenti, ſubditos ignorare Mahometicæ legis præcepta; quia nouit ex Alchorano, ipſummet eius legiſlatorem ſua præcepta neſciſſe, ita vt præciperet, quid autẽ præciperet ipſemet præcipiens nõ agnoſceret: Dicit enim c 2. Alchoranus, paulò poſt initium, Deum tantummodò Alchorani ſenſum noſcere; cæteros omnes, quid Alchorani mandata præcipiant, ignorare: & cap. *De Nutu* ſeu *De Conſilio* ſeu *Mandato*, Arab. سورة الشورى circa finem, loquitur eodẽ modo; ſed de ipſomet Mahometo nominatim, quòd ipſe neſciret, quid in Alchorano & ſcriptura illa preciperetur aut cõtineretur: inſuper & ignarũ fidei & Religionis Mahometũ fuiſſe. Quid igitur mirum, ſi ſubditus Alchorani præcepta nõ capiat, ſi nec ipſemet præcipiens intelligit? Et quid mirum, ſi ſint præcepta nutantia, ſi ipſe præcipiens, de ipſis ſit neſcius, & pluſquam dubitans & anceps?

Non ergo Mahometi lex dici poteſt permanens in ſæculum ſæculi: cùm in tot tantiſque deprehendatur nutans & vacil-

 lans.

lans. Nec mirum eſt, quod Diuinam legem, Naturalem, Moſaicam, & Euangelicam infringat, cùm ſemetipſam in pluribus frangat. Cùm ergo, reſpectu ſui, non poſſit dici, *Permanens in ſæculum ſæculi*: reſpectu legis Naturalis, Moſaicæ, & Euangelicæ, longè minus dici poteſt, Permanens; cùm ab omnibus in tot tantiſque diſcrepans inueniatur, vt ex dictis conſtat, & ex dicendis magis infra conſtabit.

CAPVT VIII.

Iudicia Domini vera.

SEquitur deinde ſanctus Dauid, eam diuinæ legis conditionem explicans; ſine qua, non ſolùm lex, ſed nec communis ſermo inter homines, viri cordati cenſetur, ſed inanis. Quare ſi ea conditione lex careat, nulla ratione cenſeri poterit diuina: eſt autem, quam his verbis exprimit: *Iudicia Domini vera.*

Diuina lex mentiri non poteſt.

Tamquè certum eſt, Dei legem nullo modo poſſe aliquid non verum continere, vt etiam Alchoranus hoc paſſim fateatur, præcipuè cap. 2. pag: mihi 59. dicens.

وَلَا يَأْمُرَكُمْ أَنْ تَتَّخِذُوا الْمَلَائِكَةَ وَالنَّبِيِّينَ أَرْبَابًا أَيَأْمُرُكُمْ
بِالْكُفْرِ بَعْدَ إِذْ أَنْتُمْ مُسْلِمُونَ ۞

Ideſt. *Et nō præcipit vobis, vt accipiatis Angelos, aut Prophetas in Dominos. Numquid præcipiet vobis, vt ſitis infideles, poſtquā eſtis fideles?* & c. الحج ideſt. *De Peregrinatione* ſeu vt alijs placet *De terræmotu* pag. mihi 326. & cap. de الشورى *Nutu, cōſilio,*

filio, ſeu *mādato*, ſeu, *vt* alij inſcribũt, سورة حم عسق pag. mihi 462.

وَيَمْحُ اللّٰهُ ٱلْبَاطِلَ وَيُحِقُّ الحَقَّ بِكَلِمَاتِهِ ۞

Ideſt. *Et delet Deus mendacium*, *& confirmat* ſeu *aſſerit veritatem verbis ſuis*, & cap. الزهر ideſt. *De floribus* ſub initium.

إِنَّ اللّٰهَ لَا يَهْدِي مَنْ هُوَ كَاذِبٌ كَفَّارٌ ۞

Ideſt: *Certè quòd Deus non dirigit mendacem, nec infidelem*. Inſuper nullum eo iniquiorem & ſceleſtiorem reputat, qui audet Deo mendacia aſcribere: Vnde سورة الانعام cap. *De brutis*, pag. mihi 139.

وَمَنْ أَظْلَمُ مِمَّنِ افْتَرَى على اللّٰهِ كَذِبًا ۞

Ideſt: *Ecquis peruerſior eo eſt, qui aſcribit Deo mendacia?* idem repetit سورة العنكبوت cap. *De Aranea*, verſùs finem, pag: mihi 386.

وَمَنْ أَظْلَمُ مِمَّنِ افْتَرَى على اللّٰهِ كَذِبًا أَوْ كَذَّبَ بِالحَقِّ ۞

Ideſt. *Et quis ſceleſtior eo, qui Deo aſcribit mendacium? aut mendacem dicit eſſe veritatem?* & سورة النسا cap. *De Mulieribus*; poſt medium.

وَعْدَ اللّٰهِ حَقًّا وَمَنْ أَصْدَقُ مِنَ اللّٰهِ قِيلًا ۞

 Ideſt.

Ideſt. *Promiſſio Dei veritas eſt, & quis magis Deo veridicus?*

Ergò ex Alchorano etiam, clariſſimè conſtat, in diuinis verbis nullum poſſe mendacium reperiri. Quòd ſi mendacium aliquod, vel vnum quidem, in lege aut ſermone reperiatur; eo ipſo conſtat non eſſe diuinum.

Et quidem in Euangelijs, aut libris Moyſi, aut Prophetis, & in cæteris libris, quos Chriſtiani tamquam diuinos colunt, nullum reperiri mendacium, patet ex dictis, & patebit magis ex infrà dicendis; cùm ad omnes à te propoſitas difficultates reſponſum fuerit.

Alchoranica lex plures mentitur. Alchoranus verò in multis conuincitur aſtruere veritati contraria. Ergo nullo modo, à Deo eſſe, cenſeri poteſt. Quòd autem plura mendacia obloquatur, patet ex pluribus.

Primò, prætermiſſis ſuprà narratis, de Sole ſe in feruentis aquæ fontem demergente: quod eſt mendacium in ipſam ſolis lucem enuntiatum, ita vt non poſſit latere. Prætermiſſo etiam illo mendacio, de reſurrectione beſtiarũ ســ كورت

Ideſt cap. *Cuuerat*, ſeu vt alij inſcribunt ســ التكوير

Ideſt. *De faſciæ*, ſeu *turbantis inuolutione*, ſeu *De rerum aggregatione*, in principio: vbi dicit, beſtias ſuſcitandas, & vniuerſa iumenta cum hominibus ad iudicium conuocanda. Prætermiſſis etiam cæteris mendacijs, iam ſuperius recenſitis, iuxta exigentiam materiæ. Illud certè non eſt ſilendum, quod dicit Alchoranus cap 2 *De familia Amrani*, & cap. 1. lib. 3. cui titulus eſt *De Maria*, pag. mihi 297. vbi dicit, Mariam Virginem, Ieſu Chriſti matrem, eſſe ſororem Aaron, & filiam Amrani: propterea namque præfixit capiti illi ſecundo Titulum, *De familia Amram*: fuit autem Amram Pater Moyſi, Aaron, & Mariæ, ſcilicet, illius Propheteſſæ, de qua dicitur in Exodo, præſertim cap. 15. n. 20. *Sumpſit ergo Maria Prophetiſſa, ſoror Aaron, tympanum in manu ſua: egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam cũ tympanis & choris, quibus præcinebat, dicens: Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem eius deiecit in mare. Tulit autem Moyſes Iſrael de mari Rubro, & egreſſi ſunt in deſertum Sur.* Quod autem pater Moyſi, Aaron,

ron, & Mariæ huius, eſſet Amram, patet ex cap. 6. Exodi, vbi n. 20. ſic habetur. *Accepit autem Amram vxorem Iochabed patruelem ſuam: quæ peperit ei Aaron, & Moyſen &c.* Alchoranus verò, neſciens hiſtorias, putauit, Mariam filiam Amrani; ſororem Moyſi & Aaron, fuiſſe eamdem Mariam, quæ peperit Virgo Ieſum Chriſtum: cum inter vtramque Mariam longa plurium ſæculorum ſpatia interceſſerint. Vnde cap. 2. Titulum poſuit. *De familia Amram*, & in eo cap. narrans Virginis Mariæ, matris Chriſti Ieſu, natiuitatem, ſic inquit, pag. mihi 53.

إذ قالت امرأة عمران رب إني نذرت لك ما في بطني محررا فتقبل
مني إنك أنت السميع العليم فلما وضعتها قالت رب إني
وضعتها أنثى والله أعلم بما وضعت وليس الذكر كالأنثى
وإني سميتها مريم وإني أعيذها بك وذريتها من الشيطان
الرجيم فتقبلها ربها بقبول حسن وأنبتها نباتا حسنا و
كفلها زكريا كلما دخل عليها زكريا المحراب وجد
عندها رزقا ۞

Ideſt. *Cum dixit Vxor Amrani: Domine mi, Ecce ego offero tibi id quod eſt in Vtero meo in oblationem: Suſcipe ergo ex me quoniam tu es auditor ſapiens. Cum verò peperiſſet eam dixit: Domine mi, Ecce ego peperi fœminam. Et Deus optimè norat quid peperiſſet, & non eſt maſculus ſicut fæmina: & ego nomen illi impoſui, Maria. Et ego commendo illam tibi, vt cuſtodias eam, & progeniem eius à Diabolo impio: Et ſuſcepit eam Dominus eius ſuſceptione bona, & creſcere fecit eam elegantem & pulchram; & illam Zachariæ tradidit cuſtodiendam. Quotieſcumque ingrediebatur Zacharias in Templum, ad eam inuiſendam, inueniebat apud eam cibum, &c.* Deinde ſequitur ibi Alchoranus narrare id quod habetur apud Lucam cap. 1. De ora-

oratione Zachariæ pro ſuſcipiendo filio; De natiuitate Ioannis Baptiſtæ, & De Annunciatione ipſius Mariæ per Gabrielem Archangelum. Quibus patet, filiam Amran, putaſſe, Mariam Chriſti Matrem. Quod confirmatur magis ex cap. *De Maria*, Vbi Chriſti Natiuitatem refert: cumque Ieſum in gremio ſecum ferret, quoſdam his verbis inducit ad Mariam loquentes, qui mirabantur illam, Virginem à cunctis habitam, filium ſuſcepiſſe.

قالوا يا مريم لقد جئت شيئا فريا يا اخت هرون ما كان ابوك امرا سوء وما كانت امك بغيا ۞

Ideſt. *Dixerunt: O Maria iam feciſti aliquid occultè malum. O ſoror Aaron, non fuit Pater tuus vir iniquus, neque fuit Mater tua meretrix &c.* Quibus clarè conſtat, Alchoranum, ſeu Alchorani auctorem exiſtimaſſe, Mariam ſororem Moyſi & Aaron, filiam Amrani, fuiſſe Mariam Ieſu Chriſti Matrem Virginem. Quod eo magis clarè patet, quanto ſepius, ſcilicet ſemper quandocumque mentionem de Maria facit, illam dicit, vel ſororem Aaron vel filiam Amrani, & præter loca allegata, etiam سورة التحريم cap. *De probibit.* in fine, idem exiſtimans, ſic pariter loquitur.

ومريم ابنت عمران التي احصنت فرجها فنفخنا فيه من روحنا ۞

Ideſt. *Et Maria filia Amrani, quæ conſeruauit Virginitatem ſuam, & inſufflauimus in vterum eius ſpiritu noſtro &c.* Ergo dubium non eſt de tali exiſtimatione auctoris Alchorani. Conſidera ergo, Ahmed prudentiſſime & ſagaciſſime, quàm graue ſit mendacium, quàm clarum & euidens; ita vt nulla poſſit tergiuerſatione cælari: quantam hiſtoriarum ignorantiam in aſſerente indicet. Maria, Mater Chriſti, extitit temporibus longè poſt deſtructionem Hieruſalem à Rege Babylonis,

nis; floruit enim tempore Zachariæ, vt ipſemet fatetur Alchoranus; & nata eſt, ſecundùm ipſum Alchoranum locis ſupra allegatis, tempore ipſius Zachariæ, quando non erant Reges proprij Iſrael, ſed circa illud tempus, quando iam ſceptrum erat tranſlatum in Idumæos, cum regnaret Herodes in Vrbe Hieruſalem, qui non erat Iudæus, ſed Idumæus. Maria autem illa, filia Amrani, ſoror Aaron & Moyſi, egreſſa eſt ex Aegypto,& in deſerto mortua,in Cades,prout habetur lib. Numerorum cap. 20. *Venerunt filij Iſrael, & omnis multitudo, in deſertum Sin, menſe primo: & manſit populus in Cades. Mortuaque eſt ibi Maria, & ſepulta in eodem loco.* Et mortua eſt, ante quàm moreretur Aaron & Moyſes; qui etiam mortui ſunt in deſerto, ante quam ingrederentur Terram Promiſſionis: & inter vtramque Mariam,annorum ſpatia pluſquam duorum millium excurrerunt. Quomodo ergo ſoror Aaron eſſe potuit Mater Chriſti?

Scio reſponſionem,quam aliqui Mahometanorum aſſignare conātur:nempè,illam eamdē Mariam fuiſſe miraculosè à Deo vſque ad illa tempora ſeruatam, vt Chriſtum conciperet. Verùm reſponſio nulla eſt; quia in ſacra Scriptura, cap. 20. Num. allegato,habetur,illam obijſſe;& conueniunt in hoc Codices, tam qui ſunt apud Chriſtianos, quàm qui extant apud Iudæos. Ergo, nullo modo poteſt dici contra Scripturas, illam fuiſſe miraculosè ſeruatam vſque ad illa tempora. Præterea Alchoranus ipſe teſtatur cap. 2. Mariam, Chriſti matrem, ortam eſſe tempore Zachariæ: at illa Maria, ſoror Moyſi & Aaron, orta eſt tempore Pharaonis in Aegypto, & non tempore Zachariæ in Iudæa. ergo nulla ratione poteſt Alchoranus à tam celebri mendacio excuſari. Ergo nulla ratione poteſt Alchoranus Dei lex exiſtimari; mendacium enim contra tot ſæculorum conteſtationem, non ſolùm à Dei verbis longiſſimè diſtat; verùm etiam quicumque vir, mediocri etiam ingenio præditus, affirmare erubeſceret. Conſimile mendacium in tuo libro reperi, ab alio certè ſuppoſitum, non à te in Perſide appoſitum: Nempè quòd Elias, qui in Euangelio vna cum Moyſe Chriſto dum transfiguratus eſt apparuiſſe dicitur, fuerit Ali. Quòd quàm ſit falſum,longa annorum interſtitia conteſtantur. Nàm Elias,longè ante Chriſtum,natus eſt: de quo 3. & 4. Reg. lib. agitur in Scripturis, in quibus dicitur Thesbites de habitatoribus

ribus Galaad ex Tribu Manaſſe, de filijs Iſrael: Ali autem conſobrinus frater Mahomet, natus eſt ſexcenteſimo circiter poſt Chriſtum anno, de quo agitur in libro Regum Mahometanorum, Arabicè كتاب الامام factuſque eſt Mahometo gener,. verùm hoc obiter.

Si igitur ignorabat Mohammedes, de Chriſti matre & de ſorore Moyſi diſtinctionem; quomodo tam eruditus cenſeri poterit, vt antiquiora & abſtruſiora noſceret? Quid igitur cogitandum de ea propoſitione, quam, cap.2. *De familia Amran*, aſſerit de Mecæ templo: Nempe, illud templum eſſe omnium antiquiſſimum?

ان أَوَّلَ بَيْتٍ وُضِعَ لِلنَّاسِ لَلَّذِى بِبَكَّةَ مُبَارَكًا وَهُدًى
لِلْعَالَمِينَ ۞

Ideſt. *Certè, quòd prima domus,* ſeu *templum primò fundatum, extructum,* ſeu *poſitum, hominibus; illud vtique eſt Meca, benedictum, & in directionem ſæculorum.* En propoſitio, quantam præſefert eruditionem in proponente! ſit ne veritas, an mendacium? Quiſque id ſecum recogitet.

Tempus deficeret, ſi quodlibet Mahomedicæ legis mendacium ad veritatis trutinam librandum appenderemus. Sed liceat alia quædam ſummatim recenſere. Nonnè mendacium eſt, dicere Abraham, Iſaac, & Iacob, inſuper & Noe, Mahometi legem profeſſos eſſe; prout cap. etiam 2. *De familia Amran*, cap. *De Iona*, duabus circiter paginis ante finem, & alibi: cùm Mahometus, non ante 600. poſt Chriſtum annum, legem tulerit: & Abraham, pluſquam 1800. annis ante Chriſtum, ex hac vita migrauerit; & Noe à diebus circa vniuerſale diluuium? Nonne mendacium eſt, aſſerere, quòd etiam ſi omnes homines & Angeli in vnum conuenirent, vnam periodum ſimilem Alchorani periodo componere nequirent? Et tamen ſic loquitur cap. *De Hud*, paulò poſt initium, cap. *De Iona* 5. circiter pag. poſt init. & سورة الاسرى *De tranſitu*,

poſt

poſt med. & alibi. Nonnè mendacium eſt, aſſerere, Diabolos audiſſe Alchoranum, & in Deum credidiſſe, eoſdemque Dei gloria fruituros eſſe? Nonne mendacia ſunt, Angelos ex igne formatos, & cælos ex fumo? Deum corporeum & frigidiſſimam habere manum? Salomoni triplicem fuiſſe exercitum, auium, hominum, & dæmonum? Dauidis imperio obediſſe montes, & volucres? Pharaonem excelſiſſimam, ad Moyſi Deum conſpiciendum, extrui voluiſſe ædificij molem? Formicas loqui tamquam homines? bruta eſſe rationis capacia? eadem mereri & demereri, & ad iudicium ſuſcitanda, & in Paradiſi gloria beatificanda, aut ad inferni pœnas damnanda? Et tamen talia loquitur Alchoranus, & Mohammedes talia profert.

Sed quid plura recenſeo; cùm omnia eius verba recenſendæ eſſent, ſi vniuerſa eius mendacia complecti vellem? Quid enim aliud protulit, niſi mendacia? cùm non ſolùm in hiſtoriarum eruditione, verùm etiam & Scripturarum allegatione, in ſcientiarum principijs, & in omnibus, falſa ſemper intermiſceat: vt legenti Alchoranum, & attenta animi conſideratione perpendenti, in ſingulis capitibus facilè patet: etiam ſi ea tantũmodo mẽdacia animaduerteret, quæ protulit cõtra ſacras Scripturas.

Inſuper & tanquam certum apud Mahometanos fertur, Mahometum ipſum librum compoſuiſſe duodecim millia propoſitionum, eumque interrogatum; Num veræ eſſent omnes? reſpondiſſe; tres mille tantùm veras eſſe, non plures. Itaque in 12000. propoſitionibus nouem millia mendaciorum protulit. Quando ergo mendacium in Mahometi lege deprehendunt, dicunt: hoc eſt vnum ex nouem millibus.

Sed animaduertite quæſo quid dicat cap. 2. *De familia Amran*, loquens de Alchorano.

مَا يَعْلَمُ تَاوِيلَهُ إِلَّا ٱللَّهُ ۞

Ideſt. *Neſcit quid ſignificet*, ſcilicet Alchoranus, *niſi Deus.* & in fine capitis الشورى *De mandato* ſeu *conſilio* & *nutu*, tanquam Diuino nomine, talia Mahometo de lege quã ipſe dabat, dicuntur.

أَوْحَيْنَا إِلَيْكَ رُوحًا مِنْ أَمْرِنَا مَا كُنْتَ تَدْرِي مَا ٱلْكِتَابُ وَلَا ٱلْإِيمَانُ ۞

Ideſt. *Nos inſpirauimus tibi ſpiritum ex mandato noſtro; non autem intelligis quid ſit Scriptura hæc*, ſeu *quid ſit liber*, *neque quid ſit fides*. Cogita igitur, quid proloqui poſſet Mahometus, dum ipſemet, quæ in Alchorano diceret, ignoraret? alienus à ſcientia Scripturæ, neſcius in libro quem alijs proponebat, & neſcius in fide. legatur autem سورة الشورى in fine & آل عمران ſub initium. Exinde enim patebit, an vera loquamur.

Verùm vniuerſa, quæ in alios profert mendacia, fortè etiam excuſarem, niſi inexcuſabilia proferret, non ſolùm contra Deum & ſacras Scripturas, vt patet ex his quæ ſuprà retulimus: de vltimo fine, de beatitudine in carnali copula per ipſum collocata: de ſalute Iudæorum, Mahometanorum, Chriſtianorum, & Paganorum: de licentia ſibi aſſumpta, vt blaſphemat, à Deo, auferendi vxorem proximi ſui, & ſibi proſtituendi: & innumera, quæ in Deum obloquitur, dum ſua flagitia, Dei nomine, Dei auctoritate, ſibi præcepta, palàm iactat; illam blaſphemiam, quam ipſe de alijs dicit cap. de الأعراف *De Muro*, in Deum irrogans; Dicit enim ipſe.

وَإِذْ فَعَلُوا فَاحِشَةً قَالُوا وَجَدْنَا عَلَيْهَا آبَاءَنَا وَٱللَّهُ أَمَرَنَا بِهَا قُلْ إِنَّ ٱللَّهَ لَا يَأْمُرُ بِٱلْفَحْشَاءِ

Ideſt: *Et cum perpetrauerint aliquid obſcenum, dicunt: Inuenimus maiores noſtros ita facientes, & Deus illud nobis præcepit &c.* Si quis benè norit, quæ dicat Alchoranus, norit etiam, quoties ibi Mahomet ſua flagitia diuino nomine, mentiens, excuſet.

At

At mendacia quis excuſabit, quæ protulit contra ſe ipſum? adeo vt non ſolùm veritatem aliorum, & veritatem Dei; verum etiam & propriam deſtruat extructionem: ita vt, non ſolùm dici poſſit mendax & non vera Alchorani lex, imò etiam nec ſit iuſtificata in ſemetipſa; quam vltimo loco ponit Propheta diuinæ legis conditionem, dum inquit: *Iudicia Domini iuſtificata, &c.*

CAPVT IX.

Iuſtificata in ſemetipſa.

His verbis ſignificat Propheta, tantam eſſe Diuinæ legis rectitudinem & veritatem, vt teſtimonio non indigeat alieno, ſed ſemetipſa, ſua facie, ſe proferat eſſe Diuinam.

Hoc autem in vtriuſque Teſtamenti paginis, & Noui præſertim, patet: ſiquis enim illas peruoluat, mentis oculos paſſionis velamine non obtegens; perſpiciens illarum rectitudinem, veritatem, concinnitatem, pietatem, decorem, honeſtatẽ; illicò fatebitur, non alio eſſe, quã Diuino dictatas afflatu, iuxta illud 2. Petri 1. 21. *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines.*

Alchoranus autem tot nænias, prout ſupra vidimus, tot turpitudines, tot mendacia continens, illicò ſemetipſo declarat ſuam impoſturam: præcipuè verò, cùm dicta retractet, deſtruens quæ priùs aſtruxerat. Et quidem ipſe cap. 3. pag. mihi 88. circa medium capitis, inquit,

أَفَلَا يَتَدَبَّرُونَ ٱلْقُرْآنَ وَلَوْ كَانَ مِنْ عِنْدِ غَيْرِ ٱللّٰهِ لَوَجَدُوا فِيهِ
ٱخْتِلَافًا كَثِيرًا ۞

Ideſt. *Num non aſſument pro Duce Alchoranum? ſi enim eſſet ab alio, quàm à Deo, reperirentur in ipſo contrarietates plurimæ.* Si ergo in aliqua lege reperiantur contradictoria, ex ipſomet Alchorano etiam concludendum eſt, illam non eſſe à Deo. Imò & addere oportet, nec eſſe à viro cordato, & prudente: Quilibet enim, etiam mediocris prudentiæ vir, refugit contradictoria in ſuo ſermone proferre: dedecus namque eſt, non ſibi conſtare. At Alchoranus ſibi non conſtat. Ergo non eſt lex iuſtificata in ſemetipſa, ergo à Deo non eſt: imò nec à viro cordato. Quòd autem contradictoria proferat, patet ex multis iam ſupra recenſitis; ſed & præterea etiam patet.

Alchoranus ſibi non conſtat.

Primò. Quia per vniuerſa capita ſibi contradicit, vt patet in titulis; ſingula enim capita inſcribuntur eſſe, vel Medinenſia, vel Mechenſia: ideſt vel caput compoſitum Medinæ, vel compoſitum Mecæ. Noſti enim, Mahomet decem annos poſt Propheticam ſuſceptam, ſeu ſimulatam, ſeu poſtquam ſe Prophetam effinxit, traduxiſſe Mecæ: deinde Meca eiectus, ſeceſſit Medinam, ſpatio decem dierum Meca diſſitam; ibique tredecim annos moratum eſſe proſequendo Alchorani compoſitionem. Propterea aliqua capita inſcribuntur. مكية *Mechenſia*, aliqua verò مدنية *Medinenſia*: ideſt, hæc Medinæ & non Mecæ compoſita, illa verò Mecæ & non Medinæ. Idque patet in ſingulorum capitum titulis; & conuenit in hoc liber Agar, narrans per extenſum, qualiter Mahometus Alchorani capita propoſuerit.

At è contra cap. 1. س البقرة *De Vacca*: dicit, Alchoranum deſcendiſſe, ſeu compoſitum eſſe, vel à Deo acceptum menſe Ramadan.

مضان الذى انزل فيه القرآن ۞

Ideſt. *Menſe Ramadan in quo deſcendit*

سورة الدخان ideſt cap. *De fumo*.

Digitized by Google

وَٱلْكِتَابِ ٱلْمُبِينِ إِنَّا أَنْزَلْنَاهُ فِي لَيْلَةٍ ۞

Ideſt. *Per librum declaratorem iuro: quòd miſerimus eum in vna quadam nocte*. Quibus verbis inducit & fingit Alchoranus, Deum iurantem, ſe dediſſe Alchoranum vna quadam nocte. Et cap. القدر *Elcadar*. dicit pariter, acceptum fuiſſe Alchoranum vna nocte. Et سورة الفرقان cap. *De Alchorano* ſeu *Alforcano pag. 349*. dicit, deſcendiſſe totum ſimul جُمْلَةً وَاحِدَةً ideſt. *in vnam ſummam*. ſeu *ſimul ſumma vna*.

Ergo Alchoranus & ſingula eius capita ſimul in nocte quadam menſis Ramadan fuit acceptus. Hæc verò nox fuit ne nox tranſacta Medinæ, vel Mecæ? Si reſpondeatur, fuiſſe noctem tranſactam Mecæ, falſum aſſerent tituli qui inſcribuntur. مدنية *Medinenſes*. Si verò fuit nox tranſacta Medinæ, falſum aſſerent tituli, qui inſcribuntur. مكية *Mechenſes* Vel ſi dicatur, re vera quædam capita fuiſſe accepta Medinæ, quædam verò Mecæ. Ergo falſum erit illud quod aſſerunt capita præallegata, dùm dicunt, acceptum fuiſſe Alchoranum nocte menſis Ramadan. Quodcumque dicatur al[illegible] deſtruitur. Ergo contradictio eſt in toto Alchòra[illegible] Dei lex eſſe nequit, cùm non ſit Iuſtificata in ſe[illegible]

Verùm ex [illegible]gar ſatis conſtat, Alchoran[illegible] gula ſingilla[illegible]a, ſeu efficta, non autem [illegible] vt infra ca[illegible] 1. huius Tractatus [illegible] omnia int[illegible] ſimul tradita, ſed per [illegible] gi poteſt [illegible]radictorijs, quæ vno [illegible] fert. N[illegible]em tempore putan[illegible] tradic[illegible]itaſſe; ſed cum [illegible] ſic [illegible] ſcit. [illegible]dicit ſibi, dum [illegible] [illegible]utem ad præ[illegible]

إن الذين آمنوا والذين هادوا والنصارى والصابئين فلهم أجرهم
عند ربهم ولا خوف عليهم ولا هم يحزنون ۞

Ideſt. *Certè quòd his qui crediderint*, ideſt, ſecundū ſuum ſenſum, *Mahometanis, & Iudæis, & Chriſtianis, & Paganis, ipſis erit merces eorum apud Dominum, & non erit timor contra eos, neque contriſtatio*. Sic loquitur allegatis capit. 1. & 4. & capite primo præcipit, vt ſiue Iudæis, ſiue Chriſtianis, ſiue Paganis, & cuiuſcumque alterius ſectæ, de lege Alchoranica ſciſcitantibus, ſic Mahometani reſpondeant.

أتحاجوننا في الله وهو ربنا وربكم ولنا أعمالنا ولكم
أعمالكم ونحن له مخلصون ۞

Ideſt. *Num contendetis nobiſcum de Deo, cùm ipſe ſit Dominus noſter, & Dominus veſter? Et nobis opera noſtra, & vobis opera veſtra, noſque etiam ipſi Domino noſmet commiſimus*. Ex quibus ſatis clarè patet, Alchorani auctorem exiſtimaſſe, fidei, ſeu ſectæ diuerſitatem, non tollere, neque tribuere ſalutem, & poſſe quemlibet ſaluari, ſiue Paganum, ſiue Iudæum, ſiue Chriſtianum; ſiue Mahometanum. At cap. 2. oppoſitum dicit, pag. mihi 60.

ومن يبتغ غير الإسلام دينا فلن يقبل منه وهو في الآخرة
من الخاسرين ۞

Ideſt: *Quicumque profeſſus fuerit aliam legem, præter legem Mahometanorum, non ſuſcipietur ab eo, & in alio ſæculo inter damnatos computabitur*. Hæ duæ propoſitiones: Saluabuntur Iudæi, Chriſtiani, & Pagani: Nullus ſalnabitur, niſi ſolus Mahometanus: Nonnè ſunt contradictoriæ? ly *Nullus*, excludit

dit omnes alios: At ly *Iudæi*, *Chriſtiani*, *&* *Pagani*: includit etiam alios præter Mahometanos: nec enim Chriſtiani, Iudæi, & Pagani, ſecundùm ipſum Alchoranum, Mahometani ſunt, ſed contradiſtinguuntur à Mahometanis, inſuper eod. c.1. pag. mihi 18. Iudæos & Chriſtianos alienos eſſe à Mahometanis, dicit enim.

وَلَن تَرْضَى عَنكَ ٱلْيَهُودُ وَلَا ٱلنَّصَارَى ۞

Ideſt. *Et nunquam aliquando tibi complacebunt*, ſeu *te charum aut gratum habebunt, Iudæi, neque Chriſtiani*. Ergo modò per vnam propoſitionem illos excludit, modò per aliam includit: modò aſſerit ſalutem adepturos, modò negat. Ergo contradictoria aſtruens lex, Iuſtificata in ſemetipſa dici non poteſt, neque diuina. Inſuper cap. *De Iona*. cap. 4. *De menſa*, & alibi pluries aſſerit, Iudæos & Chriſtianos legem à Deo accepiſſe. E contrà verò cap.1. dicit, Iudæos, & Chriſtianos eſſe ſine lege, & ſine religione. Item dicit paſſim quòd Deus odit infideles, quòd eſt inimicus infidelibus, quòd infideles perpetuò maledictionibus ſubiacebunt, vt cap.1. pag. mihi 24. & pag.15. & 16. & cap.2. pag. mihi 60. E contra verò dicit, infideles ſaluandos, cum eodem cap.1. aſſerat Iudæos, & Paganos, & Chriſtianos, quos ſibi Mahomet fatetur fidem non habituros, eodem cap.1. pag.18. vbi ſupra, eſſe ſaluandos: in quibus, vt patet, plura contradictoria inuoluuntur.

Dicit item, Iudæos & Chriſtianos, (quos paſſim in Alchorano Mahomet vocat اهل الكتاب ideſt *Meditatores ſacrarum Scripturarum*, ſeu *eruditos in ſacris Scripturis*, ſeu *quibus ſacræ Scripturæ à Deo traditæ ſunt*) eſſe de ſacris Scripturis conſulendos, tanquam veridicos, eruditos, & fideles doctores; vt patet illis verbis ſupra, ex cap. *De Iona*, allegatis.

فَإِن كُنتَ فِي شَكٍّ مِّمَّا أَنزَلْنَا إِلَيْكَ فَسْئَلِ ٱلَّذِينَ يَقْرَءُونَ ٱلْكِتَابَ مِن قَبْلِكَ ۞

Qui-

Quibus inducitur Deus Mahometanis præcipere,& Mahometo nominatim (vt notum eſt in Alchorano verſatis & eruditis, dum ad ſecundam perſonam abſolutè dirigitur ſermo) vt de rebus, quæ difficultatẽ faciunt in Alchorano, conſulant eos qui ſacras Scripturas ante Mahometum meditati ſunt, ſcilicet Iudæos & Chriſtianos, illiſque fidem adhibeant. Rurſus cap.2. *De familia Amran* puncto 110. poſt medium capitis, octo vel nouem ferè paginis ante finem, de ijſdem Scripturarijs ſic loquitur.

لَيْسُوا سَوَاءً مِنْ أَهْلِ الْكِتَابِ أُمَّةٌ قَائِمَةٌ يَتْلُونَ آيَاتِ اللهِ
آنَاءَ اللَّيْلِ وَهُمْ يَسْجُدُونَ يُؤْمِنُونَ بِاللهِ وَالْيَوْمِ الْآخِرِ وَيَأْمُرُونَ
بِالْمَعْرُوفِ وَيَنْهَوْنَ عَنِ الْمُنْكَرِ وَيُسَارِعُونَ فِي الْخَيْرَاتِ
وَأُولَئِكَ مِنَ الصَّالِحِينَ ۝

Ideſt: *Non ſunt, præter Chriſtianos,* ſeu *præter eos quibus ſacræ Scripturæ traditæ ſunt, gentes aliæ ſuperſtites, qui meditentur articulos diuinæ legis, nocturno tempore; & ipſi genuflectunt, & credunt in Deum, & diem ultimum, & iubent* ſeu *tractant honeſta, & ab inhoneſtis recedunt, & prompti ſunt ad bona; & ipſi ſunt recti & probi.* En copioſum de Iudæis & Chriſtianis panegyricon in Alchorano,en quantum illos celebrat,en quanta laudum præconia. At eod. cap.2. *De familia Amran,* quinque ferè ante allegata paginis, ſic de ijſdem loquitur.

يَا أَهْلَ الْكِتَابِ لِمَ تَكْفُرُونَ بِآيَاتِ اللهِ وَأَنْتُمْ تَشْهَدُونَ
يَا أَهْلَ الْكِتَابِ لِمَ تَلْبِسُونَ الْحَقَّ بِالْبَاطِلِ وَتَكْتُمُونَ الْحَقَّ
وَأَنْتُمْ تَعْلَمُونَ ۝

Ideſt: *O Iudæi & Chriſtiani* ſeu *Scripturarij, cur infideles eſtis Scripturæ Dei, & vos teſtes eſtis? O Scripturarij, cur mendacijs veritatem obuoluitis, & abſconditis veritatem, & vos cognoſcitis*

tis eam? Ecce quid deterius & iniquius de iiſdem dicere poterat? En quantum illos vituperat! dum aſſerit, eos etiam agnitam veritatem repellere, in ipſum quoque Deum impios eſſe.

Rurſus, ſi cap. *De Iona* dicitur, Deum præcipere Mahometo, vt conſulat Iudæos & Chriſtianos, tamquam eruditos, de dubijs Scripturarum; vt ex allegatis exinde patet: cap. tamen 4. *De Menſa*, 3. vel 4. ferè columnis poſt initium, pag. mihi 110. oppoſitum loquitur, talia proferens.

يا اهل الكتاب قد جاءكم رسولنا يبين لكم كثيرا مما
كنتم تخفون من الكتاب قد جاءكم من الله نور وكتاب
مبين ۞

Ideſt: *O Scripturarij*, ideſt Iudæi & Chriſtiani, *iam venit ad vos Apoſtolus noſter, qui declarabit vobis multa ex ſacris Scripturis, quæ à vobis abſcondita ſunt, ex Scriptura quæ venit ad vos à Deo in lucem & Scripturam manifeſtam*, ſeu *declarantem*. vide quonam modo, nunc aſſerat Iudęos & Chriſtianos à Mahometo conſulendos, tamquam doctiores: nunc autem, è contra velit illos à Mahometo docendos, tanquam rudiores.

Sed reſpondent Mahometanorum quidam, alio modo præallegata explicantes: quidam verò addunt, non ſemper illud اهل الكتاب in Alchorano, ſignificare Iudæos & Chriſtianos, ſed pluries etiam ſignificari per illa verba ipſoſmet Mahometanos, dicunt enim, illud اهل الكتاب propriè idem ſonare ac *familiares Scripturæ*, ſeu *qui habent Scripturam*, ſeu *qui credunt ſacræ Dei Scripturæ*, quod etiã de Mahometanis, reſpondent, dici poſſe: ipſi.n.(inquiunt) habent Alchoranũ & credunt Alchorano, vnde dici poſſunt, habentes Scripturam, quando verò ſignificentur Iudæi & Chriſtiani, quando autem denotentur Mahometani, ex adiunctis colligi. Itaque in priori loco, allegato ex cap. 2. aſſerunt, intelligi de Mahometanis, ſi-

cut & in loco ſuperius allegato, tract.1. cap.1. in fine, ex cap. 4. Alchorani, quia (prout eo loci dicitur) Mahometani conueniebant nocturno tempore ad legendos articulos Alchorani. Quare (dicunt) ibi Mahometani commedantur, & non Iudæi aut Chriſtiani: in alio autem loco præallegato, Iudæi & Chriſtiani arguuntur. Sic inquiunt, bona de Mahometanis dicuntur: mala autem de Iudæis & Chriſtianis. Et in alio loco, ex cap.4. volunt, Mahometanis, Iudæis, & Chriſtianis pariter dictum, vt Mahometum audirent circa aliqua, quæ pertinerẽt ad vtrumque Teſtamentum: Iudæos autem & Chriſtianos eſſe conſulendos à Mahometo in alijs quibuſdam. Sed certè ex his, legem nimis ancipitem eſſe, negari non poteſt. Nam quiſque, ex illis verbis, potuiſſet inferre, ſe eſſe in quæſtione occurrenti audiendum, & non cæteros; cùm non conſtaret, in quibusnam eſſet audiendus Mahomet, & in quibus Iudæi & Chriſtiani: vnde quilibet fingere ex ea lege potuiſſet, ſibi fidem arrogandam, circa propoſitam quæſtionem.

Sed quamuis concedatur, quod & concedi poteſt, pluries per ly اهل الكتاب etiam in Alchorano ipſoſmet Mahometanos deſignari, quod quidem non eſt à veritate alienum: Nihilominus adhuc contradictio viget ex loco allegato, ex cap. *De Iona*, vbi tamquam veridicos, fideles, ac tamquam à deceptione alienos, vult Iudæos & Chriſtianos de rebus dubijs fidei conſulendos, illiſquè fidem omnem adhibendam: vbi non habet æquiuocatio locũ, an intelligi debeat de Mahometanis, an de Chriſtianis; ſed certum eſt, ibi ſermonem eſſe de Chriſtianis & Iudæis. Deinde cap.2. dicit, eoſdem eſſe infideles & deceptores; vt ex allegatis conſtat, dum dicit illos mendacijs veritatem obuoluere &c. Nec in his tantummodo locis ſibi contradicit, verum etiam & in pluribus, nunc hæc, nunc illa, de Iudæis & Chriſtianis obloquitur.

Sed & de ſacris Scripturis quanta profert diuerſis in locis præconia laudum? nunc dicens, Tora & Euangelia eſſe à Deo in hominum directionem, & in Orbis lucem, vt cap.2. *De familia Amran*, ſub initium.

cap.

أَنزَلَ ٱلتَّوْرَيٰةَ وَٱلْإِنجِيلَ مِن قَبْلُ هُدًى لِّلنَّاسِ ۞

cap.4. *De Menſa*, ſeptem circiter pagin. poſt initium, pag. mihi 114. & 115.

إِنَّا أَنزَلْنَا ٱلتَّوْرَيٰةَ فِيهَا هُدًى وَنُورٌ يَحْكُمُ بِهَا ٱلنَّبِيُّونَ ۞

& poſt paucos verſus.

ٱلْإِنجِيلَ فِيهِ هُدًى وَنُورٌ ۞

Ideſt. *Nos miſimus Torà & Euangelium, in quibus eſt inſtitutio rectitudinis, & lux*. Et initio primi capitis *De Vacca*, ſic orſus eſt.

ذَٰلِكَ ٱلْكِتَٰبُ لَا رَيْبَ فِيهِ هُدًى لِّلْمُتَّقِينَ ۞

In illa ſacra Scriptura non eſt aliquid ſuſpicionem faciens, ſed eſt directio timentium Deum. Quæ verba de ſacra Scriptura intelligenda ſunt, ſcilicet de Torà & Euangelijs: nec enim de Alchorano intelligi poſſunt, vt probauimus ſupra tract.1. cap.5 ſect.3. ſed & ipſi Mahometani, & Gloſſę Alchoran. etiam fatentur. Et quamuis tantis præconijs ſacras Scripturas celebret; nihilominus quàm multa ipſarum Scripturarum peruertit! quanta fraudolentia ſacra Myſteria in eiſdem Scripturis contenta denegat! quanta peruerſitate Scripturarum earundem præcepta diſſoluere conatur! in quot quantiſque eiſdẽ S. Scripturis repugnat! ſic aſſerit & negat: aſtruit & deſtruit, vt in omnibus mentiatur.

Tertiò, paſſim dicit Alchoranus, Diabolos eſſe hominum inimicos, mendaces, & perpetuò inferni ſupplicijs addictos, vt cap. 1. pag. mihi 6. & 12. Item سُورَة ٱلشُّعَرَاء ideſt c. *De Poetis*. pag. 357. & سُورَة ٱلْحَشْر *De reſurrectione*; ſeu *aggrega-*

أَوْحَيْنَا إِلَيْكَ رُوحًا مِنْ أَمْرِنَا مَا كُنْتَ تَدْرِي مَا ٱلْكِتَابُ وَلَا ٱلْإِيمَانُ ۞

Ideſt. *Nos inſpirauimus tibi ſpiritum ex mandato noſtro; non autem intelligis quid ſit Scriptura hæc*, ſeu *quid ſit liber*, *neque quid ſit fides*. Cogita igitur, quid proloqui poſſet Mahometus, dum ipſemet, quæ in Alchorano diceret, ignoraret? alienus à ſcientia Scripturæ, neſcius in libro quem alijs proponebat, & neſcius in fide. legatur autem سورة الشورى in fine & آل عمران ſub initium. Exinde enim patebit, an vera loquamur.

Verùm vniuerſa, quæ in alios profert mendacia, fortè etiam excuſarem, niſi inexcuſabilia proferret, non ſolùm contra Deum & ſacras Scripturas, vt patet ex his quæ ſuprà retulimus: de vltimo fine, de beatitudine in carnali copula per ipſum collocata: de ſalute Iudæorum, Mahometanorum, Chriſtianorum, & Paganorum: de licentia ſibi aſſumpta, vt blaſphemat, à Deo, auferendi vxorem proximi ſui, & ſibi proſtituendi: & innumera, quæ in Deum obloquitur, dum ſua flagitia, Dei nomine, Dei auctoritate, ſibi præcepta, palàm iactat; illam blaſphemiam, quam ipſe de alijs dicit cap. de الأعراف *De Muro*, in Deum irrogans; Dicit enim ipſe.

وَإِذَا فَعَلُوا فَاحِشَةً قَالُوا وَجَدْنَا عَلَيْهَا آبَاءَنَا وَٱللَّهُ أَمَرَنَا بِهَا قُلْ إِنَّ ٱللَّهَ لَا يَأْمُرُ بِٱلْفَحْشَاءِ

Ideſt: *Et cum perpetrauerint aliquid obſcenum, dicunt: Inuenimus maiores noſtros ita facientes, & Deus illud nobis præcepit &c.* Si quis benè norit, quæ dicat Alchoranus, norit etiam, quoties ibi Mahomet ſua flagitia diuino nomine, mentiens, excuſet.

At

At mendacia quis excuſabit, quæ protulit contra ſe ipſum? adeo vt non ſolùm veritatem aliorum, & veritatem Dei; verum etiam & propriam deſtruat extructionem: ita vt, non ſolùm dici poſſit mendax & non vera Alchorani lex, imò etiam nec ſit iuſtificata in ſemetipſa; quam vltimo loco ponit Propheta diuinæ legis conditionem, dum inquit: *Iudicia Domini iuſtificata, &c.*

CAPVT IX.

Iuſtificata in ſemetipſa.

HIs verbis ſignificat Propheta, tantam eſſe Diuinæ legis rectitudinem & veritatem, vt teſtimonio non indigeat alieno, ſed ſemetipſa, ſua facie, ſe proferat eſſe Diuinam.

Hoc autem in vtriuſque Teſtamenti paginis, & Noui præſertim, patet: ſiquis enim illas peruoluat, mentis oculos paſſionis velamine non obtegens; perſpiciens illarum rectitudinem, veritatem, concinnitatem, pietatem, decorem, honeſtatē; illicò fatebitur, non alio eſſe, quā Diuino dictatas afflatu, iuxta illud 2. Petri 1. 21. *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines.*

Alchoranus autem tot nænias, prout ſupra vidimus, tot turpitudines, tot mendacia continens, illicò ſemetipſo declarat ſuam impoſturam: præcipuè verò, cùm dicta retractet, deſtruens quæ priùs aſtruxerat. Et quidem ipſe cap. 3. pag. mihi 88. circa medium capitis, inquit,

أَفَلَا يَتَدَبَّرُونَ ٱلْقُرْآنَ وَلَوْ كَانَ مِنْ عِنْدِ غَيْرِ ٱللّٰهِ لَوَجَدُوا فِيهِ
ٱخْتِلَافًا كَثِيرًا ۝

Ideſt. *Num non aſſument pro Duce Alchoranum? ſi enim eſſet ab alio, quàm à Deo, reperirentur in ipſo contrarietates plurimæ.* Si ergo in aliqua lege reperiantur contradictoria, ex ipſomet Alchorano, etiam concludendum eſt, illam non eſſe à Deo.. Imò & addere oportet, nec eſſe à viro cordato, & prudente: Quilibet enim, etiam mediocris prudentiæ vir, refugit contradictoria in ſuo ſermone proferre: dedecus namque eſt, non ſibi conſtare. At Alchoranus ſibi non conſtat. Ergo non eſt lex iuſtificata in ſemetipſa, ergo à Deo non eſt: imò nec à viro cordato. Quòd autem contradictoria proferat, patet ex multis iam ſupra recenſitis; ſed & præterea etiam patet.

Alchoranus ſibi non conſtat.

Primò. Quia per vniuerſa capita ſibi contradicit, vt patet in titulis; ſingula enim capita inſcribuntur eſſe, vel Medinenſia, vel Mechenſia: ideſt vel caput compoſitum Medinæ, vel compoſitum Mecæ. Noſti enim, Mahomet decem annos poſt Propheticam ſuſceptam, ſeu ſimulatam, ſeu poſtquam ſe Prophetam effinxit, traduxiſſe Mecæ: deinde Meca eiectus, ſeceſſit Medinam, ſpatio decem dierum Meca diſſitam; ibique tredecim annos moratum eſſe proſequendo Alchorani compoſitionem. Propterea aliqua capita inſcribuntur. مَكِّيَّة *Mechenſia*, aliqua verò مَدَنِيَّة *Medinenſia*: ideſt, hæc Medinæ & non Mecæ compoſita, illa verò Mecæ & non Medinæ. Idque patet in ſingulorum capitum titulis; & conuenit in hoc liber Agar, narrans per extenſum, qualiter Mahometus Alchorani capita propoſuerit.

At è contra cap. 1. سٓ البقرة *De Vacca*: dicit, Alchoranum deſcendiſſe, ſeu compoſitum eſſe, vel à Deo acceptum menſe Ramadan.

شَهْرُ رَمَضَانَ ٱلَّذِى أُنْزِلَ فِيهِ ٱلْقُرْآنُ ۝

Ideſt. *Menſe Ramadan in quo deſcendit Alchoranus*. Et initiò سورة الدخان ideſt cap. *De fumo*.

Ideſt.

وَٱلْكِتَابِ ٱلْمُبِينِ إِنَّا أَنزَلْنَاهُ فِى لَيْلَةٍ ۞

Ideſt. *Per librum declaratorem iuro: quòd miſerimus eum in vna quadam nocte.* Quibus verbis inducit & fingit Alchoranus, Deum iurantem, ſe dediſſe Alchoranum vna quadam nocte. Et cap. القدر *Elcadar.* dicit pariter, acceptum fuiſſe Alchoranum vna nocte. Et سورة الفرقان cap. *De Alchorano* ſeu *Alforcano pag. 349.* dicit, deſcendiſſe totum ſimul جُمْلَةً وَاحِدَةً ideſt. *in vnam ſummam.* ſeu *ſimul ſumma vna.* Ergo Alchoranus & ſingula eius capita ſimul in nocte quadam menſis Ramadan fuit acceptus. Hæc verò nox fuit nè nox tranſacta Medinæ, vel Mecæ? Si reſpondeatur, fuiſſe noctem tranſactam Mecæ, falſum afferent tituli qui inſcribuntur. مدنية *Medinenſes.* Si verò fuit nox tranſacta Medinæ, falſum afferent tituli, qui inſcribuntur. مكية *Mechenſes.* Vel ſi dicatur, re vera quædam capita fuiſſe accepta Medinæ, quædam verò Mecæ. Ergo falſum erit illud quod aſſerunt capita præallegata, dùm dicunt, acceptum fuiſſe Alchoranum in vna nocte menſis Ramadan. Quodcumque dicatur alterutrum deſtruitur. Ergo contradictio eſt in toto Alchorano. Ergo Dei lex eſſe nequit, cùm non ſit Iuſtificata in ſemetipſa.

Verùm ex libro Agar ſatis conſtat, Alchorani capita per ſingula ſingillatim tradita, ſeu efficta, non autem ſimul omnia, vt infra cap. 10. ſect. 1. huius Tractatus referemus. Imò non omnia integra capita ſimul tradita, ſed per verſus: quod colligi poteſt etiã ex contradictorijs, quæ vno eodemq. capite profert: Nec enim eodem tempore putandum eſt vtrumque contradictorium excogitaſſe; ſed cum oblitus eſſet prioris, tunc alterum ſubnexiſſe.

Secundò contradicit ſibi, dum 1. capit. & 4. aſſerit, Iudæos & Chriſtianos ſalutem adepturos: Inſuper, & Paganos. ſic dicens

Ideſt.

إِنَّ ٱلَّذِينَ آمَنُوا وَٱلَّذِينَ هَادُوا وَٱلنَّصَارَى وَٱلصَّابِئِينَ فَلَهُمْ أَجْرُهُمْ
عِنْدَ رَبِّهِمْ وَلَا خَوْفٌ عَلَيْهِمْ وَلَا هُمْ يَحْزَنُونَ ۞

Ideſt. *Certè quòd his qui crediderint*, ideſt, ſecundũ ſuum ſenſum, *Mahometanis*, *& Iudæis*, *& Chriſtianis*, *& Paganis*, *ipſis erit merces eorum apud Dominum*, *& non erit timor contra eos*, *neque contriſtatio*. Sic loquitur allegatis capit. 1. & 4. & capite primo præcipit, vt ſiue Iudæis, ſiue Chriſtianis, ſiue Paganis, & cuiuſcumque alterius ſectæ, de lege Alchoranica ſciſcitantibus, ſic Mahometani reſpondeant.

أَتُحَاجُّونَنَا فِي ٱللَّهِ وَهُوَ رَبُّنَا وَرَبُّكُمْ وَلَنَا أَعْمَالُنَا وَلَكُمْ
أَعْمَالُكُمْ وَنَحْنُ لَهُ مُخْلِصُونَ ۞

Ideſt. *Num contendetis nobiſcum de Deo, cùm ipſe ſit Dominus noſter, & Dominus veſter? Et nobis opera noſtra, & vobis opera veſtra, noſque etiam ipſi Domino noſmet commiſimus*. Ex quibus ſatis clarè patet, Alchorani auctorem exiſtimaſſe, fidei, ſeu ſectæ diuerſitatem, non tollere, neque tribuere ſalutem, & poſſe quemlibet ſaluari, ſiue Paganum, ſiue Iudæum, ſiue Chriſtianum; ſiue Mahometanum. At cap. 2. oppoſitum dicit, pag. mihi 60.

وَمَنْ يَبْتَغِ غَيْرَ ٱلْإِسْلَامِ دِينًا فَلَنْ يُقْبَلَ مِنْهُ وَهُوَ فِي ٱلْآخِرَةِ
مِنَ ٱلْخَاسِرِينَ ۞

Ideſt: *Quicumque profeſſus fuerit aliam legem, præter legem Mahometanorum, non ſuſcipietur ab eo, & in alio ſæculo inter damnatos computabitur*. Hæ duæ propoſitiones: Saluabuntur Iudæi, Chriſtiani, & Pagani: Nullus ſaluabitur, niſi ſolus Mahometanus: Nonnè ſunt contradictoriæ? ly *Nullus*, excludit

dit omnes alios: At ly *Iudæi*, *Chriſtiani*, *&* *Pagani*: includit etiam alios præter Mahometanos: nec enim Chriſtiani, Iudæi, & Pagani, ſecundùm ipſum Alchoranum, Mahometani ſunt, ſed contradiſtinguuntur à Mahometanis, inſuper eod. c.1. pag. mihi 18. Iudæos & Chriſtianos alienos eſſe à Mahometanis, dicit enim.

وَلَنْ تَرْضَى عَنْكَ ٱلْيَهُودُ وَلَا ٱلنَّصَارَى ۞

Ideſt. *Et nunquam aliquando tibi complacebunt*, ſeu *te charum* aut *gratum habebunt*, *Iudæi*, *neque Chriſtiani*. Ergo modò per vnam propoſitionem illos excludit, modò per aliam includit: modò aſſerit ſalutem adepturos, modò negat. Ergo contradictoria aſtruens lex, Iuſtificata in ſemetipſa dici non poteſt, neque diuina. Inſuper cap. *De Iona*. cap. 4. *De menſa*, & alibi pluries aſſerit, Iudæos & Chriſtianos legem à Deo accepiſſe. E contrà verò cap.1. dicit, Iudæos, & Chriſtianos eſſe ſine lege, & ſine religione. Item dicit paſſim quòd Deus odit infideles, quòd eſt inimicus infidelibus, quòd infideles perpetuò maledictionibus ſubiacebunt, vt cap.1. pag. mihi 24. & pag.15. & 16. & cap.2. pag. mihi 60. E contra verò dicit, infideles ſaluandos, cum eodem cap.1. aſſerat Iudæos, & Paganos, & Chriſtianos, quos ſibi Mahomet fatetur fidem non habituros, eodem cap.1. pag.18. vbi ſupra, eſſe ſaluandos: in quibus, vt patet, plura contradictoria inuoluuntur.

Dicit item, Iudæos & Chriſtianos, (quos paſſim in Alchorano Mahomet vocat اهل الكتاب ideſt *Meditatores ſacrarum Scripturarum*, ſeu *eruditos in ſacris Scripturis*, ſeu *quibus ſacræ Scripturæ à Deo traditæ ſunt*) eſſe de ſacris Scripturis conſulendos, tanquam veridicos, eruditos, & fideles doctores; vt patet illis verbis ſupra, ex cap. *De Iona*, allegatis.

فَإِنْ كُنْتَ فِى شَكٍّ مِمَّا أَنْزَلْنَا إِلَيْكَ فَسْلِ ٱلَّذِينَ يَقْرَؤُونَ
ٱلْكِتَابَ مِنْ قَبْلِكَ ۞

Qui-

Quibus inducitur Deus Mahometanis præcipere, & Mahometo nominatim (vt notum eſt in Alchorano verſatis & eruditis, dum ad ſecundam perſonam abſolutè dirigitur ſermo) vt de rebus, quæ difficultatẽ faciunt in Alchorano, conſulant eos qui ſacras Scripturas ante Mahometum meditati ſunt, ſcilicet Iudæos & Chriſtianos, illiſque fidem adhibenat. Rurſus cap. 2. *De familia Amran* punčto 110. poſt medium capitis, očto vel nouem ferè paginis ante finem, de ijſdem Scripturarijs ſic loquitur.

لَيْسُوا سَوَآءً مِنْ أَهْلِ ٱلْكِتَابِ أُمَّةٌ قَائِمَةٌ يَتْلُونَ آيَاتِ ٱللهِ
آنَآءَ ٱللَّيْلِ وَهُمْ يَسْجُدُونَ يُؤْمِنُونَ بِٱللهِ وَٱلْيَوْمِ ٱلْآخِرِ وَيَأْمُرُونَ
بِٱلْمَعْرُوفِ وَيَنْهَوْنَ عَنِ ٱلْمُنْكَرِ وَيُسَارِعُونَ فِي ٱلْخَيْرَاتِ
وَأُولَٰئِكَ مِنَ ٱلصَّالِحِينَ ۝

Ideſt: *Non ſunt, præter Chriſtianos,* ſeu *præter eos quibus ſacræ Scripturæ traditæ ſunt, gentes aliæ ſuperſtites, qui meditentur articulos diuinæ legis, nočturno tempore; & ipſi genuflečtunt, & credunt in Deum, & diem ultimum, & iubent* ſeu *tračtant honeſta, & ab inhoneſtis recedunt, & prompti ſunt ad bona; & ipſi ſunt rečti & probi.* En copioſum de Iudæis & Chriſtianis panegyricon in Alchorano, en quantum illos celebrat, en quanta laudum præconia. At eod. cap. 2. *De familia Amran,* quinque ferè ante allegata paginis, ſic de ijſdem loquitur.

يَا أَهْلَ ٱلْكِتَابِ لِمَ تَكْفُرُونَ بِآيَاتِ ٱللهِ وَأَنْتُمْ تَشْهَدُونَ
يَا أَهْلَ ٱلْكِتَابِ لِمَ تَلْبِسُونَ ٱلْحَقَّ بِٱلْبَاطِلِ وَتَكْتُمُونَ ٱلْحَقَّ
وَأَنْتُمْ تَعْلَمُونَ ۝

Ideſt: *O Iudæi & Chriſtiani* ſeu *Scripturarij, cur infideles eſtis Scripturæ Dei, & vos teſtes eſtis? O Scripturarij, cur mendacijs veritatem obuoluitis, & abſconditis veritatem, & vos cognoſcitis*

tis eum? Ecce quid deterius & iniquius de ijſdem dicere poterat? En quantum illos vituperat! dum aſſerit, eos etiam agnitam veritatem repellere, in ipſum quoque Deum impios eſſe.

Rurſus, ſi cap. *De Iona* dicitur, Deum præcipere Mahometo, vt conſulat Iudæos & Chriſtianos, tamquam eruditos, de dubijs Scripturarum; vt ex allegatis exinde patet: cap. tamen 4. *De Menſa*, 3. vel 4. ferè columnis poſt initium, pag. mihi 110. oppoſitum loquitur, talia proferens.

يَااَهْلَ الكِتَابِ قَدْ جَاءَكُمْ رَسُولُنَا يُبَيِّنُ لَكُمْ كَثِيرًا مِمَّا كُنْتُمْ تُخْفُونَ مِنَ الكِتَابِ قَدْ جَاءَكُمْ مِنَ اللّٰهِ نُورٌ وَكِتَابٌ مُبِينٌ ۞

Ideſt: *O Scripturarij*, ideſt Iudæi & Chriſtiani, *iam venit ad vos Apoſtolus noſter, qui declarabit vobis multa ex ſacris Scripturis, quæ à vobis abſcondita ſunt, ex Scriptura quæ venit ad vos à Deo in lucem & Scripturam manifeſtam*, ſeu *declarantem*. vide quonam modo, nunc aſſerat Iudęos & Chriſtianos à Mahometo conſulendos, tamquam doctiores: nunc autem, è contra velit illos à Mahometo docendos, tanquam rudiores.

Sed reſpondent Mahometanorum quidam, alio modo præallegata explicantes: quidam verò addunt, non ſemper illud اهل الكتاب in Alchorano, ſignificare Iudæos & Chriſtianos, ſed pluries etiam ſignificari per illa verba ipſoſmet Mahometanos, dicunt enim, illud اهل الكتاب propriè idem ſonare ac *familiares Scripturæ*, ſeu *qui habent Scripturam*, ſeu *qui credunt ſacræ Dei Scripturæ*, quod etiã de Mahometanis, reſpondent, dici poſſe: ipſi.n. (inquiunt) habent Alchoranũ & credunt Alchorano, vnde dici poſſunt, habentes Scripturam, quando verò ſignificentur Iudæi & Chriſtiani, quando autem denotentur Mahometani, ex adiunctis colligi. Itaque in priori loco, allegato ex cap. 2. aſſerunt, intelligi de Mahometanis, ſi-

cut & in loco ſuperius allegato, tract.1. cap.1. in fine, ex cap. 4. Alchorani, quia (prout eo loci dicitur) Mahometani conueniebant nocturno tempore ad legendos articulos Alchorani. Quare (dicunt) ibi Mahometani commedantur, & non Iudæi aut Chriſtiani: in alio autem loco prællegato, Iudæi & Chriſtiani arguuntur. Sic inquiunt, bona de Mahometanis dicuntur: mala autem de Iudæis & Chriſtianis. Et in alio loco, ex cap.4. volunt, Mahometanis, Iudæis, & Chriſtianis pariter dictum, vt Mahometum audirent circa aliqua, quæ pertinerēt ad vtrumque Teſtamentum: Iudæos autem & Chriſtianos eſſe conſulendos à Mahometo in alijs quibuſdam. Sed certè ex his, legem nimis ancipitem eſſe, negari non poteſt. Nam quiſque, ex illis verbis, potuiſſet inferre, ſe eſſe in quæſtione occurrenti audiendum, & non cæteros; cùm non conſtaret, in quibusnam eſſet audiendus Mahomet, & in quibus Iudæi & Chriſtiani: vnde quilibet fingere ex ea lege potuiſſet, ſibi fidem arrogandam, circa propoſitam quæſtionem.

Sed quamuis concedatur, quod & concedi poteſt, pluries per ly اهل الكتاب etiam in Alchorano ipſoſmet Mahometanos deſignari, quod quidem non eſt à veritate alienum: Nihilominus adhuc contradictio viget ex loco allegato, ex cap. *De Iona*, vbi tamquam veridicos, fideles, ac tamquam à deceptione alienos, vult Iudæos & Chriſtianos de rebus dubijs fidei conſulendos, illiſquè fidem omnem adhibendam: vbi non habet æquiuocatio locū, an intelligi debeat de Mahometanis, an de Chriſtianis; ſed certum eſt, ibi ſermonem eſſe de Chriſtianis & Iudæis. Deinde cap.2. dicit, eoſdem eſſe infideles & deceptores; vt ex allegatis conſtat, dum dicit illos mendacijs veritatem obuoluere &c. Nec in his tantummodo locis ſibi contradicit, verum etiam & in pluribus, nunc hæc, nunc illa, de Iudæis & Chriſtianis obloquitur.

Sed & de ſacris Scripturis quanta profert diuerſis in locis præconia laudum? nunc dicens, Tora & Euangelia eſſe à Deo in hominum directionem, & in Orbis lucem, vt cap.2. *De familia Amran*, ſub initium.

cap.

أنزل التورية والانجيل من قبل هدى للناس ۞

cap.4. *De Menſa*, ſeptem circiter pagin. poſt initium, pag. mihi 114. & 115.

إنا أنزلنا التورية فيها هدى ونور يحكم بها النبيون ۞

& poſt paucos verſus.

الانجيل فيه هدى ونور ۞

Ideſt. *Nos miſimus Torà & Euangelium, in quibus eſt inſtitutio rectitudinis, & lux*. Et initio primi capitis *De Vacca*, ſic orſus eſt.

ذلك الكتاب لا ريب فيه هدى للمتقين ۞

In illâ ſacra Scriptura non eſt aliquid ſuſpicionem faciens, ſed eſt directio timentium Deum. Quæ verba de ſacra Scriptura intelligenda ſunt, ſcilicet de Tora & Euangelijs: nec enim de Alchorano intelligi poſſunt, vt probauimus ſupra tract.1. cap.5 ſect.3. ſed & ipſi Mahometani, & Gloſſę Alchoran. etiam fatentur. Et quamuis tantis præconijs ſacras Scripturas celebret; nihilominus quàm multa ipſarum Scripturarum peruertit! quanta fraudolentia ſacra Myſteria in eiſdem Scripturis contenta denegat! quanta peruerſitate Scripturarum earundem præcepta diſſoluere conatur! in quot quantiſque eiſdē S. Scripturis repugnat! ſic aſſerit & negat: aſtruit & deſtruit, vt in omnibus mentiatur.

Tertiò, paſſim dicit Alchoranus, Diabolos eſſe hominum inimicos, mendaces, & perpetuò inferni ſupplicijs addictos, vt cap. 1. pag. mihi 6. & 12. Item س الشعراء ideſt c. *De Poetis*. pag. 357. & س الحشر *De reſurrectione*; ſeu *aggregatio-*

tione pag. 523. & cap. الاعراف *De muro*, poſt initium, p. 151. & pag. 227. in fine الهود ideſt capit. *De Hud*, quod nomen dicunt poni pro محمد Mohammed. Præcipuè autem cap. *De litera Sad*, ص سورة ص circa finem, pag. mihi 436. Dicit etiam, Diabolos eſſe mendaces, & iniquos, vt cap. *De Poetis*. circa fin. p. 362. Quòd Diabolus eſt inimicus hominibus & perducere eos conatur in infernum, & propterea inimici etiam præcipit vt ſint diabolo, سورة فاطر ideſt cap. *De Creatore*, ſub initium pag. 415. Idem repetit cap. يس pag. 423., & cap. الزخرف *De domo affabrè ornata*. p. 470. Dicit itaque, diabolum eſſe inimicũ Deo & hominibus, ac perpetuò damnatum: pœna enim eorum qui in inferno truſi ſunt, numquam minuetur, prout dicit cap. 1. pag. mihi 24. & repetit cap. 2. pag. 60.

خالدين فيها لا يخفف عنهم العذاب

Ideſt. *Perpetuò manebunt in ea*, ſcilicet gehenna, *non minuetur ab eis pœna*. At سورة الجن cap. *De Diabolis*, pag. 547. & c. الاحقاف pag. 481. dicit, quòd Diaboli crediderunt Alchorano, & fideles euaſerunt, facti amici Dei, & hominum, & quòd ſaluabuntur, & ſalutem conſequentur & gloriam. Hoc autem etiam ſi alijs Alchorani propoſitionibus non eſſet contradictorium, quonammodo ſaluari poſſet? Quomodo enim Diaboli, qui non ampliùs ſunt in via, nec pœnitentiæ habent ſpatium; ſed perpetuò Tartari ignibus ſunt addicti, dici poſſunt, conuerti ad Deum, & credere? Sed qui facit Deum tàm clementem damnatis iam, & ipſiſmet diabolis & Dæmonibus, vt etiam illis dicat Deum parcere, & ab illis pœnitentiam ſuſcipere: attende, quàm ſeuerum eundem faciat hominibus, ad-

huc

huc in via poſitis,& ante mortem ; & damnationem, in hac vita degentibus, circa med. cap. *De familia Amran*,pag. mihi 60.

إِنَّ ٱلَّذِينَ كَفَرُوا بَعْدَ إِيمَانِهِمْ ثُمَّ ٱزْدَادُوا كُفْرًا لَنْ تُقْبَلَ
تَوْبَتُهُمْ ۞

Ideſt. *Certè quod qui infideles facti fuerint poſt fidem ſuam, deinde creuerint in infidelitate, nequaquam in æternum acceptabitur ab eis pœnitentia*. Ita, perpetuò inferni pœnis addictis dat Alchoranus locum pœnitentiæ, quem denegat alijs qui non adhuc ad iudicis tribunal citati ſunt. Quaſi Deus ab impœnitentibus, non à pœnitentibus, ſuſciperet pœnitentiam. contradicens non ſolùm ſacris Dei ſcripturis, ſed & rationi, & ſibi.

Quartò, cap. 1. dicit Moyſi datum eſſe Alchoranum,& addit in libr. Sonna: Dauid Regem totum recitare ſolitum Alchoranum, eo tantùm ſpatio temporis in ea recitatione inſumpto, quantum eius ſerui in mulæ ipſius ſtratione inſumerent. At eodem cap. 1. Alchorani, & alibi paſſim, dicit, traditum eſſe ſibi Alchoranum ipſum, non Moyſi. Sed ad hoc reſpondent aliqui, nolle ſignificare Alchoranum, ſed Torâ, & propterea non vtitur ibi nomine Alchoran, ſed Alforcan. Quod non ſignificat præcisè Alchoranum, ſed Dei legem. Verùm hoc pertinet ad quæſtionem de nomine, an pro Alforcan intelligatur præcisè Alchoranus, an Dei lex in communi; & quidem expoſitores omnes, idem eſſe, aſſerunt, Alchoranum & Alforcan, & non indicant differentiam; ſed explicant tamquam ſynonyma, ergo error & contradictio etiam in hoc ſuſpicari poteſt. Quod ſi non intercedat in hoc, certè in cæteris ſupra allegatis contradictoria ſaluari nequeunt, & vnica tantùm contradictio ſufficit ad hoc vt lex in ſemetipſa iuſtificata non ſit. Et illud de tam celeri Dauidis lingua, vt poſſet tam breui temporis ſpatio totum Alchoranum, vel totam Torâ recitare: quis non aduertat quantam contineat, non tantùm falſitatem, ſed & inſulſitatem?

Præterea, etiam plura contradictoria enumerari poſſent; ſed ſi vnicum etiam ſufficit ad dignoſcendam impoſturam, fruſtra

plu-

plura enumerantur, quæ potius tractatum facerent longiorem, quàm impoſturam euidentiorem.

Sed & præter iam memorata ſuperiùs, innumera ſunt in Alchoranica lege intolerabilia: tàm contra iuſtitiā, quàm contra veritatē, quàm cōtra religionem & pietatem, quàm contra proximum, & præcipuè aduersùs Deum, quem, nec etiam refugit, dicere deceptorem, fraudolentum, & impoſtorem; vt patet cap. 2. سورة آل عمران *De familia Amrān*, vbi ſic loquitur.

ومكروا ومكر الله والله خير الماكرين ۞

Ideſt. *Et doloſè egerunt: & doloſè egit Deus, & Deus eſt omnium doloſè agentium magis doloſus.* Quāta eſt hæc Alchorani blaſphemia! Quam execrandum conuitium! Qualis impietas eam ſuperat impietatem! At reſpondent Mahometanorum quidam, eo loci illud مكر & ماكرين non ſumi vſitata & communi ſignificatione, pro decipere, & fraudolenter agere: ſed pro cautum, aſtutum, ſeu aduertentem, & perſpicacem eſſe. Sed quamuis id concedatur; non deſunt tamen alij complures ex Alchorano loci, quibus, indiſſimulata ſignificatione, tribuitur Deo titulus deceptoris & impoſtoris, vt cap. *De Mulieribus* ſecūda vel tertia circiter pag. ante fin. p. mihi 101. vbi Alchoranus apertè Deū vocat خادع *Deceptorem, decipientē, impoſturam facientem, fraudulentum*: & cap. 2. *De familia Amran*, vna circiter pag. poſt initium, tales apud Deum ſimulat ſe fundere preces.

ربنا لا تزغ قلوبنا بعد اذ هديتنا ۞

Ideſt: *Domine Deus noſter, ne ſeducas,* ſeu *peruertas corda noſtra, poſtquam direxiſti nos.* Et alibi pluries repetit, Deū decipere & ſeducere quos vult, vtiturq. dictione يضل ideſt *Peruertit, ſeducit.* Nuſquā ad finis portū appelleremus, ſi vniuerſa recenſere per ſingula tentaremus; ex quibus patet, quòd Alchorani author,

thor, vel plerumque, neſciens & ignorans, verba quæ loquebatur, proferret: vel impias ex animo in Deum blaſphemias irrogaret, ad machinandum hominibus impoſturas.

Concludendum igitur eſt, Alchoranum à Deo eſſe non poſſe, cũ in nullo ſe præferat diuinã Scripturã, & in multis ſe proferat impoſturam. Vidimus enim, animas non conuertere, ſed peruertere: non eſſe fidelem, ſed infidelem: non reddere paruulos ſapientes, ſed inſipientes: non docere iuſtitiam, ſed iniuſtitiam, ad Mahometi commoda, & Mahometi concupiſcentias explendas: non eſſe lucidam legem, oculos illuminantem; ſed nutantibus præceptis confundentem: Non eſſe in ſæculum ſæculi permanentem; ſed ancipitem ſibique non conſtantem: Non veram, ſed mendacia proloquentẽ: non iuſtificatam in ſemetipſa, ſed ſemetipſam deſtruentem: Ac tandem non immaculatam, cùm in tam multis reprehendi poſſit, immo cùm fere in nullo nõ ſit reprehẽſibilis. E contra nihil tale de lege Moyſi, & Chriſti, dici poteſt, cùm re vera immaculata, & irreprehenſibilis in omnibus inuehiatur, diuinæ gratiæ efficacia, miraculorum oſtenſione, & rectis diuiniſque præceptis animas ad Deum & virtutem conuertens; non, prout Alchoranica, per vitiorum anfractus peruertens: Non infidelis, ſed fidelis: paruulos dirigens, corda lætificans, clara & illuminans, ſancta, honeſta, & pudica; non vt Alchoranica turpis, inhoneſta, & impudica: conſtans ac permanens; non vt Alchoranica nutans & vacilans, ſibique minime conſtans: & non vt Alchoranica, mendacia proloquens, & falſa & ſcurrilia proponens; ſed vera, vtilia, ſeria, atque Diuina.

Ex dictis itaque hic velim prudenter recogites tecum, prudentiſſime Ahmed, An veri ſpeciem præſeferat: non dico, An verum ſit, aut verum poſſit eſſe; ſed an ſit veriſimile apud mentis compotes, Deum ſummum, perennem, innocentiæ, rectitudinis, fidelitatis, ſapientiæ, iuſtitiæ, æquitatis, lucis, honeſtatis, veritatis, & omnim virtutum fontem, voluiſſe, Euangelicam legem, tam immaculatam, tam rectam, tam fidelem, tam æquam, tam iuſtam, tam honeſtam, tam veram, ac talem, vt ſi ab hominibus ſeruaretur, iam cæleſtem vitam viuere videremur in terris: & talem inquam legem, Deum voluiſſe in Alchoranicam mutari? In legem (vt patet ex dictis) in tam multis reprehenſibilem, in tantis decipientem,

tem, in tot inſipientem; & quod præcipuum eſt; in tam multis iniuſtam, in tot tantiſque mendacem, inhoneſtam, confuſam, nec ſibimetipſi conſtantem? abſit à cordato viro, vt tam vecordem ſecum habeat exiſtimationem.

Ergo, libri legis Moyſi, cum Prophetis, & cæteris, quę ad Veterem legem pertinent: & Euangelium, cum cęteris Noui Teſtamenti paginis, à Deo ſunt: cùm irreprehenſibiles, & immaculati, comprobentur: pro vt patet etiam ex dictis in ſolutione eorum, quæ Mahometani obijciunt. Alchoranus verò, & libri qui ad Mahometi legem ſpectant, diuini eſſe nequeunt, cùm in tot tantiſque deprehenſi ſint.

Ergo, dum Alchoranus Euangelijs, aut Prophetarum teſtimonijs & Torà contradicit, patet cui nàm adhibenda ſit fides, nempè; an impoſturæ? an Dei ſcripturę?

Ergo; ſi Alchoranus dictis Torà, vel Euangelijs repugnat, non propterea Euangelia aut Torà de vitio ſuſpicionem facere debent; quia Alchorani fidęs nulla eſt. E contra verò, cùm pro Euangelijs & Torà facit Alchoranus, oſtendit, tantam eſſe Torà & Euangelij certitudinem & veritatem, vt tantus impoſtor inficiari nequiuerit.

Præterea, clariùs patebit Alchorani impoſtura, conſiderata Mahometi vita: ex qualitate enim legiſlatoris, dignoſcitur etiam & legis qualitas.

CAP.

CAPVT X.

De Mohammede, ſeu Mahomet, Alchoranicæ ſectæ Auctore.

SECTIO I.

De Mahometi parentibus, ortu, educatione, Patria, & legiſlatione.

MAhomet, prout libri Mahometanorum aſſerunt, præſertim liber Agar, de Iſmaelis progenie Patre عبد الله Abdallha, matre Imia, Mechæ natus, in infantili adhuc ætate parentibus orbatus, cuidam mulieri, Limæ nomine, traditur educandus vſque ad decimum ſextum ſuæ ætatis annum. Idololatra, Idololatrarum parentum morem ſequutus, vixit vſque ad quadrageſimum, qui fuit à Chriſto nato ſexcenteſimus circiter trigeſimus: quo anno Propheta appellatus eſt, Alchoranique machinationem incœpit Mecæ, in qua multos decepit idiotas, & Idololatras, quibus facilè fuit, Idolum, quod in Templo Mechæ colebant nomine اللات العزى Alete Alozà, ſuadere Deũ non eſſe: & vnius Dei, non verò Deorum plurium, eſſe fidem colendam; abutens auctoritatibus & medijs, quæ veri Dei Prophetæ & Apoſtoli ad veram Dei legem ſuadendam aſſumpſerant: Cùm enim illi ad Chriſtianam religionem de Idololatria homines traxiſſent, ipſe Mahomet de Idololatria in falſum Dei vnius cultum traxit, cùm potuiſſet trahere ad verum.

Sed & à 16. vſque ad 25. Mulioniam exercuit, cuidam mercatori ſatis diuiti, conſobrinæ ipſius Mahometi, nomine Gadiſæ, marito ſeruiens: quo defunĉto, ipſemet Mahometus factus eſt eiuſdem Gadiſæ vir, & ex ea tres ſuſcepit filias, vnam nomine, Fatemat, alteram nomine Zainaba, tertiam nomi-

ne Vmicult, & filium nomine Cazin, qui duodecimo ſuæ ętatis anno exceſſit è vita. A 25. vſque ad 38. annum Mahomet, iam per coniugium cum conſobrina ſua diues effectus, mercaturam fecit, & palàm cum cæteris Mechenſibus Mecæ idolum اللات الاعزى *Alete Aloza* adorabat. A 38. Eremiticam colere cœpit, & quotidie ſolitarius in ſpeluncam quandam nomine غارهار idest, *Speluncam Hera*, ſecedebat, ibique totum diem inſumebat, in quo nam, ignoratur; niſi quòd liber Agar dicit, eum tunc Deum cæli coluiſſe, ſeque à cultu Idolorum, qui Mecæ colebantur, cuſtodiſſe. Dicit præterea idem liber Agar, Mahometum in ea ſpelunca in tantum cibo abſtinuiſſe, vt nimia abſtinentia inſanus aliquando euaſerit. Et liber alter titulo Aſſiſa cum eo libro Agar concordans, refert, Mahometum in ea ſpelunca commorantem, audire ſolitum voces & ſermônes loquentis, loquentem ipſum cernere non potuiſſe: quandoque etiam viſiones & apparitiones quaſdam intuitum eſſe. Cumque eiuſmodi viſiones & voces vxori ſuæ Gadiſæ referret, illa reſpondens, eiuſmodi non niſi à Diabolo fieri in eius deceptionem, affirmabat: propterea nimio propemodū mærore cōfectus Mahomet, in furorē verſus, rupē montis conſcendit, ſe ipſum exinde præcipitem daturus, ſecum reputans, præſtare mori, quam inſanum haberi. Dum autem hæc ſecum mente tractaret, Ecce, inquit Mahomet, in eadem ſpelunca Gabriel Archangelus in ſua ſpecie & alis candidis ſe mihi prodit, ac talia profert.

يا محمّد الله يبلغ لك السلام ويبشرك بانّك نبّي الله و رسول الله وخير خلق الله ۞

Ideſt. *O Mohammed, Deus mittit ad te ſalutem, & annūciat tibi, quòd tu es Propheta Dei, & Apoſtolus Dei, & optima creaturarum Dei.* Dicunt præterea, Angelum Mahometto dixiſſe, vt eiuſmodi legeret Scripturam.

Ideſt.

يا محمد اقرأ بسم ربك الذى خلق الانسان اقرأ بسم ربك
الاكرم الذى علم بالقلم علم الانسان ما لم يعلم ۞

Ideſt. *O Mohammed, lege in nomine Domini tui, qui creauit hominē, lege in nomine Domini tui honorabiliſſimi, qui docuit calamo, docuit hominem quod ignorabat.* Et tunc (inquiunt) Gabrielem Archangelum dediſſe Mahometo primum Alchorani caput, cui titulus eſt سورة القلم ideſt. *Caput de Calamo.* Et euanuit, his dictis, Angelus. Dicit autem ipſe Mahomed in libris سنة Sonna, ideſt, *Legis* ſeu *conſtitutionis*, præſertim in libro الانوار *Florum*, de ea Angeli apparitione ſic..

فرأيت الملاك الذى جاء به رجلكم على كرسى من ذهب
بين السماء والارض ۞

Ideſt. *Et vidi Angelum, cum quo venit vir veſter, ſuper ſedem auream, inter cælum & terram.* Sequitur liber Agar, quòd poſt Angeli diſceſſum, hilarem Mahomet domum reuertentem bruta & arbores ſalutabant, verbis illis ſupra relatis.

ابشر يا محمد انك رسول الله وانك خير خلق الله ۞

Ideſt. *O Mahomet gaude, quia tu es Apoſtolus Dei, & optimus omnium.* Domum reuerſus omnia vxori narrauit, quæ acciderāt: de Angelo, de prophetia, Apoſtolatu &c. quæ viro reſpondens, dixit, ſe vereri ne omnia ex Diaboli acciderent illuſione, Qua reſponſione anxius Mahomet, rigore correptus, iuſſit ſe linteis & veſtibus in lecto ſatis benè operiri: & tunc (inquit liber Agar) attulit ad eum Gabriel Alchorani caput ſecundum,

 cui

cui titulus eſt س المدثر cap. *De Operto*: quod ſic incipit.

يَا أَيُّهَا الْمُدَّثِّرُ قُمْ فَأَنْذِرْ وَرَبَّكَ فَكَبِّرْ وَثِيَابَكَ فَطَهِّرْ وَالرُّجْزَ فَاهْجُرْ ۞

Ideſt. O *Qui opertus iaces, ſurge & votum fac, & Dominum tuum magnifica, & veſtes tuas munda, & abominationes reyce*. Tunc, poſt acceptum caput, ſtatim vxori Mahometus oſtendit: quæ eandem reſponſionem dedit ei dicens: hoc aliud eſſe nequit, quam Diaboli machinamentum. Sed & circa mediam noctem ſubiunxit viro Gadiſa, Quòd ſi verè ille Angelus eſſet & non Dæmon, iterum atque iterum & pluries regreſſurus ad eum eſſet, aliàs ſecùs: quare, Angelo non dum regrediente, ſolicitus erat Mahomet per totam noctem: Illuceſcente autem aurora, ecce (inquit liber Agar) Angelus cum tertio Alchorani cap. cui titulus س الضحى & tale initium.

وَالضُّحَى وَاللَّيْلِ إِذَا سَجَى مَا وَدَّعَكَ رَبُّكَ وَمَا قَلَى ۞

Ideſt: *Per ſolis ortum* ſeu *ſolis exaltationem & progreſſum, per noctem tenebroſam, quòd non reliquit te Dominus tuus, neque reiecit*. Quod etiam cùm retuliſſet vxori, conſimilem reſponſionem accepit, de illuſione & deceptione per Diabolum; monuitque eum, ne crederet quicquam, niſi Angelus vtrique ſe videndum præberet. Sed reſpondit Mahomet, hoc fieri non poſſe, eamque in Angelum reſpicere nequire. Tunc ſeruũ ſuum, Zaidum nomine, quem tamquã filium, ſeu vernaculum, ab infantia habuerat, vocauit eiq. dixit, ſi eũ vellet credere Prophetã Deique Apoſtolum, ſe ab eo manumittendum: & quæcumque fucare potuit, de Angelo, de Scriptura, de apparitionibus, ſupra relatis, ipſi Zaido protulit. Qui ſtatim, ſe crediturum, reſpondit. Zaidus iſte fuit primus Mahometi ſectator, propterea ſanciuit Mahomet, quemlibet ſeruum cuiuſcumque vel religionis vel ſectæ, eo ipſo quod Mahometicam vellet profiteri, etiam inuito domino, liberum eſſe.

Hæc omnia acciderunt quadrageſimo Mahometi anno. Tunc enim

enim propheta dictus eſt: tunc etiam & Gadiſa, vxor Mahometi, & quidam alij ſerui & macipia, clàm Mahometi ſectam ſuſceperunt; quibus, ſecretò, domi ſuæ, Mahomet quidqnid vellet credendum proponebat, vera falſis permiſcens, ad fucanda mendacia: dicens, Idolum à Mechenſibus cultum, Deum non eſſe, ſed Deum eſſe creatotem cæli & terræ, qui è cælo eliceret pluuiam, & qui è terra fructus ſua omnipotentia educeret; non verò lignum illud ab hominibus inſculptum. loquebatur etiam de morte, reſurrectione, iudicio, Paradiſo, inferis &c. & aliqua ex Scripturis, ſicut acceperat à quibuſdam Chriſtianis. Aliqui dicunt à Sergio quodam monacho Neſtoriano: Alij verò, cum quibus concordat liber Agar, & Gloſſæ ſuper cap. 7. libri

*3. Alchorani, cui titulus eſt سورة الفرقان ideſt. cap. *De Alforcan* ſeu *Alchorano*, ſuper illa verba, circa initium dicti cap.

وَقَالَ الَّذِينَ كَفَرُوا إِنْ هَذَا إِلَّا إِفْكٌ افْتَرَاهُ وَأَعَانَهُ عَلَيْهِ قَوْمٌ آخَرُونَ ۞

Ideſt. *Et dixerunt increduli: certè hoc aliud non eſt, præterquam mendacium, quod ipſe adinuenit, & adiuuerunt eum in hoc quidã alij*. Super hæc verba Gloſſę, & liber Agar, inquam, dicunt, adiutores Mahometi fuiſſe quoſdam ſeruos ciuis cuiuſdam Mechenſis, gladiorum fabros, Chriſtianos; à quibus pleraque de ſacris libris accipiebat Mahomet, & ita in chyrographis apponebat: inde factum eſt, vt tam multa ex ſacris Scripturis permiſceat in Alchorano, multa mutilet, confundat, & variet: Artifices enim gladiorum, quamuis Chriſtiani, ſcripturarij non erant, vt benè hiſtorias ſcripturarum callerent; ſed prout recordabantur, iam olim audita, Mahometo narrabant, & ipſe vt vt audierat in Alchorano permiſcebat. Hinc igitur miſcellanea illa in Alchorano, & repetitio illa ab re toties eiuſdem hiſtoriæ: ita vt ex hiſtorijs deriuarint in fabulas, & pueriles nęnias: ſicut ea, attentè & ſine paſſione meditanti, fit palàm. Poſt aliquantum temporis, factum eſt, vt potens vir Mechenſis, nomine عمر Omar, ipſius Mahometi ſocer, & quidam alij, nempe Hamza & Alabez, patrui ipſius etiam Ma-

homet,

homet, & Ali gener eiuſdem, & alius etiam Mechenſium potentiſſimus Vbechar, qui etiam deinde ſocer Mahometi factus eſt, fierent Mahometani, ſeu Mahometi ſectatores: & exinde viri iſti potentes, quod ſecretò antea fiebat, de lectione verſuum illorum Arabicorum, quos tradebat Mahomet &c. voluerunt fieri palàm, ita cæperunt Alchoranum palàm legere, & palàm illi omnes conuenire: & ita per decennium fiebat; donec nouem patrui Mahomet' ac reliqui Mechenſes, irati, propter nouationem illam, in Mahomet, illum occidere decreuerunt; ſed ipſe cum ſuis noctu aufugit Medinam, ibique vndecies quoſdam Iudæorum phalanges fregit, illoſque tributo ſubiecit, & paulatim factus potentior, cum Mechenſibus prælia commiſit, & tamdem ſuperauit: ſicque factus Imperator, ſeu Rex ipſorum; Alchoranicam legem, armis & vi, non veritate & ratione, ſtabiliuit; eamq. animaduertens, ad examen rationis deficere; ratione expendi & examinari, prohibuit; illam armis tantummodò contuens & defendens.

Ecce Mahometi vitam, ecce Mahometi legiſlationem, prout ipſius libri referunt; & liber Agar, qui tantum habet apud Mahometanos authoritatis.

Sic Mahometus ſuam legem inſinuauit Orbi: clandeſtinis primum machinamentis; deinde, factus potentior, vi, bello, & armis: præter amplam carnis licentiam, de qua ſupra. Sed & ex longa in ſpelunca ſolitudine, eiuſque deſperatione, qua ſe volebat dare præcipitem, & ex indiſcreto ieiunio, quo verſus eſt in inſaniam; & præcipuè ex qualitatibus Mahomedicæ legis, ſupra recenſitis, ſignificatur diaboli cooperatio, qui non niſi ad iniqua, indebita, impia, & quæ detrimentum hominibus valeant inferre, humanum ingenium ſuis tentationibus vrget & inſtigat.

SE-

SECTIO II.

Probatur, Mohammedem Idololatram fuiſſe & peccatorem.

IActat quidem Mahometi liber nomine كتاب الانوار *Liber florum.* Mohammedem, ſiue Mahometum de nobiliſſ. & optima exortum progenie: nihilominus patet ex libro Agar, ab Iſmaele vſque ad Mahometum, omnes eius progenitores fuiſſe Idolorum cultores, ex Agar, Saræ vxoris Abraham, ancilla, oriundos: Et ex Alchorano cap. 1. conſtat, Mechenſes fuiſſe tunc temporis idiotas, & Idololatras. Quinimmò & ipſe Mahomet vſque ad 38. ſiue 40. annum, Idola coluit, vt ex dictis patet. Et ipſe, cap. الضحى *De ſolis ortu*, ſeu prout alij explicant *de altitudine ſolis*, ſiue *de progreſſu ſolis ante meridiem*, hoc idem teſtatur, pag. mihi 572. eiuſmodi ſermone Deum ſibi inducens loquentem.

أَلَمْ يَجِدْكَ يَتِيمًا فَأَوَى وَوَجَدَكَ ضَالًّا فَهَدَى وَوَجَدَكَ عَائِلًا فَأَغْنَى ۞

Ideſt. *Nonne inuenit te orphanum, & protexit: & reperit te errantem, & direxit: & inuenit te pauperem, & ditauit.* & in fine capitis cui titulus سورة الشورى ideſt, *De nutu*, *conſilio*, ant *mandato*.

أَوْحَيْنَا إِلَيْكَ رُوحًا مِنْ أَمْرِنَا مَا كُنْتَ تَدْرِي مَا الْكِتَابُ وَلَا الْإِيمَانُ ۞

Ideſt. *Apparere fecimus tibi ſpritum ex noſtri mandato, cùm igno-*

ignorares quid eſſet Scriptura, & neſcires fidem. Et ex التحريم cap. *De prohibitione*,& ex Gloſſa ibi, nonnè euidenter conſtat, Mahometum adulterum fuiſſe;& in adulterio à duabus ſuis vxoribus deprehenſum; & poſt præſtitum illis iuramentum de non iterum adulterando? Nonne etiam conſtat exinde,ſecundò eundem ab eiſdem cum eadem in eodem adulterij crimine deprehenſum,& adulterij crimen periurij flagitio cumulaſſe: eaque de cauſa vtramque Mahometi vxorem Aaſam ſcilicet & Gadiſam (nec enim eo tempore turbam vxorum admiſerat) ab eo in patrias domos receſſiſſe? ita quidem: Mahometani enim & Mahometus hoc non inficiantur, ſed nec poſſent inficiari: ſed excuſant Mahometum, & excuſat ſe Mahometus: excuſant Mahometum, dicentes, illud iuſiurandum ei remiſſum fuiſſe: excuſat ſe Mahometus, prout habetur dicto cap. *De prohibitione*: vbi aſſerit licere viris, ſe cum ancillis commiſcere, etiam reclamantibus vxoribus: puella enim illa, cum qua in adulterio,& propter quam in periurio deprehenſus à ſuis vxoribus fuerat, ipſius Mahometi ancilla erat, vocabaturque Marina. Sed non purgat Mahometi crimen talis excuſatio: quia ipſe, ante quam relaxatum dicat per illud cap. *De prohibitione* præceptum de non adulterando, adulterium commiſerat, & ante relaxatum iuramentum, peierauerat: legem verò quam ipſe iactat à Deo, ſeu illud cap. *De prohibitione*, poſt vtrumque delictum perpetratum accepit, vt conſtat ex verbis eiuſdem capitis, quod ita loquitur de vxoribus Mahometi, vt clarè ſignificet, eas iam propter ſcandalum à Mahometo illatum, ab eo receſſiſſe. Non igitur diſpenſatio poſterior (quamuis ita eſſet ſicut effingitur) poteſt retrotrahi, ita vt delictum non fuerit perpetratum; ſed tantùm operari in futurum, dici potuit; vel ad ſummum, potuit eſſe ſignum dimiſſionis peccati, iam perpetrati. Nam lex, ſicut obligare non poteſt, ante promulgationem, ſeu notitiam; ita nec relaxare aut diſpenſare poteſt, quoad effectum diſpenſationis & relaxationis, ſine notitia & promulgatione. Ex his ergo apparet, Mahometum fuiſſe Idololatram, ſine Scripturarum diuinarum notitia, & ſine Religione & fide, & pluries peccata perpetraſſe. Et ad hoc conſequenter

ter

ter سورة الفتح idest, cap. *De Apertione* in principio, pag. mihi 487. inducit Deum ſibi in hæc verba loquentem.

انا فتحنا لك فتحا مبينا ليغفر لك الله ما تقدم من ذنبك وما تاخر ويتم نعمته عليك ويهديك صراطا مستقيما ۞

Ideſt. *Equidem nos tibi aperuimus apertionem manifeſtam, vt dimittat tibi Deus peccata tua, quæ præceſſerunt, & quæ in poſterum committes, & compleat gratiam ſuam ſuper te, & dirigat te in viam rectam*. Et ex his patet, Mahometum non fuiſſe innocentem, ſed peccatorem, infidelem; ignarum religionis, fidei, & Dei.

Vndè patet falſum eſſe illud, quod de Mahomet dicitur in lib: Agar, & ſuprà inter miracula eius recenſuimus, de conditionibus Diuinæ legis agentes, in illis Prophetæ verbis. *Lex Domini conuertens animas*. Scilicet, ſibi quadrienni ablatam fuiſſe guttam nigram de corde ab Archangelo Gabriele, extinctumque in eo fuiſſe peccati fomitem: ita vt deinceps, propter illius guttæ carentiam, Diaboli tentationes non eſſet ſenſiturus. Hoc quidem de Beata Virgine Maria, & de eius filio Ieſu Chriſto, verum eſt, prout etiam Mahomet in Alchorano fatetur cap. 2. hi nanque duo diaboli tentationibus non vrgebantur: ipſe autem Mahomet non ſolùm tactus eſt Diaboli tentationibus; immo etiam ſuccubuit victus, vt ex allegatis conſtat.

Aliquando etiam legens ipſe Mahomet Alchorani articulum poſitum cap. 15. lib. 4. titulo سورة النجم *De Stella*, pag. mihi 502. vbi fit mentio de Idolo, quod Mechenſes colebant, legiturq. eſſe Dæmonium, & non Deum, ſicut & cætera Idola, Ipſe verò è contra, legit, eſſe Deos excelſos, & expedire ſpem in ipſis habere. Inſuper & procidit in faciem ſuam cum aliquibus ſuis ſectatoribus ad illius Idoli cultum. Aliqui verò ſcandalum acceperunt, obijcientes Mahometo Idololatriam. Ad quos reſpondit, ſe à Diabolo fuiſſe deceptum, in lectione & adoratione. Talis verò excuſatio poſita eſt lib. 3. Alchorani cap. 4.

 cui

cui titulus سورة الحج *De ſtatione* ſeu viſitatione Templi, ſeu, vt alij volunt, *De Terræmotu*. pag: mihi 326.

وما ارسلنا من قبلك من رسول ولا نبى الا اذا تمنى القى الشيطان
فى امنيته فينسخ الله ما يلقى الشيطان ثم يحكم الله اياته والله
عليم حكيم ليجعل ما يلقى الشيطان فتنة للذين مرضى فى قلوبهم
والقاسية قلوبهم ۞

Ideſt. *Et non miſimus ante te Apoſtolum neque Prophetam, qui dum aliquid tractaret*, ſeu *cogitaret*, ſeu *concupiſceret*, *Diabolus non immitteret tentationem in cor eius. At verò Deus delebit quod operatus eſt Diabolus, & cõfirmabit articulos Alcorani, & Deus ſciens, ſapiens*, ſeu *iudex*, *vt ponat quod iniecit Diabolus, in ſeditionem eorum, in quorum cordibus eſt malitia & durities.* His ergo verbis ſe purgare conatur Mahomet de deceptione illa à Diabolo accepta in falſa lectione; quia ſcilicet mirum non eſſet, ſe Prophetam deceptum fuiſſe, & erraſſe; quia omnes alij Prophetæ ante ipſum decepti fuerant à Diabolo, & errauerant. Deus verò deleturus eſſet verba illa à Diabolo in eius mentem iniecta, ad confirmandos Alchorani articulos, ita vt diuinam tantùm legem ſonarent, & non Diaboli machinationem. Vndè conſtat, guttam nigram cum peccati fomite de corde eius, tunc quadriennis, expunctam non fuiſſe, vt non poſſet in poſterum Diaboli tentationibus vrgeri.

Patet etiam ex ipſomet Alchorano, Mahomet peccaſſe etiam poſt ſuſceptam pſeudoprophetiam, nam cap. 1 *De Vacca* circa med. vel paulò poſt, pag. mihi 22. inducit Deum ſibi talia loquentem.

لئن اتبعت اهواءهم من بعد ما جاءك من العلم انك اذا لمن
الظالمين ۞

Ideſt.

Ideſt. *Si ſequutus fueris deſideria eorum, poſtquam tu noſti, eris igitur tu ex iniquis peccatoribus*. Quod autē Mahomet ſequutus ſit placita aliorū, cōtra id quod Deus præcipiebat, teſtatur Alchoranus cap. *De probibitione*, in principio, pag. mihi 535.

يا أيها النبي لم تحرم ما أحل الله لك تبتغي مرضات أزواجك ۝

Ideſt. *O Propheta cur probibes quod Deus tibi permittit, obſequens placitis vxorum tuarum*? Ex his ergo patet, Mahomet magis placitis creaturarum, quàm Creatoris, obſequutum eſſe. Vnde negari nō poteſt, etiam poſtquam propheta dictus eſt, aliquando peccaſſe. Ita vt falſùm omnino illud ſit, quod dicitur de gutta nigra in lib. Agar, quæ fruſtra expuncta de eius corde fuiſſet, cum tam facilè, etiam ſine illa, in tot tantaque facinora eſſet prolapſurus. Qualis enim fuiſſet profectus talis abraſionis, cùm complures, ſine tali abraſione, minora peccauerint, & in pauciora prolapſi ſint, quàm Mahomet? Vana quidem guttæ expunctio, fruſtratoria & inutilis planè fomitis extinctio.

Confirmatur magis ex celebri peccato adulterij, ſeu etiam raptus, quod ſupra tetigimus: quando non ſolùm contra nonum Decalogi præceptum, ſui proximi vxorem concupiuit; verùm etiam & contra ſextum, rapuit & ſibi proſtituit: quod nulla ratione poteſt negari, nulla tergiuerſatione cælari, clariſſimè enim in Alchorano patet cap. de الأحزاب *hæreſibus*, pag. mihi 404. In eo enim cap. refert, ſe Zaido vxorem abſtuliſſe, & ſibi proſtituiſſe: Inſuper & dicere audet ſibi à Deo præceptum, vt vxorem Zaidi ſibi deſponſaret. Et magis latè proſequitur eiuſmodi actionem Mahometi lib. Agar, qui narrat: Mahometo relatum fuiſſe, elegantem eſſe Zaido vxorem, quare ipſe Zaidi domum, illam inuiſurus, acceſſit: dixitque mulieri, Zaido abſente, vt Zaido talia verba referret: ſe ſuo oſtio elegantes cardines nactum eſſe. Quæ verba, ignota vxori, Zaidus declarauit. Et à Mahometo acceſſitus vxori dixit: Mahometum non ad alium finē acceſſire, niſi vt ſe vxorem ſuam dimittere iuberet, ſubdens cardines illos ipſam voluiſſe ſignificare. Hæc autem cogitatio Zaidū non fefellit; talia enim Mahometus illi præcepit: vnde & Zaidus vxorem dimittere coactus eſt,

vxorem, inquam, vnicam Mahometo tunc nouem vxoribus copulato. Vndè plerique ſcandalum acceperunt, murmurantes contra Mahometum, agnoſcentes, illum prophetiam ſimulare ad carnales explendas concupiſcentias. Mahomet verò confuſionem tantam aſtu obtegere cogitauit, vndè & caput illud الأحزاب *De Sectis* ſeu *Hæreſibus* compoſuit, & tamquam à Deo acceptum promulgauit, in quo eiuſmodi verba excuſatoria inſeruit, circa medium, vel paulò poſt medium.

وَإِذْ تَقُولُ لِلَّذِي أَنْعَمَ اللهُ عَلَيْهِ وَأَنْعَمْتَ عَلَيْهِ أَمْسِكْ عَلَيْكَ
زَوْجَكَ وَاتَّقِ اللهَ وَتُخْفِي فِي نَفْسِكَ مَا اللهُ مُبْدِيهِ وَتَخْشَى
النَّاسَ وَاللهُ أَحَقُّ أَنْ تَخْشَاهُ فَلَمَّا قَضَى زَيْدٌ مِنْهَا وَطَرًا
زَوَّجْنَاكَهَا لِكَيْ لَا يَكُونَ عَلَى الْمُؤْمِنِينَ حَرَجٌ فِي أَزْوَاجِ
أَدْعِيَائِهِمْ إِذَا قَضَوْا مِنْهُنَّ وَطَرًا وَكَانَ أَمْرُ اللهِ مَفْعُولًا مَا كَانَ
عَلَى النَّبِيِّ مِنْ حَرَجٍ فِيمَا فَرَضَ اللهُ لَهُ

Ideſt. *Et cum diceres illi, cui Deus beneficia contulit, & tu quoque contuliſti. Accipe tibi vxorem tuam, & time Deum: & abſcondebas in corde tuo, quod Deus operabatur. Et timebas homines, & Deus dignior eſt, vt timeas eum. Cùm ergo Zaidus illam cognouerit, ſeu deflorauerit eam, nos copulauimus eam tibi, ne ſit fidelibus peccatum in vxoribus deſideriorum eorum, cùm cognouerint eas, & imperium Dei completum eſt: Non imputandum eſt ad culpam Prophetæ illud quod Deus illi ſpeciatim permiſit.* Cōmentatores Alchorani, & Gloſſe ſuper hunc locum, dicūt, quòd Mahomet ad delendū ſcandalū dixit Zaido, vt vxorem ſuam reduceret ad ſe, idque propter timorem, quem conceperat de ſcandalo. Deus verò reprehendit eum, quòd homines timeret, & propterea vellet Zaido vxorem reddere: vnde ex tunc illi præcipiebat, ne vxorem redderet, ſed ex Diuino man-

mandato, ſibi eam copularet, nè deſiderio illius premeretur, aut angeretur. Sic Gloſſę, Alchoranus ipſe, & liber Agar. Vnde propter cõcupiſcentiam Mahometi, ponitur Deus, vxorem vni viro abſtuliſſe adhuc viuenti, vt illam alteri traderet: Blaſphemia quidem inaudita, qua inauditum adhuc lenocinium Deo aſcribitur! Quid crudelius? quid turpius? quid execrabilius? Quæ lex aliquando talia permiſit, non inquam diuina, nec inquam humana Ciuilium ac nobiliorum; Sed quæ lex, etiam barbarorum? cùm etiam apud Idololatras, qui laſciuias luxuriaſque colebant tamquàm Diuinas, adulteria exhorreſcerent tamquam turpia, & inter turpitudines turpiſſima exiſtimarent. Vnde Ariſtoteles, etiam Idolorum cultor, turpe dixit facinus adulterium 5. Ethic. cap. 9. & 7. Eth. cap. 6. & alibi. Inſuper & concupiſcentias carnalium voluptatum dicit turpiſſimas. Quomodo ergo dici poteſt Mahomet legiſlator, qui inter turpitudines turpiſſimas eligebat?

Hic autem non eſt prætereundum, excuſationem Mahometi dicto cap. الاحزاب *De Hæreſibus*, ſeu *ſectis*, ſeu *partibus*, non ſufficere, ad hoc vt à peccato dicatur immunis, ſpecie ſeu titulo diuini præcepti: nam ſi benè verba illa Alchorani expendantur, ipſe Mahomet priùs Zaido vxorem abſtulit, quàm præcepti diuini notitiam haberet: dicit enim, priùs ipſum Mahomet Zaido dixiſſe, vt vxorem ſuam iam ablatam in domum reduceret, quàm Deus diceret nè redderet: Tunc enim dixit Deus nè redderet, quando erat redditurus; ergo ante diuinum mandatum abſtulerat: ergo Mahomet, auferendo vxorem, peccauit contra nonum & ſextum Decalogi præceptum, quibus cauetur, ne adulterium perpetretur, neuè alterius vxor concupiſcatur. Vnde peccauit Mahomet, interiori concupiſcentia, & exteriori raptu; cùm intuitu vxorem abſtulit, & ſibi ſuppoſuit. Prætermitto cætera, quæ in hac vna actione Mahometi inuoluuntur crimina, ſcandali deceptionis & iniuriæ in proximum, blaſphemiæ in Deum, turpitudinis in ſemetipſum, & iniuſtitiæ in omnes. Qualis ergò ſanctitas in homine illo præſumi poterat, qui etiam carnalibus vitijs ſubiacebat?

De præcipuo fine quo motus eſt Mahomet ad Pſeudoprophetiam.

ECce Mahometi finem, ecce intentionem, ecce impulſum, quo motus eſt ad prophetiam ſimulandam: libidinis æſtu exardeſcens, per legem ſpecie diuinam, excogitauit, ſibi concupiſcentiarum alimenta perquirere, aliàs præſentiens ſe inedia periturum: propterea omnem legem ad huiuſmodi finem direxit. Commendat quidem ſæpiſſimè caſtitatem, honeſtatem, virgines, & caſtos, & omnium genera virtutum, præſertim d. cap. الاحزاب *De Hæreſibus*, pag. mihi 404. ſic dicens.

إن المسلمين والمسلمات والمومنين والمومنات والقانتين
والقانتات والصادقين والصادقات والصابرين والصابرات
والخاشعين والخاشعات والمتصدقين والمتصدقات والصائمين
والصائمات والحافظين فروجهم والحافظات والذاكرين
الله كثيرا والذاكرات أعد الله لهم مغفرة وأجرا عظيما ۞

Ideſt. *Certè quòd Mahometanis tàm viris quàm mulieribus, & credentibus vtriuſque ſexus, & deuotis & iuſtis & patientibus & timentibus* ſeu *ſupplicibus & veridicis* ſeu *eleemoſinam largientibus & ieiunantibus & caſtis* ſeu *virginibus tàm viris quàm fæminis, & Dei memoriam habentibus præparauit Deus miſericordiam* ſeu *dimiſſionem, & mercedem magnam* & ſ. النور c. *De Luce*, ſub cuius initiũ poſtquam iuſſerat, ſingulos adulteros ſeu fornicarios, omni poſtpoſita pietate, centenis flagellorum ictibus cædendos, ſic loquitur:

Ideſt:

قُلْ لِلْمُؤْمِنِينَ يَغُضُّوا مِنْ أَبْصَارِهِمْ وَيَحْفَظُوا فُرُوجَهُمْ ذَلِكَ
أَزْكَى لَهُمْ إِنَّ اللَّهَ خَبِيرٌ بِمَا يَصْنَعُونَ ۞

Ideſt: *Dic Mahometanis, vt modeſtè ſe contineant à circumſpectione, & cuſtodiant verenda ſua, ſeu cælibes & virgines ſint: hoc enim ſanctius & decentius eſt eis. Deus autem nouit quid faciant.* Et proſequitur deinde, ampliores modeſtiæ regulas etiam mulieribus præſcribens, Eiuſmodi verbis commedat virtutes, & virtutum actus, præcipuè virginitatem, caſtitatem, modeſtiam, &c. Tamen virginitatem caſtitatemque commedans, eodem cap. الاحزاب *De partibus, ſeu ſectis* ſeu *Hæreſibus*, oſtendit, quantis libidinum incendijs ſuus animus æſtuaret: vbi quicquid libido poſtulat, ſibi præparat.

Poſtulat libido, quantò maior eſt, tantò maiorem ſegetem fæminarum: ac proinde eodem cap. Mahomet omnes ſibi licere aſſerit, & copulare cuiuſcumque generis & conditionis, ſiue alienas ſeu extraneas, ſiue propinquas; hoc vno tantùm excepto, quòd non liceret vxores aliorum vſurpare. Nihilominus aliquando, dum coniugio copulata oculis eius placuit, hanc legem quoque infrinxit; ita vt nullius conditionis fæmina exciperetur, quæ Mahometi libidinem non experiretur. Verùm, quoad coniugatas reſpondebit Mahomettanus fortaſſe, non ſibi vſurpaſſe Mahomet, quia eodem cap. *De Hæreſibus*, hæc habentur.

لَا يَحِلُّ لَكَ النِّسَاءُ مِنْ بَعْدُ وَلَا أَنْ تَبَدَّلَ بِهِنَّ مِنْ أَزْوَاجٍ وَلَوْ
أَعْجَبَكَ حُسْنُهُنَّ ۞

Ideſt. *Non licebit tibi poſthàc, ò Mahomet, vt auferas vxores à viris ſuis, etiam ſi earum pulchritudine captus fueris.* Ergo ex his, dicet aliquis, patet Mahometum aliorum vxores non ſibi vſurpaſſe. Sed ſi benè illa verba perpendantur, clarè ex illis conſtat, re vera vxorem alicuius, nempè Zaidi, abſtuliſſe ſibi pro-

proſtituendam : dicit enim cum particula مِن بَعْد *In poſterum non licebit:* quaſi ſcilicet aliquando ſibi priùs tamquam licitum vſurpaſſet: ſi enim nunquam vſurpaſſet, illam particulam لَا يَحِلُّ لَكَ مِن بَعْد *In poſterum*, non appoſuiſſet. Ergo omnem ſegetem muliebrem ſibi emetendam parauit, tanta enim libidinis fames vniuerſam libidinis eſcam expetebat.

Hic autem recogites velim, Ahmed dilectiſſime: qualis nam ratio exigeret, vt cùm tertio capite primi libri سورة النساء *De mulieribus*, prohibuerit conſanguinearum copulam & coniugium, viris cæteris; cur inquam, & quæ ratio exigebat, vt Mahometo, ſine diſcrimine vllo aut differentia, poſſent omnes copulari? Et quidem reſpondebit in Alchorano verſatus, rationem quam aſſignat Alchoranus ipſe de prohibitione facta cæteris, eam eſſe quam ponit ibidem d. cap. 3. duabus circiter pag. poſt initium.

إِنَّهُ كَانَ فَاحِشَةً وَمَقْتًا وَسَاءَ سَبِيلًا ۞

Ideſt. *Quoniam illud turpe eſt, & inhoneſtum*. Re vera inhoneſtum eſt & turpe, natura ipſa dictante, vt vir conſanguineis miſceatur. Vndè hæc turpitudo naturalis eſt, & talis copula ideo turpis, quia natura talis eſt: non autem turpis, quia poſitiua aliqua lege prohibetur: ſed potiùs è contra, ideo prohibetur, quia turpis eſt: ſicut etiam carnales concupiſcentiæ, non ideo turpes ſunt, quia prohibentur: ſed turpitudo intrinſeca eſt ipſis, & ideo prohibentur quia turpes ſunt. Imò vt inquit Ariſtoteles Eth. 7. inter turpia turpiſſimæ ſunt carnales concupiſcentiæ. Ergo ſi cæteris Mahometanis prohibentur conſanguineæ; quia de ſe turpis eſt talis concubitus: Cur non erit turpis etiam in Mahometo? Reſpondebit quis, ideo in Mahometo non fuiſſe turpe, quia erat Propheta & legiſlator; ſeu legis mediator. O reſponſionem admirabilem, quæ rationem aſſignat, magis peccati grauitatem aperientem. Si enim erat Propheta, Dei nuncius, mediator legis, & ſanctus;

&

& perfectus,& vt eodem cap. *De hæreſibus* habetur, pag: mihi 404. tam ſanctus Propheta, vt eſſet ſigillum Prophetarum, debebat potius caſtitate ſe ſigillum Prophetarum oſtendere, & non concupiſcentijs, & libidinibus, quibus ſe profert potius ſigillum vitiorum quàm Prophetarum.

At quidam in hoc dant reſponſionem, quæ quantum ſpeciei apud rudes & idiotas habet, tantùm habet & efficaciæ ad riſum excitandum eruditorum: dicunt enim, licuiſſe Mahometo cū mulieribus omnibus permiſceri ad procreandos Prophetas. O dignam Mahometo reſponſionem. Quaſi ſcilicet prophetica per ſucceſſionem propagaretur, & Propheta Prophetam gigneret: & quaſi nequiret Deus ex quacumque propagine Prophetam excitare. Nonne inquit ipſe Mahomet in Alchorano, in fine cap. الشورى *De nutu* ſeu *conſilio*, ſiue, vt alij inſcribunt à primis verbis حم عسق, eiuſmodi ſermonem?

لله ملك السموات والارض يخلق ما يشاء يهب لمن يشاء
اناثا ويهب لمن يشاء الذكور او يزوجهم ذكرانا و
اناثا ويجعل من يشاء عقيما انه عليم قدير وما كان لبشر
ان يكلمه الله الا وحيا او من وراء حجاب او يرسل رسولا
فيوحي باذنه ما يشاء انه علي حكيم وكذلك اوحينا اليك
روحا من امرنا ما كنت تدري ما الكتاب ولا الايمان ولكن
جعلناه نورا نهدي به من نشاء من عبادنا ۞ .

Ideſt. *Dei eſt imperium cælorum & terræ, creat quod vult, largitur cui vult fœminas, & largitur cui vult mares, aut facit eſſe gemellos mares & fœminas, & facit eſſe quęcumque vult ſterilem; quoniam ipſe eſt ſapiens & potens. Et non eſt in hominis poteſtate, vt loquatur ad eum Deus, niſi inſpirando aut poſt operimentum veli: & mittit Apoſtolum, & inſpirat inſpirationem*

ſua in quem vult; quoniam ipſe eſt excelſus & ſapiens. Et ſic inſpirauimus tibi ſpiritum ex noſtri mandato: non intelligis, ſeu *non fuiſti intelligens, quid ſcriptura ſit, neque quid ſit fides; ſed poſuimus eam in lucem ad dirigendos per eam quoſcumque volumus ex ſeruis noſtris*. Et cap.2. *De familia Amran*.

مَا كَانَ لِبَشَرٍ أَنْ يُؤْتِيَهُ اللهُ الْكِتَابَ وَالْحُكْمَ وَالنُّبُوَّةَ ۝

Ideſt. *Non eſt in hominis arbitrio & poteſtate, vt det ei Deus librum*, ſeu *ſcripturam, iudicium, & Prophetiam*.

Si ergo non eſt in hominis poteſtate, vt fiat propheta; nec prophetica per humanam ſuſcipitur propagationem; ſed Deus cui vult inſpirat, & quemcumque vult prophetam facit ex quacumque progenie, cum ſit Dominus omnium: quid opus erat, Mahometum habere coniugem, cùm Deus poſſet ex alia progenie excitare prophetam? Vlteriùs, & ſi opus erat ex progenie Mahometi prophetam ſurgere, quid opus erat tot fœminis eum copulari? Nonne ſufficiebat vna? Inſuper, & ſi eum copulari expediebat pluribus, cur tot? Cur tanto fœminarum numero? Cur vniuerſis? Ad procreandos prophetas, reſpondent! Sed prçterquam quòd falſum eſt, prophetas ſecundûm progeniem naſci falſum eſt etiam, ex nimio fœminarum conſortio, ſeu nimia generatiuæ potentiæ exercitatione, & vſu, plures fieri propagationes, vt Phyſicis notum eſt; nam ex tali nimietate, generandi potentia infirmatur & fit debilior. Vnde experientia conſtat, viros ſicut & mulieres in ea re nimios ſteriles euadere. Et in ipſo etiã Mahometo comprobatum eſt: nam ex prima vxore, Gadiſa, quatuor ſuſcepit liberos, tres fœminas, & marem vnum: Deinde, adiunctis alijs, factus iam mulieroſus propheta, ne vnum quidem valuit generare. Nec vnicus ille Mahometi filius propheta fuit, neque ex tribus filiabus aliqua prophetiſſa. Igitur fruſtra præceptum nuptiarum tam amplum Mahometo relaxatum eſt; cum poſt eiuſmodi relaxationem, nec marem nec fœminam nec gemellum nec hermaphroditum potuerit gignere, in tot tantiſque generationum officinis: Vndè nec prophetam genuit, neque prophetiſſam. Ergo etiam ex hoc conuincitur eiuſmodi relaxationis falſitas: quia ſi Deus ea de cauſa talem

præ-

præceptum Mahometo relaxaſſet, vtique ei liberos ex illis vxoribus tribuiſſet. Præterea ipſe Mahomet in Alchorano dicit cap. *De lampadibus*, verſus finem, & alibi, poſt ipſum Mahometum non vlteriùs alium futurum eſſe prophetam: quare & ſe dici ſigillum prophetarum, tanquam vltimum & poſtremum tempore: eaque de cauſa iubet, in poſterum occidi eos omnes, qui ſe iactarent prophetas. Ergo, ſi iam tanquam à Deo prolatum aſſerebat, non vlteriùs ſuſcitandos eſſe prophetas, quomodo poſſunt Mahometani hanc pro Mahometo excuſationem tot nuptiarum afferre: quia vellet Deus ex Mahometo naſci prophetas; cum iam Deus (vt ipſe aſſerit) decreuiſſet, ſe non ampliùs excitaturum prophetas? Non eſt reſponſio pro impoſtura & falſitate: Vnde dictum illud: Citiùs comprehenditur mendax, quàm claudus. Sed agnoſcant iam veritatem Mahometani; & hoc etiam inter flagitia & mendacia Mahometi recenſeant: nec excuſationem prætexere velint operis, dum accuſat euidentia facinoris.

Intentio autem Mahometis erat, carnalibus frui delectamentis: nec cogitatio obueniebat illi de propagatione; quia, ſi de propagatione cogitaſſet, non tam frequenti libidine in mulieres exarſiſſet, vt de eo Mahometani referunt locis ſupra allegatis, eum vndecies per horam concubere ſolitum; ex quo pòtiùs ſterilis fieret quàm fęcundus, experientia etiam ipſa teſtante. Cumque de ſe iactaret tantam viri potentiam, vt quadraginta etiam homines in ea actiuitate excederet: non poteſt dici, eum loquutum eſſe de filijs, quos progigneret; quia non niſi quatuor genuit, imò iam tunc ex prima vxore genuerat: ſed intelligendus eſt, de libidine qua exardeſceret, prout ex eius geſtis euidentiſſimè conſtat.

Sed iam cætera proſequamur, vt magis pateat Mahometum, non ad ſalutem animarum diuinam legem condidiſſe, ſed ſimulaſſe diuinam ad ſuarum expletionem concupiſcentiarum.

Eodem cap. الاحزاب *De Hæreſibus*, animaduerte quęſo

prudens Ahmed, quid excogitarit, ad hoc vt omnes cuiuſcumque generis & conditionis ſibi mulieres alliceret. Iam ibidem legem ſibi amplam relaxauerat, vt poſſet quaſcumque vſurpare:

re: vt ſibi licere videretur, quantum erat ex parte legis. Ac ſupererat alia difficultas; nempe, an mulieres vellent ſe Mahometo proſtituere: quamuis enim per legem liceret, potuiſſet non licere per mulierum voluntatem; & propterea ad vniuerſas pelliciendas, ſic inquit, Diuinam iactans auctoritatem.

يا أيها النبي قل لأزواجك إن كنتن تردن الحيوة الدنيا و
زينتها فتعالين أمتعكن وأسرحكن سراحا جميلا وإن
كنتن تردن الله ورسوله والدار الآخرة فإن الله أعد للمحسنات
منكن أجرا عظيما يا نساء النبي من تأت منكن بفاحشة
مبينة يضاعف لها العذاب ضعفين وكان ذلك على الله
يسيرا ومن يقنت منكن لله ورسوله وتعمل صالحا نؤتها
أجرها مرتين وأعتدنا لها رزقا كريما يا نساء النبي لستن
كأحد من النساء ۞

Ideſt. *O Propheta dic coniugibus tuis: ſi delectat vos vita huius mundi, & ornatus eius; venite ego complacebo vobis in omnibus, & dimittā vos elegantiſſimo cultu. Si verò diligitis Deum, & Apoſtolum eius, & vitam futuri ſæculi: certè quod Deus præparauit illis, quæ inter vos pulchræ ſunt* ſeu *benefacientibus ex vobis* (ſi vero ſcribatur per ص *caſtis ex vobis*) *mercedem magnam. O uxores Propheta* (hoc ſubdit ad ſuæ zelotypiæ ſecuritatem, quæ in genere concupiſcentiarum acutus eſt ſtimulus, amantium animos grauiter vexans) O, inquam, *vxores Prophetæ, quæcumque ex vobis turpitudinem commiſerit, adulterium ſcilicet, duplicabitur illi pœna, idque parum eſt apud Deū: Et quæcumque vouebit ſe Deo, & Apoſtolo eius, & operata fuerit bonum, dabimus ei mercedem duplicem, & præparauimus ei pretioſum cultum. O vxores Prophetæ animaduertite, quòd vos non eſtis ſicut cæteræ mulieres.* Quid ampliùs polliceri poterat,

vt

vt omnes mulieres,cuiuſcumque indolis,alliceret? Quæ enim mundana concupiſcerent,pretioſo mundi cultu alliciebat. Quæ autem aſpirarent ad cæleſtia, alliciebat cæleſtibus pollicitationibus, & præmij duplicatione. Imò & quæ nollent, pœnæ duplicatione deterrebat: ita vt, ſiue hæc, ſiue illa concupiſcerent, Mahometo ſe proſtituendo,omnia ſibi bona adepta, ſimul & mala deuitata, exiſtimarent. Tanta fuit,in procuranda ſibi carnalium delectationum copia,Mahometi ſolicitudo & prouidentia. Talis ac tantus ſanctitatis fulgor, eius in mente radiabat: tantus caſtitatis feruor eius in pectore ſuccendebatur.

Aliud carnalium concupiſcentiarum oblectamentum eſt, vt mulier lætam & non triſtem ſe uiro proferat: præuidens autem Mahomet, lætitiam & gaudium facilè in ſuis vxoribus, vel iurgio vel zelotypia, ob multitudinem, defecturam: præſertim, cùm noſceret ſe non æquè omnes diligere, nec omnibus æquè prouidere; propterea,eodem cap. الاحزاب *De bareſibus*, ad huiuſmodi defectum occurrens, hæc inquit.

ترجي من تشا منهن وتووى اليك من تشاء ومن ابتغيت
ممن عزلت ولا جناح عليك ذلك ادنى ان تقر اعينهن ولا يحزن
ويرضين بما اتيتهن كلهن ۞

Ideſt. *Negliges quamcumque tibi libuerit ex eis, & tecum conuiuere facies quãcumque iuxta tui beneplacitum, & quamcumque volueris dilige vel neglige; ad libitum,idque tibi ad culpam non imputabitur. Hoc autem parum eſt: Inſuper & ipſæ lætentur de hoc, & non contriſtentur, & gratum habeant quicquid eis dederis,& quomodocumque illas pertractaueris.* Dixit autem hoc Mahomet,quia legem ſtatuerat alijs,cap. *De mulieribus*, ſub initium duabus vel tribus columnis ſeu paginis, Ne malè de vxoribus mererentur, ſed eas omnes pari cultu ornarent, pari amore proſequerentur; vt non eſſet inter eas diſſenſionis vel inuidentiæ cauſa. Hic autem, quod alijs prohibuerat, ſibi li-

licere affirmat ; & pax illa, quæ in aliorum domibus à viri prouidentia voluit prouenire: in domo ſua Mahomet, non à ſua virtute, ſed ab vxorum patientia exigit: vt dum ipſe omnia, ſiue licita ſiue illicita perficeret, vxores gauderent, tàm mala quàm bona ſuſtinendo, & libenter percipiendo. Vnde in cæterorum familijs viri virtus pacem ſubſtineret, at in familia Mahometi pacem cauſaret patientia vxorum. Quia ſcilicet Propheta ille, qui omnium perfectiſſimus eſſe debuit, omnium ſe præferebat vitioſiſſimum, cùm nec vellet aliquali virtute vxoribus prouidere. ſic tota lex ad Mahometi commoditates reſpicit.

Præterea, eodem cap. *De hæreſibus*, hęc etiam addit.

وَمَا كَانَ لَكُمْ أَنْ تُؤْذُوا رَسُولَ اللّٰهِ وَلَا أَنْ تَنْكِحُوا أَزْوَاجَهُ مِنْ بَعْدِهِ أَبَدًا إِنَّ ذٰلِكَ كَانَ عِنْدَ اللّٰهِ عَظِيمًا ۞

Ideſt. *Nec permittitur vobis, vt noceatis Apoſtolo Dei, neque copulemini cum vxoribus illius in æternum; quoniam hoc apud Deum grauiſſimum eſt.* Ecce quomodo omnes mulieres ſibi proſtituit,& ab aliorum complexu ſibi proſtitutas cauet. Vnde vxores Mahometi poſt eius mortem in uiduitate tabeſcere coactæ ſunt, fueruntq. numero nouem ipſi Mahometo ſuperſtites.

Miram quippe Mahometi ſolicitudinem, vt in hoc genere nullam fauorabilem legem prætermitteret! Quia ſcilicet cùm eſſet ſigillum Prophetarum, cùm eſſet ſanctiſſimus & omnium virtutum culmine adauctus, & caſtitatis præcipuè inſignibus decoratus, eam virtutem,quam eodem cap. *De hæreſibus*, tãtopere magnificat,oportebat vt omnimodis poſſideret; ſicut de facto poſſedit, prout ipſi Mahometani teſtantur: & in libro Aſſamail,his dictis inexplicabilem Mahometi celebrant continentiam.

إِنَّهُ كَانَ يَحْضُرُ عَلَى نِسَائِهِ فِي سَاعَةٍ وَاحِدَةٍ وَهُنَّ إِحْدَى عَشْرَةَ ۞

Ideſt.

Ideſt. *Enimuerò ipſe Mahomed cognoſcebat vxores ſuas omnes ſpatio vnius horæ, cum eſſent vndecim.* Tanta erat Mahometi continentia, hanc virtutem de Mahometo prædicant.

SECTIO IV.

Mahomet imposturam machinatum eſſe ad carnis licentiam, ex dictis infertur.

SEd quid dicemus, cùm nullum Prophetarum aliquando eiuſmodi feciſſe pateat, niſi ſolum Mahomed. Non memini me vnquam in ſcripturis, vel alibi legiſſe, quòd nec Elias, nec Eliſeus, nec Ionas, neq. alius inter Prophetas, nec Moyſes ipſe, qui legis Veteris mediator fuit, fuerit tantus in mulierum complexibus: ſed legi, vna tantùm vxore fuiſſe contentum nomine Sephora, eratque Aethiopiſſa. Legi quidem è contra, Eliam, & Eliſeum, vxorem neſciſſe, ſed caſtos toto tempore vixiſſe, alter vſque ad mortem, alter vſque ad ſui miniſterio Angelorum per currum igneum tranſlationem: Inſuper Ioannē Baptiſtam, Chriſti Præcurſorem, non ſolùm in virginitate deceſſiſſe, verùm etiam & Regem, vxoris alterius concubinarium, reprehendiſſe de adulterio, etiam cum vitæ iactura. Inſuper & Chriſtus Ieſus, Mariæ filius, cuius ſanctitatem, ſanctitatem omnium longè ſuperaſſe, etiam Mahometani non ambigunt, licèt quidam Mahomedum excipiant; non ſolùm caſtiſſimus, & virginitatem coluit, verùm etiam mirabili quodam modo voluit ex Virgine naſci: quia ſcilicet ſanctitatem tantam ab omni carnali commiſtione oportebat eſſe ſegregatam. Sanctitas enim non eſt quidam ſonus vocis rerum veritate vacuus, nihil ſignificans; ſed indicat, eius de quo dicitur, virtutum integritatem; Is enim ſanctus dicitur, qui virtutum fulget inſignibus; Qui autem vitiorum infectus eſt ſordibus, ſanctus dici nequaquam poteſt. Eſt autem caſtitas & conti-

nen-

nentia virtus, & inter virtutes elegantiſſima: ſicut è contra, incontinentia & luxuria, ſecundùm Ariſtotelem etiam 7. Ethicorum, inter vitia cenſentur turpiſſima. Nec aliquando ſanctus dictus eſt aliquis luxurioſus aut incontinens. Sed è contra, in ſacris paginis, qui ſceleſtiores habiti ſunt, illi dicuntur incontinentiores. Sic apud Danielem Prophetam cap. 11. num 37. de impio, qui venturus eſt in mundum, Antichriſto, hæc habentur. *Eleuabitur & magnificabitur aduerſus omnem Deum: & aduerſus Deum deorum loquetur magnifica, & dirigetur donec compleatur iracundia: perpetrata quippe eſt definitio. Et Deum patrum ſuorum non reputabit: & erit in concupiſcentijs feminarum, nec quemquam deorum curabit: quia aduerſum vniuerſa conſurget.* Hanc Danielis prophetiam completam in ipſo Mohammed aliqui putant: & quadrat quidem; nam omnia in eo vera eſſe comprobantur. Primò, quòd fuerit in concupiſcentijs feminarum, patet ex dictis. Secundò, quòd nullum Deorum reputarit, etiam patet, quia Idololatras reprehendit: & in hoc benè egiſſet, ſi vera falſis non intermiſcuiſſet. Tertiò, quòd contra Deum deorum, id eſt contra Deum verum protulerit blaſphemias, ex ſupra notatis conſtat; cùm Dei effingat reſponſa, ad ſuam explendam libidinem, tamquam lenocinia, & mulierum pellicatus, in Alchorano. Quartò, completum eſt etiam illud. *Et dirigetur donec compleatur iracundia.* Omnes enim cernimus, quantum in Orbe profecerit, quanta Orbis ſpatia occuparit carnalis Mahomedi ſecta: totam Aſiam, Africam, & Europæ partem impleuit: vtique propter Dei iracundiam; quia ſcilicet, propter hominum peccata iratus, tanta & tot Orbis regna impudicitiæ & immunditiæ ſubiacere permittit: ſicut minatus eſt in Euangelio Chriſtus, Lucæ cap. 12. num. 46. ſeu ſect. 49. *Quòd ſi dixerit ſeruus ille in corde ſuo: Moram facit Dominus meus venire: & cœperit percutere ſeruos & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari: veniet Dominus ſerui illius in die qua non ſperat, & hora qua neſcit, & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet.* Et in Apocalypſi cap. 2. num. 5. *Memor eſto vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris.* Et in Epiſtola ad Romanos cap. 1. poſtquam enarrauit quorumdam peccata Apoſtolus Paulus, hæc ſubdit: *Propter*

quod

quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis, &c. Quibus patet, quòd propter peccata Deus permittit in maiora peccata peccatores labi, & etiam fidem perdere. Vnde propter peccatorum multitudinem, tot hæreſum, Paganorum, & Schiſmaticorum, ſectas in Orbe permittit. Propterea inter illas etiã Mahomedi ſecta permittitur: ſed prout inquit Angelus ad Danielem, vſq. dũ compleatur iracundia, quia completa iracundia miſerebitur tandem Deus, & Mahometanis oculos aperiet ad agnoſcendam Mahometi impoſturam.

Sic ergo omnia, quæ de Antichriſto à Daniele dicta communiter cenſentur, benè etiam Mahometo quadrant: cùm eius ſecta propagata ſit in Orbe: blaſphemias & impoſturas ad ſuas fucandas concupiſcentias contra Deum adinuenerit; neminem Deorum curauerit: & in concupiſcentijs feminarum exarſerit. Verùm ſi de Antichriſto intelligamus, ſicut communiter accipiunt, Danielis prophetiam: patet, concupiſcentiam feminarum vitium eſſe, & non virtutem: impijs & peruerſis tribui, & non Sanctis: malos & iniquos facere, & non perfectos & iuſtos. E contra caſtitas & continentia eſt, quæ cæteris coniuncta virtutibus, cùm ipſa quoque virtus ſit, Sanctos facit & iuſtos, Deoque gratos reddit ſui poſſeſſores: vnde ipſe etiam Alchoranus ſic loquitur سُ النور cap. *De Luce*.

قُلْ لِلْمُؤْمِنِينَ يَغُضُّوا مِنْ أَبْصَارِهِمْ وَيَحْفَظُوا فُرُوجَهُمْ ذَلِكَ أَزْكَى لَهُمْ ۞

Ideſt: *Dic Fidelibus, vt modeſtiam ſeruent in viſu; & ſe caſtos ſeu virgines cuſtodiant; hoc enim ſanctiſſimum eſt*, ſeu *perfectiſſima virtus eſt. &c.* Ergo, ex Alchorani ſententia, virginitas eſt perfectiſſima virtus, quæ ſui poſſeſſores ſanctiſſimos facit, & reddit ſui poſſeſſione perfectiſſimos. Quomodo ergo Mahomet, tam celebris incontinens, tantus in concupiſcentijs feminarum; vt omnes alliceret, omnes proſtitueret, etiam conſanguineas, etiam vxores alienas. Quomodo, inquam,

quam, ſanctus? Inſuper & quomodo omnium ſanctiſſimus dici poteſt?

Poterat quidem Mahomed, ſicut eo cap. من الاحزاب *De hæreſibus*, & alibi, ſibi maximam parat carnalium delectationum frugem, ſeque pariter iactat ſanctiſſimum, & ſigillum Prophetarum; vt facilè, & recto diſcurſu, inde ſibi ſanctitatis gloriam captaret, dicere etiam, luxuriam, feminarum concupiſcentiam, & delectationum carnalium appetitum, inter virtutes obtinere principatum, eam eſſe virtutum maximam, vel certè inter virtutes reponere: Et non eius oppoſitum, nempe caſtitatem & continentiam inter virtutes recenſere, & eodem cap. & alibi commendare. Nec libidinem & concupiſcentiam inter vitia recenſere debuerat, dùm ſe incontinentiſſimum præbens, ſe pariter iactaret ſanctiſſimum: ſic enim non rectè concluditur. Expetita verò à Mahometo conſequentia tunc benè ſequeretur, ſi tali modo Alchoranum diſpoſuiſſet, vt priùs diceret: Præcipua virtutum eſt concupiſcentia feminarum: mox adnexiſſet: Mohammedes in mulieres fuit luxurioſiſſimus. Et ſtatim ex ſe; abſque alio addito, patens fuiſſet conſequentia: Ergo Mohammedes fuit ſanctiſſimus, qui virtutum præcipuam tantopere exercuit. At conſequentia nulla eſt, cùm alio modo diſponit propoſitiones in Alchorano; nempe dum dicit: Continentia & caſtitas gratæ ſunt Deo tamquam virtutes præcipuæ, & hominem quammaximè iuſtum & ſanctum reddunt. Deinde adnectit: Mohammed exarſit plurimum in feminas; ergo fuit ſanctiſſimus & gratiſſimus Deo. Non benè infertur nec benè procedit argumentatio, quia potiùs ſequitur oppoſitum: continentia & caſtitas placet Deo, & incontinentia diſplicet: Mahometus fuit incontinens: ergo diſplicuit Deo. Sic benè conſequentia procedit. At fefellit illum malitia eius, quia vt benè loquitur Salomon Prouerb. 21. verſ. 30. *Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum*. Poterat quidem Mohammed, ſicut in ſpecie commendabilem dixit concupiſcentiam ſuam, dum Zaidi vxorem cæteraſque feminas concupiuit, ita etiam in genere commendare concupiſcentiam & luxuriam: qui enim commendauit vnum, poterat commendare

dare omnes eiuſdem ſpeciei actus; non enim eſt differentia eſſentialis, inter ea quæ eandem ſpeciem ſortiuntur. Vnde pari ratione dicere poterat, luxuriam virtutem eſſe, non vitium, & à Deo iuberi.

Sed dicet Mahometanus, nulla ratione potuiſſe Mahometum, concupiſcentiam & luxuriam in genere commendare, & dicere virtutem eſſe, quia generalia, vniuerſalia, & prima principia nota ſunt, nec poteſt ad libitum quis dicere de illis: exempli gratia: Bonum eſt proſequendum. Malum fugiendum. Virtutes ſunt complectendæ. Vitia reſpuenda. Hæc ſunt prima principia, quæ de ſe nota ſunt. Vnde ſi quis diceret: Virtutes ſunt reſpuendæ. Vitia proſequenda. Mala ſunt diligenda. Bona odio habenda. Statim comprehenderetur eius falſitas, abſque alio diſcurſu: quia dicit contra illud, quod eſt notiſſimum, tamquam primum principium. Sic etiam ſunt quædam alia, quæ, quamuis non ſint prima principia, ſunt tamen illis proxima, ac proinde de facili cognoſcibilia: quantò enim magis ad prima principia propoſitio aliqua accedit, eò magis nota eſt: ſunt verò propoſitiones vniuerſales, vt inquit Ariſtoteles 1. Phyſicorum. Sic in caſu noſtro, dicere. Luxuria ſeu incontinentia virtus eſt: eſt quædam propoſitio vniuerſalis, ad prima principia accedens, & facilè nota; & propterea, cùm de facili cognoſcatur eſſe falſa, non potuit à Mahometo proponi, quia ſtatim eius fallacia apparuiſſet, & impoſtura deprehenſa fuiſſet. Cùm ergo falſum ſit, concupiſcentiam eſſe virtutem; & potiùs notum ſit, eſſe vitium temperantiæ oppoſitum, non potuit à Mahometo aſſeri. Sed in ſpecie, propter circumſtantias, dicet fortaſſe Mahometanus, poterat actus aliquis ſingularis cohoneſtari: & illud quod in genere & vniuerſali apparebat vitium, fieri in ſingulari virtutem. Exempli gratia: Ieiunij tempore, ſi quis comedat & bibat cibos vetitos, ſic in genere erit vitium contra abſtinentiam: at ſi quis infirmetur, & neceſſe ſit ad vitæ incolumitatem vetitos cibos comedere; ſi comedat, non facit actum vitij, ſed virtutis; nempe diſcretionis vel debitæ charitatis erga ſe ipſum. Vnde patet, quonam modo Mahomed, quamuis concupiſcentiam feminarum & libidinem inter vitia repoſuiſſet, potuerit in ſpecie ſingularem aliquem actum

concupiſcentiæ inter virtutes Deo gratas enumerare: & exinde ipſe redderetur ſanctiſſimus.

Verùm, talis reſponſio nulla eſt, & exemplum adductum ad rem non facit: quia, quæ mala ſunt & prohibita, duplici ratione dicuntur talia. Vel enim aliquod eſt malum intrinſecè, & ex ſe, antecedenter ad prohibitionem. Exempli gratia. Odium Dei eſt ita malum, vt malitia illi actui ſit intrinſeca, & veluti eſſentialis, ita vt nulla ratione cohoneſtari poſſit, & quia intrinſecè malum eſt, propterea in lege prohibetur, dum dicit: *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* Et etiam ſi lex non prohibuiſſet, de ſe erat prohibitum, propter ſui malitiam intrinſecam. Alterum verò ita malum eſt, vt malitia non proueniat ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco, & per accidens. Exempli gratia. Commeſtio carnis ſuillæ olim Iudæis erat mala, non quidem quia eſſet ex ſe intrinſecè malum; ſed tantùm erat mala, quia à lege prohibebatur: vnde abſtrahendo à lege, ante poſitam legem, licebat comedere; qui comedebat, non peccabat. At illud prius, nempe odium Dei, ante poſitionem legis etiam, erat & graue peccatum: commeſtio autem ſuillæ, ante legis poſitionem, non erat peccatum; ſicut nec modò, poſt derogationem Moſaicæ legis per Chriſtum. Et ita dicunt Morales: alia eſſe mala, quia prohibita; alia verò prohibita, quia mala; quia illa quæ habent intrinſecam malitiam, idcirco prohibentur: vnde lex ſequitur, malitia præcedit: illa verò quæ non habent intrinſecam malitiam, ad libitum legiſlatoris, propter rectum aliquem finem mentem eius impellentem, prohibentur, & propterea fiunt mala; & lex præcedit, malitia autem ſequitur; & aliam malitiam non habent, niſi eam quam legiſlator imponit: cùm ergo eius malitia à voluntate legiſlatoris pendeat, poteſt etiam per legiſlatoris voluntatem cohoneſtari. Illa verò, quæ intrinſecam malitiam habent, & non à lege pendentem, cohoneſtari non poſſunt; ſicut nec eorum natura à legiſlatore poteſt mutari. Exemplum autem allatum de commeſtione ciborum vetitorum, tempore ieiunij, eſt de illis quæ non ſunt intrinſecè mala, ſed tantùm mala ſunt, in quantum à legiſlatore prohibentur: Fornicatio autem, adulterium, concupiſcentia, incontinentia, & luxuria, mala ſunt intrinſecè de ſui natura. Vnde

ſemper, & apud omnes, prohibita ſunt, adulteria præſertim; vt etiam apud Idololatras, prout teſtantur Codices Antiquiorum, & ipſe Philoſophorum Princeps 5. Ethic. cap. 9. & alibi. Imò ipſe idem Ariſtoteles, non ſolùm inquit, incontinentiam, & carnales concupiſcentias, eſſe intrinſecè malas; verumetiam inter omnes turpitudines aſſerit eſſe turpiſſimas 7. Eth. cap. 6. Ergo exemplum adductum de his quæ intrinſecè mala non ſunt, non facit ad probandum, poſſe cohoneſtari aliquando illa quæ ſunt intrinſecè mala, ſi ipſa mala extrinſecè & per accidens, aliquando cohoneſtentur: Vnde & ſi licet aliquando comedere, non licebit aliquando adulterari: ſi licet aliquando ad infirmi grauamen leuandum ſcurrilia verba proferre, & iocari; non licet aliquando blaſphemare, ſeu deteſtari, aut execrari. Sic ergo, quæ in vniuerſum prohibita ſunt, dum non ſunt intrinſecè mala, poſſunt aliquando licere, etiam poſt legem poſitam, adhuc lege vigente, & poſſunt ex circumſtantijs cohoneſtari, & fieri licita. Quæ autem in vniuerſum prohibita ſunt, & ſunt intrinſecè mala, non poſſunt nec in ſpecie aut ſingulari aliquo actu, ex quibuſcumque circumſtantijs cohoneſtari, & fieri licita. Ratio diſparitatis eſt, quia circumſtantiæ, cùm circumſtantiæ ſint, vim habent ad mutandas circumſtantias, & ea quæ ſunt per accidens: tamen non habent vim ad immutandam naturam, & ea quæ ſunt per ſe: idcirco poſſunt illa cohoneſtari, non iſta.

Imò nec ipſe legiſlator iure poteſt, in lege intrinſecè mala præcipere. Vnde Ariſt. 2. Ethic. cap. 1. inquit; Præcipientes mala aut iniuſta, peccare, & non benè facere. Item 7. Politic. cap. 3. neminem poſſe contra naturam aliquid præcipere; quia quæ ſecundùm naturam ſunt, ſemper ipſam naturam ſequuntur, & non poſſunt, vel temporum vel locorum diuerſitate, ſeparari; ſed apud omnes gentes, & in omnibus ſæculis eadem ſemper eſſe. Ex quibus Ariſt. verbis conſtat, ea quæ natura ſunt mala, per nullam legem potuiſſe aut poſſe iure præcipi; præcipientem verò eo ipſo peccare. Eodem fere modo diſcurrit Plato in Dialogo Minos.

Cùm ergo Mahometus fateatur, concupiſcentiã, luxuriam, incontinentiam &c. vitia eſſe, & mala; non potuit, ſe ſanctum & Prophetam iactare, cùm tantus in concupiſcentijs eſſet. Et eo ipſo, quòd vxorem Zaidi abſtulit, ſibi etiam conſangui-

neas

neas copulauit, & omnes in vniuerſum ſibi licere per Deum aſſeruit, eo ipſo conuincitur fuiſſe non ſolùm incontinens, libidinoſus, adulter, & mendax; verùm etiam, & blaſphemus, horribili quodam & execrabili blaſphemiæ impietate, vt auderet Deum ipſum facere ſuæ libidinis auctorem.

Et in his omnibus ex ſuiſmet verbis conuincitur feciſſe contra Dei præcepta. Dicit enim in Alchorano cap. de ص,

وَلَا تَتَّبِعِ الْهَوَى فَيُضِلَّكَ عَنْ سَبِيلِ اللَّهِ ۞

Ideſt. *Et ne ſequaris concupiſcentiam, quia abducet te à via Dei;* Quibus verbis fatetur Deum nolle, concupiſcentijs homines duci, ſed magis præcipere fugiendas eſſe, eaſque animum à Deo elongare.

SECTIO V.

Mahometis calliditas magis aperitur.

NEc ſolùm in allatis Mahometi impoſtura declaratur; verùm etiam in pluribus, tanta enim fuit eius calliditas, & verſutia, vt quod paulò ſuperius diximus de notione principiorum & propoſitionum vniuerſalium, ipſe quoque agnoſceret; propterea omnium virtutum actus in genere commendat, celebrat, & proponit, ieiunium, orationem, eleemoſynas, virginitatem, caſtitatem, &c. Reprehendit è contra vitia, infidelitatem, mendacium, luxuriam, mundi faſtum, ſuperbiam, & quæcumque vitia cenſentur.

Tamen, ad ſpecialia & ſingularia ſi reſpiciamus, non niſi inhoneſta, vt ſupra viſum eſt, præcipit, dum dat cunctis licentiam, plures vxores ſibi copulandi, ancillis omnibus, inuitis etiam vxoribus, ſe commiſcendi. Inſuper & vxores, tàm

ſecun-

ſecundùm naturam quàm contrà, adeundi, vt cap. 1. inquit.

نِسَاؤُكُمْ حَرْثٌ لَكُمْ فَأْتُوا حَرْثَكُمْ أَنَّى شِئْتُمْ وَقَدِّمُوا لِأَنْفُسِكُمْ ۞

Ideſt. *Vxores veſtræ ſunt aratura veſtra, ſerite ergo ſemen quomodocumque vultis, & offerte animabus veſtris.* In genere, mundi faſtum & gloriam, dicit contemnendam: & tamen ſi ad ſingularia præcepta reſpiciamus, vt ſupra diximus, etiam proprias vxores ad mundi faſtum & gloriam hortatur, ſeque paratum cunctis feminis exhibet, ad illas eleganti cultu ornandas, vt illas alliceret. Prætermitto enumerationem cæterorum, quæ facilè tibi patent, in libris Mahometi aſſiduo, in quibus, ſi conſideres, plura perſpicies, bona in genere commendata, tamen in ſpecialibus præceptis oppoſita iuſſa. Sed illud non eſt prætereundum dum in genere Idololatriam prohibet; tamen ſi reſpiciamus ad præcepta peculiaria, Idololatriç cultum inſtituit: in libris enim Sonna iubet in cæremonijs viſitationis Templi, vt venerentur & colant & humiliter oſculentur à latere dextro lapidem in Templo Mecæ poſitum, quem conſtat ex libro Agar, fuiſſe lapidem Idolo in eodem Templo Mecæ ſito inſeruientem. Cùm enim Idolum ſtatutum eſſet intra turrim quamdam in medio Templi extructam, & Idolum non poſſet conſpici, lapis ille poſitus fuerat in ſignum è regione in qua ſtatutum erat Idolum, vt adorantium vultus illorſum verterentur. Vnde & Idololatræ Mechenſes lapidem illum venerabantur, & oſculabantur, paremque cultum voluit à Mahometanis illi lapidi reddendum. Qua alia ratione, niſi in memoriam & cultum Idoli? Vbi notandum eſt, dici lapidem illum à Mahometo, beatum & fortunatum lapidem. Qua alia ratione fortunatum vocat? Certè non alia cauſa occurrit, niſi quia Idololatriæ inſeruiebat. Impia profectò beatitudo. Certè alia ratio beatitudinis lapidis illius à Mahometo aſſignari non poteſt. Similiter & quando iubet cap. 1. in Alchorano, orantium vultus dirigendos verſùs Mechenſe Templum, quid aliud voluit, niſi Idoli cultum inſtituere?

tuere? De facto enim, quando illud præcepit, Idolum à Mechenſibus adhuc in templo colebatur: illud enim iuſſit ſecundo anno poſt exilium, Idolum verò fuit ſeptimo anno poſt exilium dirutum; quando Mechenſes prælio ſuperauit, Mecamque ſibi ſubiecit: tunc enim, & non priùs dirutum eſt Idolum. Vnde quinque integros annos Mahometani ad Idolum, ſeu conuerſi ad Idoli templum, orationes fundebant. Et poſt Idolum dirutum, modò lapis ad Idoli cultum inſeruiens colitur. Ex libro Agar etiam conſtat, cæremonias omnes, quas Mahomed ſuis ſeruandas iuſſit, eas eſſe, quas Idololatræ Mechenſes in Mechenſis Idoli cultum ſeruabant: tam in celebratione Paſchatis, quàm in viſitatione templi, quam dicunt الحجة, quàm in mactatione arietum, quàm etiam in abſtinentia à cæde animalium, ſeu venatione, & aucupio, per omnem Mechę regionem, quatuor menſibus anni; ſicut etiam in abſtinentia à cæde pulicum & pediculorum, iiſdem quatuor menſibus. Vnde generalibus verbis Idolorum cultum fictè reijciebat; at ad peculiaria ſi reſpiciamus, quæ ad eum cultum pertinebant retinuit, dum eadem ſeruanda præcepit. Cultum etiam diei Veneris ad quid, & cur inſtituit, niſi vt Idololatriam in turpis Deæ Veneris memoriam exerceret? Propterea ludos inſtituit ad inſtar veterum Bacchanaliorũ, in quibus, nudatis feminis nudi etiam admixti viri, ſaltantes & bacchantes talia factitant, qualium mentionem verecundæ aures horreſcunt. Sed qui tam addictus erat venereis, quid mirum, ſi Venerem coli iuberet?

Sed & ille titulus, qui toties à Mohammede vſurpatur

لَا إِلَاهَ إِلَّا اللّٰه وَمُحَمَّدٌ رَسُولُ اللّٰهِ ۞

Quid aliud præſefert, niſi Idololatriam? Quid enim aliud eſt Idololatria, niſi Diuinus cultus creaturæ indebitè exhibitus, quo creatura tamquam Creator colitur? Illa verò verba à Mohammede vſurpata nonne videntur ſignificare, Mohammedem eſſe Deum? Sic namque ſonant: *Non eſt Deus, niſi Deus, & Mohammedes, qui dicitur Apoſtolus Dei*. In qua

propo-

propoſitione, per illud (niſi) excluduntur pariter Deus & Mohammedes, ab eo quod præmiſſum fuerat, nempe à Ly *Non eſt Deus:* quaſi diceret, nullus alius eſt Deus, præterquam Deus & Mohammedes ille, qui dicitur Apoſtolus Dei. Hoc quidem videntur illa verba ex ſe ſignificare: & quamuis Mahometani in eo ſenſu non accipiant, nihilominus propoſitio illa de ſe malè aſſeritur, & malè à Mohammede diſpoſita eſt; vt etiam per illam, ſi potuiſſet, Deitatem vſurpaſſet. Quòd autem etiam ad hoc conatus ſit, patet ex alijs adiunctis, nam ſemper vult & præcipit Mohammedes, cum Dei nomine ſuum nomen copulandum, & ſimul & ſemel ab omnibus inuocandum; vt ſic videretur ipſi Deo æqualis. Hinc eſt, quòd cuilibet cælorum oſtio ſuum nomen cum Dei nomine pariter finxit inſculptum. Hinc eſt, quòd idem etiam & eodem modo in ipſomet Dei ſolio dixit inſcriptum. Hinc eſt, quòd in ſingulis frondibus arboris Paradiſi (quam ipſam eſſe inquit Beatitudinem, eique tale nomen impoſuit الطوبى Eltubà, ideſt Beatitudo) idem Mohammedis nomen cum Dei nomine ait impreſſum, aureis argenteiſque characteribus. Hinc eſt, quòd ad Dei ſimul & Mohammedis inuocationem, quodlibet cæli oſtium refert propalatum. Hinc eſt, quòd etiam Angelis ipſis, imò ſupremis Angelis, cum Dei nomine etiam ſuum nomen, vult Mohammedes, inuocandum, vt ſupra, hoc tract. 2. cap. 2. ſect. 2. & cap. 3. ſect. 3. relatum eſt. Cætera etiam complura, breuitatis ergò, ſileo: ex quibus colligitur Mahometi intentio, ſcilicet, ſibi, in quantum fieri potuiſſet, etiam Dei & titulum & cultum vſurpare. Ita vt ſimularet generalibus verbis, vitia, Idola, & Idololatriam execrari, & in genere ſeu in communi, præſeferret ſpeciem virtutum Diuinique cultus: ad peculiaria autem deſcendens, nonniſi vitia præſcriberet, virtutes ablegaret, eaſque ablegando, in quantum poſſet, inſinuaret etiam vitiorum omnium fontem, & vniuerſorum malorum abyſſum, Idololatriam. Vt ſcilicet Mahomet vniuerſa bona in genere præciperet, in ſpecie verò nonniſi peccata & vitia perficeret. Nempe illud præcipere in genere, ad fucum vſurpat, iuxta illud Euangelij, Matt. 7. 15. ſeu ſect. 14. *Veniunt ad vos in veſtimentis ouium; intrin-*

ſecus autem ſunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoſcetis eos. Laudatio virtutum in genere, eſt veſtimentum ouium: at ſpeciale præceptum, de oſculo lapidis, de vultu ad Idolum vertendo, de licentia libidinum, & fornicationum, & adulteriorum, & cætera ſuperiùs recenſita, ſunt fructus, quibus dignoſcitur Mahometi lupinus animus, intrinſecùs latens. Commendatio itaque illa, in genere, bonitatis, eſt fucus, quo tegitur machinamentum iniquitatis. Attende quæſo, & conſidera impoſturam, quam tibi (Deum oro) patefaciat; ne, de tam pernicioſa deceptione, cadas in æternam perniciem & damnationem.

SECTIO VI.

De titulis à Mahometo gratis vſurpatis.

SIcut virtutes in genere celebrat Mahomed, ſic etiam reliqua quæ bona ſunt, in vniuerſum, vniuerſalibus propoſitionibus, talia eſſe dicit, qualia ab omnibus cognoſcuntur: aliàs enim facilè fuiſſet de impoſtura notatus; nec enim alio aſtu poterat impoſtura vim habere. Propter eamdem cauſam, quæcumque honeſta, quæcumque ſancta, quæcumque digna, quæcumque magna, quæcumque glorioſa, in genere & vniuerſali, ſibi vſurpat; nempe, ſe eſſe Prophetam, & Prophetam vniuerſalem, imò & Prophetarum ſigillum. Secundò eſſe omnium ſanctiſſimum, Deoque chariſſimum. Tertiò, ſe ex nobiliſſima ortum progenie. Quartò, ſe in die Iudicij omnibus à Deo proponendum, & Dominum omnium conſtituendum. Sextò ſe eſſe Spiritum ſanctum Paraclitum: idque etiam in tuo libro aſtruere conaris.

Hæc & etiam plura ſibi vſurpat, ſanctitatis, dignitatis, & nobilitatis inſignia. Tamen ſi ad rem ipſam ſpeciatim mentis oculos conuertamus; An reuera ita ſit, nec ne: an ſonus ingẽs

tâm grauium titulorum ſit veritate plenus; an mendacij vacuitate inanis: illicò animaduertemus. Et quidem in ijs præſertim, quæ ad ſanctitatem pertinent, in quibus conſiſtit difficultatis punctus, & res omnis poſita eſt, facilè conſtat mendacij vanitas ex dictis, quibus patet, eum potius vitijs fœdatum, quàm virtutibus fuiſſe ornatum. Et quamuis diuina præcepta iactet, conuincitur etiam ex dictis, illud perficere, quod ipſe de alijs quibuſdam blaſphemis dicit in Alchorano سورة الأعراف c. *De Muro*, vna aut altera pagina poſt initium.

وَإِذَا فَعَلُوا فَاحِشَةً قَالُوا وَجَدْنَا عَلَيْهَا آبَاءَنَا وَاللَّهُ أَمَرَنَا بِهَا

Ideſt: *Et cum turpia committunt & inhoneſta, ſe excuſant, dicentes: maiores noſtri talia perpetrabant, ſimilia faciebant, & Deus hæc facienda nobis præcepit*. Hanc excuſationem ſuarum turpitudinum conatur afferre ipſe Mahomed, quam ſi alijs ipſe non admittit, cur erit ipſi Mahometo admittenda? præſertim cùm illi, de quibus ipſe dicit, duplicem excuſationem afferrent: nempe vnam, quia maiores illorum ita etiam feciſſent: alteram, quia ſic Deus illis præcepiſſet. Mahometus verò non niſi vnicam tantùm excuſationem affert: ſcilicet, à Deo ita ſibi fuiſſe conceſſum; non enim afferre poteſt etiam antiquitatem, quia nullus Propheta vnquam talia perpetrauit: Vnde ſi duplex excuſatio illorum à Mahometo non admittitur, multò minùs vna eiuſdem excuſationis ratio Mahometi erit admittenda. Quod ſi excuſatio Mahometi admitteretur, poſſet quilibet ad libitū flagitia perpetrare, & à Deo ſibi fuiſſe præcepta, iactare. Quæ excuſatio, non ſolùm nulla eſt, ſed crimini maius crimen addit: euidens eſt enim & certum, à Deo turpia præcipi non poſſe, vt etiam pluries fatetur Alchoranus, præſertim eodem capit. سورة الأعراف *De Muro*, ſcilicet inter gehennam, & paradisū interpoſito: reſpondens illorum excuſationi, qui dicebant, à Deo ſibi fuiſſe præcepta turpia, immediatè ſubdens talia.

قل إن الله لا يأمر بالفحشاء أتقولون على الله ما لا تعلمون قل أمر ربي بالقسط ۞

Idest: *Reſponde: certè Deus non præcipit turpia: num dicitis contra Deum quod neſcitis? Dic: præcipit Dominus meus recta, & iuſta*. Sic ergo ſuis verbis poteſt Mahometo reſponderi, dum diuinam auctoritatem, aſſerit, ſuas turpitudines & adulteria præcipientem: Deus non præcipit turpia, ſed honeſta: non præcipit adulteria & raptus alienarum vxorum, ſed prohibet: ergo cum ſe Mahomet excuſat, magis peccat; cùm taliter in Deum blaſphemet. Et poſſumus alijs eius verbis, poſitis in c. يونس *De Iona*, & eodem c. الأعراف *De Muro*, paulò poſt prællegata, ipſummet redarguere.

ومن أظلم ممن افترى على الله كذبا أو كذب بآياته ۞

Idest: *Quis eo eſt iniquior, qui Deo tribuit mendacia? &c.* Quod ſi iniquiſſimus eſt qui Deum audet dicere mendacem; quanto erit iniquior & ſceleſtior, qui Deum audet quaſi facere lenonem?

Hæc non effingimus nos, nec intellectus noſtri acuitate aſtruimus; ſed de plano, & facilè, ex ipſo Alchorano patent.

Si non conſtat Mahometi ſanctitas, ſed magis clarè patet iniquitas, vt ex dictis conuincitur, ergo quæcumque à ſanctitate dependent, Mahometo tribui non poſſunt. Vnde falſum eſſe ſequitur aliud, quod addit: ſe eſſe omnium Redemptorem, & à peccatis mundatorem; quia nulla ratione hoc aſtrui poteſt. Quomodo enim peccator, & in Deum blaſphemus, poteſt alios à peccatis mundare, cùm ſit ipſe etiam peccati reus? Quomodo poteſt inimicos ſua interceſſione Deo conciliare, cùm ſit etiam ipſe inimicus? Et quidem quod Chriſtiani de Chriſto dicunt, eſſe Redemptorem, & Deo pro peccatis ſatisfeciſſe, ex omni capite aſtrui poteſt. Primò, quia

quia Scripturæ teſtantur. Secundò, quia ipſe non erat peccati reus, imò & peccare non poterat, vt etiam Alchoranus fatetur cap. 2. *De familia Amran*. Tertiò, quia plurima bona opera exercuit, vt etiam Alchoranus teſtatur: & conſtat apud Morales & Theologos, bona opera, non ſolùm eſſe meritoria, & impetratoria, verum etiam & ſatisfactoria. Chriſtus verò dum bona opera in Dei obſequium plurima exercuit, non potuit pro ſuis peccatis ſatisfacere, quia peccata non commiſerat, nec potuit aliquando committere: Vnde ſatisfactionem pro peccatis aliorum exibuit; quam conſtat in Scripturis fuiſſe Deo non ſolùm gratam, ſed etiam ratam, vt ex illo Iſaiæ 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam &c.* & *In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit* Et conſtat ibi ſermonem eſſe de Chriſto, qui ibidē apud Iſaiam, prænunciatur occidendus; ſimiliter & ab alijs Prophetis, quos commodiùs alibi memorauimus, & hic, breuitatis cauſa, non repetimus. Inſuper, & ſatisfactionem Chriſti fuiſſe plenam pro omnium ſolutione peccatorum, patet ex dignitate perſonæ: nam ſi peccatorum grauitas infiniti eſt ponderis; quia illorum offenſio in Deum, qui infinitæ dignitatis eſt, dirigitur: Chriſtus, bona opera exercens, ſolutionem etiam infiniti valoris exhibuit; ipſe enim erat Deus, vt infra neſcientibus demonſtrabimus, diuinorum teſtimoniorum auctoritate: Cùm ergo eadem Chriſti perſona eſſet Deus & homo, & actiones, iuxta perſonæ dignitatem meriti valorem obtineant (vt conſtat apud Morales, & Phyſicos, qui pariter aſſerunt, tale eſſe operari, quale eſt ipſum eſſe operantis) quia Chriſtus operans erat infinitæ dignitatis, opera eius erant infiniti quoque valoris. Vnde pro infinita læſione criminis, exhibuit æquale pretium operis; & ſic potuit ſatisfacere, & à peccatis mundare. Mahometes autem, ex nullo capite dici poteſt Redemptor, nec à peccatis mundator; quia cùm non eſſet Deus, erat ſimplex creatura, ergo finitæ dignitatis: nec poterat aliquando infinitam dignitatem iactare, quia omnis creatura quantumuis ſemper exreſcat & in infinitum augeatur, numquam poteſt ad actu infinitum pertingere; ſed neceſſariò ſemper remanet intra terminos finiti. Igitur non potuit aliquando pro peccato ſatisfacere, cùm eius meritum ſemper fuiſſet finitum; peccati verò grauitas eſt infinita. Inſuper ſi

pec-

peccator erat, vt ex dictis conſtat, & Deo inimicus; peccator enim, adulter, & blaſphemus, Deo amicus non eſt. Ergo nec etiam aliquid mereri poterat apud Deum; nec etiam, inquam aliquid meriti finitum & limitatum; quia qui Dei gratiam non habet, non poteſt aliquid ſupernaturale mereri, non gloriam, non gratiam, nec aliquid ſatisfactionis exhibere pro culpa: gratia enim ſanctificans eſt veluti primum eſſe, reſpectu ſupernaturalium; vnde, ſicut id quod nihil eſt, in rerum natura nihil agere poteſt, nec pati, nec mereri, etiam reſpectu naturalium; ita à pari: homo qui Dei gratiam non habet, quamuis poſſit plura agere & pati, reſpectu naturalium & ordinis naturalis, tamen, reſpectu ordinis ſupernaturalis, ſe habet ſicut non eſſet; & ita reſpectu illius ordinis non poteſt quicquam agere; quia eſſe naturale non habet proportionem ad ſupernaturale: & ſicut homo habet eſſe naturale per exiſtentiam, ita conſtituitur in eſſe ſupernaturali per gratiam: & paria ſunt, ſecundùm proportionalitatem, exiſtentia reſpectu naturæ, & gratia reſpectu ſupernaturalitatis. Et in hoc ſenſu accipiendum eſt illud Eſther 14. 11. *Ne tradas Domine ſceptrum tuum his, qui non ſunt.* Et illud Chryſoſtomi Homilia 8. in Acta Apoſtolorum, aliquanto altius à fine. *Multitudo, quando non facit voluntatem Dei, nihil differt ab ijs qui non ſunt.* Cùm ergo Mahomet, reſpectu ſupernaturalium, non exiſteret, quia non habebat gratiam, cùm eſſet peccator & Dei inimicus, non poterat quicquam mereri. Quare falſum eſt, illum eſſe Redemptorem & à peccatis mundatorem. Prætereà nullo Dei teſtimonio comprobatur, quamuis enim Alchoranus dicat, & aliqui libri Mahometanorum, iam conſtat ex dictis, illos non facere fidem, quia plura modò aſſerunt modò negant; & ſicut in pleriſque mentiti ſunt, ita etiam & hoc aliud mendacium cæteris potuerunt annectere. Non eſt autem in ſacris paginis, Noui vel Veteris Teſtamenti, teſtimonium aliquod de Mahometo, niſi fortè dicamus, in malum & negans Mahometi Prophetiam, vt patet in Geneſi; nam cùm Abraham duos filios habuerit, Iſmaelem de ancilla, & Iſaac de libera, ſuum Teſtamentum promiſit Deus, excitandum ad Iſaac eiuſque progeniem; non verò ad Iſmaelem & poſteros eius: quem, cap. 21. iuſſit, de domo cum ancilla eius matre eijciendum, ne fortè ſimul cum Iſaac, tamquam frater, videretur hereditatem Abrahami poſſeſſu-

ſeſſurus. Cap. autem Geneſis 17. Abrahamo deprecanti pro Iſmaele, ſeruæ filio, reſpondit Deus. *Sara vxor tua pariet tibi filium, vocabiſque nomen eius Iſaac, & conſtituam pactum meum illi in fœdus ſempiternum, & ſemini eius poſt eum. Super Iſmael quoque exaudiui te, Ecce benedicam ei, & augebo, & multiplicabo eum valde: duodecim Duces generabit, & faciam illum in gentem magnam. Pactum uerò meum ſtatuam ad Iſaac quem pariet tibi Sara &c.* Quibus patet, Iſmaeli & poſteris non fuiſſe promiſſum diuinum Teſtamentum & Pactum, quamuis diuitiæ & mundi amplitudo: Iſaac autem & poſteris eius diuinum Pactum promiſſum fuiſſe. Indè c. 16. Agar ancillæ prægnanti dixit Angelus. *Ecce concepiſti, & paries filium, vocabiſque nomen eius Iſmael, eo quod audierit Dominus afflictionem tuam. Hic erit ferus homo: manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum: & è regione vniuerſorum fratrum ſuorum figet tabernacula.* Vnde ſacra volumina, de Iſmaele, de quo ortus eſt Mahomet, mala potius, quàm bona, loquuntur, feritatē, & non ſanctitatem; crudelitatem, & non benignitatem: teſtantur, à lege Dei futurum alienum, & non diuinæ legis mediatorem; quem ex Iſaac pollicentur oriturum, quando dicunt *Pactum meum ſtatuam ad Iſaac*. Et in Chriſto, & in Moyſe, completum eſt, qui ambo ex Iſaachi progenie orti ſunt. Vndè ſacra volumina teſtimonium in bonum reddunt de Chriſto & de Moyſe, non autem de Mahometo.

SE-

SECTIO VII.

Reſpondetur ad allata pro Mahometo.

TEſtimonia verò, quæ ex Scripturis allegas, pro Mahometo non faciunt: locus enim ille Iſaiæ 21. vbi dicit Aſcenſorem aſini, & aſcenſorem cameli, non facit ſenſum de Chriſto & de Mahomet, quaſi ibi Iſaias ſignificet (vt inquis in tuo libro) per aſcenſorem aſini Chriſtum, per aſcenſorem cameli Maumetum; quia ibi Propheta loquitur de Babylonis ruina, quæ prædicitur diruenda, vt ex contextu patet, & figuratè loquitur ibi Propheta, ad oſtendendam potentiam & multitudinem exercituum ingruentium contra Babylonem. Dicit enim. *Babylon dilecta mea poſita eſt mihi in miraculum. Pone menſam, contemplare in ſpecula comedentes, & bibentes: ſurgite Principes, arripite clypeum. Hæc enim dixit mihi Dominus; vade; & pone ſpeculatorem: & quodcumque viderit, annunciet. Et vidit currum duorum equitum, aſcenſorem aſini, & aſcenſorem cameli.* & poſt pauca: *cecidit: cecidit Babylon, & omnia ſculptilia Deorum eius contrita ſunt in terram.* Vndè patet Iſaiam ibi ruinam Babylonis prædicere, quæ facta eſt à Dario & Cyro, Regibus Perſarum & Medorum, quando Baldaſſar, Babylonis Rex, crapulæ & ebrietati cum vniuerſis Babylonis Principibus vacabat; vnde dicit Propheta. *Contemplare comedentes, & bibentes*; deinde ſignificans inopinatum inimicorum exercituum aduentum, ſubdit: *Surgite Principes, arripite clypeum.* Significans verò duorum Regum fœderationem contra Babylonem, ſubiungit: *Vidit currum duorum equitum*, & ad ſignificandam duorum exercituum collegationem, ſeu militum cuiuſcumque generis impetum in eãdem, ſubnectit: *aſcenſorem aſini, & aſcenſorem cameli.* Vnde non poteſt talis Iſaiæ locus, ad Mahometi Prophetiam probandam, uſurpari. Nec ibi Iſaias de Chriſto prophetauit. Sed Chriſtum conſcenſurum aſinum, prout in Euangelio narratur, prophetauit Zacharias cap. 9 num. 9. His verbis. *Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Hieruſalem: Ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus, & ſaluator. ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum fi-*

filium aſinæ . Vbi dicit, Chriſtum Saluatorem conſcenſurum aſinum,non autem facit mentionem de conſcenſore cameli; & hic locus benè quadrat, & de Chriſto loquitur : locus ille in tuo libro allegatus,eſt nimium extortus, & nulla ratione quadrat: vnde patet rei veritas; quia quicumque locus Scripturæ, etiam à tam perſpicaci tui intellectus acumine, numquam potuit benè Mahometo applicari : quia, ſcilicet, id fieri nequit, cùm ſacræ Scripturæ nuſquam de Mahometo in bonum loquantur.

Nec illud aliud ex Daniele deſumptum,de ſtatua & lapide, Mahometum aut Alchoranum ſignificat, vt tuus liber loquitur : ſed potius Chriſtum ſignificat lapis: & imperia & regna mundi ſtatua,quæ ſecundo cap. à Daniele deſcribitur,& eodem cap. eius myſterium declaratur. Dicit enim ibi Daniel : caput aureum ſignificare regnum ipſius Nabuchodonoſor : pectus & manus & brachia,argentea,indicaſſe aliud regnum, immediatè poſt Nabuchodonoſor ſequens, fuitque regnum Perſarum Darij,& Cyri, qui, vt ſupra dictum eſt, Babylonicum regnum deſtruxerunt,& in Perſas tranſtulerunt: ventrē, & femora ærea ſignificaſſe tertium regnum,quod fuit Græcorum, nempè Alexandri Magni, qui Darium regem Perſarum vicit, eiuſque regnum in Græcos tranſtulit,& imperauit vniuerſæ terræ : omnia enim ferè regna occupauit Alexander. Pedes verò & tibias ex ferro ſignificaſſe regnum quartum,nempè Romanorum, quod omnium duriſſimum,ad inſtar ferri,cætera comminuit & ſuperauit, omnia regna domuit,ſicut ferrum cætera domat metalla. Quia verò pedum ſtatuæ pars quædam erat fictilis & quædam ferrea,ſignificata eſt ciuilis diſcordia Romanorum principum,qui, poſt deuictum Orbem, inter ſe odia exercuerunt,& arma. Deinde per lapidem paruum, de monte ſine manibus abſciſſum,& vniuerſa metalla comminuentem, & ad nihilum redigentem,ſignificatum eſt Chriſti regnum æternum: Per duo præſertim quæ ibi indicantur, nempè quia abſciſſus eſt lapis ſine manibus,lapis quidem eſt,prout inquit Apoſtolus 1. ad Cor. 10.4. *Petra autem erat Chriſtus*. & cùm ſit ſine viri conſortio de Virgine natus,ſine manibus,benè dici poteſt,abſciſſus. Item cùm dicitur,in pedibus percuſſiſſe ſtatuam, innuitur etiam,ſermonem eſſe de Chriſto,quia pedes, ideſt Romanum imperium ſubiecit, quod ſubijciendo, omnia regna ſubegit. Et poteſt

etiam illud, *ſine manibus*, referri non ſolùm ad Chriſti natiuitatem, ſed etiam ad ipſam ſubiectionem; quia non armis aut bello Romanum Imperatorem vicit, nec Romam bello occupauit; ſed vt patet ex veterum monumentis, Silueſtro Pontifice, ſermone, doctrina, & miraculis, ad Chriſtum conuertit: & Imperator Conſtantinus vltrò ſe Chriſti iugo ſubmiſit. Hoc ergo indicat ſtatua, hoc lapis: Chriſtum, & non Mahometum: nec poteſt benè Mahometo quadrare, quia Mahomet non ſubiecit Romanum Imperium, ſed Mechenſes, quos non ſine manibus, ſed armis & bello ſubiecit, vt conſtat ex libris Regum Mahometanorum, & ex libro Agar; non ergo, lapis ſine manibus abſciſſus de monte, dici poteſt. Et ſolo Chriſto quadrat, non autem Mahometo aut Alchorano.

Mahomet nō fuiſſe Spiritū Paraclitum. Nec etiam benè Mahometo quadrat nomen Spiritus ſancti Paracliti, nec Chriſtus Paraclitum promittens, polliceri dicendus eſt Mahometum, quia nulla ratione Mahometus poteſt dici Paraclitus aut Spiritus ſanctus: ſed ibi promittitur Apoſtolis donum Spiritus ſancti, quem Chriſtus miſit ad eos decimo die poſt Aſcenſionem in cęlum, prout refert Lucas cap. 2. libri, in quo Apoſtolorum geſta narrauit. Mahomet verò non aduenit Apoſtolorum tempore; ſed poſt ſexcentos annos. Vnde non poteſt dici, ipſum fuiſſe Apoſtolis à Chriſto promiſſum. Prętereà, Mahomet fuit homo corporeus, & non Spiritus: ergo dici non poteſt, illum eſſe Spiritum Paraclitum. Inſuper, hoc dicere, eſt contradicere Alchorano, qui cap. 1. & alibi, loquens de Ieſu Chriſto, ſic dicit:

أيدناه بروح القدس ۞

Ideſt: *Et ſanctificauimus eum, ſeu roborauimus, Spiritu ſancto*. Ex quibus conſtat, Mahometum non eſſe Spiritum ſanctum, teſtante ipſomet Alchorano. Quia Mahomet non extabat in rerum natura, dum Chriſtus verſaretur in terris; ſed natus eſt ſexcentis poſt annis. Itaq. non poterat à Mahometo ſanctificari ſeu roborari, ſicut roboratus dicitur Spiritu ſancto. Et capite *De Adoratione*, ante medium, dicit Alchoranus, hominem initio creationis à Deo per Spiritum ſanctum

vitam

vitam accepiſſe, quando nec dum erat in rerum natura Mahomet. Ergo gratis omninò, imò contra rationem & auctoritatem ſuorummet librorum, id aſſerunt Mahometani. Nec poſſet aliquis reſpondere, aliud eſſe Spiritum ſanctum, & aliud Spiritum Paraclitum, quia hoc eſt contra diuina teſtimonia, quæ in Euangelio idem eſſe ſignificant Spiritum Paraclitum & Spiritum ſanctum. Dicunt enim Ioan. 15. *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*. Et cap. 16. *Cùm autem venerit Spiritus ille veritatis, &c.* Et cap. 1. Actuum Apoſtolorum: *Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis*. Vnde idem eſt Spiritus Paraclitus, & Spiritus ſanctus: nec aliquando apud ſanctos viros id in dubium reuocatum eſt; ſed omnes vno ore teſtantur, Spiritum ſanctum dici Paraclitum, quia Paraclitus idem eſt Græcè, quod Conſolator Latinè; & propter conſolationem, quam ſecum affert Spiritus ſanctus, Paraclitus dicitur. Vnde Spiritus ſanctus, eſt eius nomen perſonale; Paraclitus verò, eſt nomen indicans effectum, nempe conſolationem. Immo in tuo quoque libro fateris, Spiritum ſanctum & Spiritum Paraclitum idem eſſe. Si ergo Mahomet non poteſt dici Spiritus ſanctus, nec etiam dici poterit Spiritus Paraclitus.

Præterea, Chriſtus Lucæ vltimo, iuſſit Apoſtolos ſuos non diſcedere ab Vrbe Hieroſolyma, ante aduentum Spiritus ſancti: *Et ego mitto promiſſum Patris mei in vos. Vos autem ſedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto*. Ergo non potuit promitti, illis verbis, Mahometi aduentus, quia fuiſſet præceptum aliquid moraliter impoſſibile, & ab Apoſtolis non impletum; ipſi enim diſceſſerunt ab Vrbe Hieroſolyma, plerique extra Hieroſolymam mortui ſunt, & omnes Chriſti diſcipuli, longè ante Mahometi aduentum, ex hac vita migrauerunt. Ergo, dum fuit promiſſus Paraclitus ſeu Spiritus ſanctus, non fuit promiſſus Mahomet. Inſuper, Spiritus ſanctus Act. 1. à Chriſto dicitur mittendus, non multos dies poſt ſuam Aſcenſionem; Dicit enim Apoſtolis: *Vos autem baptizabimini Spiritu ſancto, non poſt multos hos dies*. Mahometus autem natus eſt, non ſolùm multos poſt dies, ſed etiam multos poſt annos.

Tuus quoque liber fatetur, Spiritum ſanctum non eſſe Mahomet: dicit enim, Spiritum ſanctum eſſe ſpiritualitatem Angelorum, ſeu ſupremum Angelorum, & magis determinatè aſſerit eſſe Gabrielem Archangelum. Ergo non poteſt dici eſſe Mahomet, quia Gabriel Archangelus non eſt Mahomet. Spiritus ergo ſanctus à Chriſto promiſſus, eſt ille, de quo dicemus infra, dum tertiam ſacroſanctæ Trinitatis perſonam ex ſacris ſcripturis demonſtrabimus.

Nec Euangelia aliquando Mahometum, neque Ahmedum loquuntur; nam ſi de eo loquuta fuiſſent, vtique Ahmedis ſeu Mohammedis ſeu Mahometi nomen, apud ſanctos Patres, etiam ante ipſius aduentum, celeberrimum fuiſſet; in bonum quidem, ſi benè de ipſo Euangelia loquuta fuiſſent: ſicut; quia de Antichriſto Euangelia loquuntur in malum, Antichriſti nomen apud ſanctos Patres mala fama celeberrimum eſt. At nullus ſanctorum Patrum, qui Mahometi tempora præceſſerunt, mentionem aliquo modo facit de Mahomet, neque de Ahmed, neque de Mohammede, ſeu alio nomine, quo Alchoranicæ ſectæ author cenſeatur; ergo dici non poteſt, Euangelia loquuta eſſe de Mahometo. Nec dici poteſt, abraſa & deleta fuiſſe ex Euangelio verba Mahometum loquentia: quia ante eius aduentum Mahometus neſciebatur, & quis & qualis nam eſſet futurus, ignorabatur: vnde non erat cauſa, cur ante eius ortum, verba de ipſo loquentia delerentur. Ergo ſanctis Patribus antiquioribus fuiſſet agnitus, ſicut modò eſt Antichriſtus; qui, quamuis adhuc non aduenerit, propter Euangelij tamen verba, non dubitatur, quin ſit venturus, & mala celebritate notus eſt omnibus. Mahometus autem nulli antiquiorum Patrum agnitus eſt. Et qui poſtea ſequuti ſunt, de Mahometo, non niſi quæ eius geſta exigebant, loquuntur: nempe ipſum Antichriſti præcurſorem, Diaboli membrum, & inſtrumentum Satanæ in hominum perditionem fuiſſe, ſicut etiam ex dictis comprobatur. Si autem aliter loquitur Alchoranus, hoc inter cætera eius mendacia recenſendum eſt.

SECTIO

SECTIO VIII.

Reſpondetur ad alia quæ pro Mahometo afferuntur.

LOca alia Scripturarum, quæ affers ad probandum Mahometum fuiſſe prophetam, vim non habent, nec enim de Mahometo loquuntur. Illud enim ex 17. Geneſis num. 20. Super Iſmael quoque exaudiui te, intelligitur de ipſomet Iſmaele & eius progenie, quoad mundi diuitias, & huius ſæculi multiplicationem, vt patet ex contextu: non verò de prophetia, ſanctitate, & cæteris ad Dei amicitiam & cultum pertinentibus. Ibi enim contraponuntur hæc duo, nempe ſanctitas, & diuinus cultus ex vna parte, & ex altera mundi cultus, multiplicatio, & diuitiæ: & quidem quæ mundi ſunt, ibi Iſmaeli promittuntur: diuina verò Iſaaco, vt ex contextu patet; dicit enim, Sara vxor tua pariet tibi filium, vocabiſque nomen eius Iſaac, & cōſtituam pactum meum illi in fœdus ſempiternum, & ſemini eius poſt eum. Super Iſmael quoque exaudiui te. Ecce benedicam ei, & augebo, & multiplicabo eum valde: duodecim Duces generabit, & faciam illum in gentem magnam. Pactum verò meum ſtatuam ad Iſaac, quem pariet tibi Sara.

Aliud allatum ex Deuteronom. cap. 33. num. 2. *Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus eſt nobis: apparuit de monte Pharan*. Non intelligendum eſt de Meca, & Mahomet; ſed de Moyſe, qui in monte Sina acceperat legem, & in monte Seir, & in monte Pharan, auxilium Domini, eiuſque ſpecialem prouidentiam ſenſerat in deſerto, per quod filios Iſrael deducebat. Montes enim Seir, & Pharan in illo deſerto ſiti ſunt. Similiter intelligendus eſt locus ex Propheta Habacuc: Deus ab Auſtro veniet, & Sanctus de monte Pharan.

Alius,

Alius locus ex Pſalmo 71. Reges Arabum, & Saba dona adducent. Et dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipſo ſemper. Non intelligendus eſt de Mahometo. Quicquid autem ſit, Saba ne ſit Meca, an non: quia parum ad Pſalmi ſenſum facit, qui talis eſt, dum dicit, Reges Tharſis, & Inſulæ munera offerent: Nempe, ſignificat aduentum Magorū ſeu Regum, ex Tharſi, & Arabia, & Saba, venientium ad Chriſtum adorandum, quando obtulerunt ei Aurum, Thus, & Myrrham, prout refert Matthæus cap. 2. Et hoc explicat Propheta, dum ſubdit. Dabitur ei de Auro Arabiæ, quare non loquitur ibi de Mahomet.

Ad locum Iſaiæ ex cap. 21. iam ſupra reſponſum eſt. Similiter & ad locum Danielis, vbi de ſtatua aurea, argentea, aerea, ferrea, & teſtea: & oſtendimus, non eſſe de Mahometo eorum ſenſum.

Illud autem quod addis ex Daniele, venturum Prophetam, qui omnes religiones in vnum eſſet congregaturus: non poteſt intelligi de Mahometo, ſi quando dixit talia Daniel, vel alius Scripturæ locus: Quia, quāuis Mahomet omnes ſectas in vnum colligere ſit conatus, mendacibus verbis dicens cap. 1. & 4. Alchorani, & alibi; omnes, cuiuſcumque religionis & ſectæ gentes, ſaluandas, tàm Iudæos, quàm Chriſtianos, quàm Mahometanos, quàm etiam Paganos: iam ſupra, eiuſmodi collectionem à Deo fieri non potuiſſe, probauimus, & contradictionem in proprijs dictis inuoluere, demonſtrauimus; cùm Mahometani, Iudæi, Chriſtiani, & Pagani, contradictoria credant. Vndè, cùm non poſſint contradictoria eſſe ſimul vera, neceſſe eſt, aliquos ex illis falſa credere, ac proinde, tamquam infideles, damnandos, non verò (prout Alchoranus inquit) omnes in ſua lege ſeruandos.

Confirmatur hoc magis, ex diſtinctione, quam ipſemet affers in tuo libro, vbi diſtinguis in fide, ſeu religione, duo poſſe conſiderari, nempe præcepta quæ reducuntur ad praxim, & præcepta, quæ reducuntur ad ſpeculationem, ſeu alio modo, præcepta, quæ iubent aliquid faciendum; & præcepta, quæ proponunt aliquid credendum. Exempli gratia, In lege Mahometi credendum proponitur, obiectum beatitudinis copula carnalis, ſeu puellæ virgines illæ, quibus copulentur. Præceptum verò iubens aliquid faciendum, eſt, vt conuertatur vultus,

ora-

orationis tēpore,ad Mechenſe tēplum. In Chriſti lege credendum proponitur myſterium Trinitatis inter cætera. Exequendum verò præceptum,de dilectione Dei, & proximi. Dicis ergo,pręcepta pertinētia ad praxim, poſſe mutari in minus vel magis perfecta, illorumque mutationem non arguere impoſturam, vt patet in lege Moyſi & Chriſti. Præcepta verò quæ pertinent ad ſpeculationem, & credenda proponunt,non poſſe mutari, quia veritas de eodem obiecto vna eſt, & ſi ſe habet vno modo, non poteſt ſe habere alio modo. Exempli gratia: Si verum eſt,Deum eſſe vnum, non poterit verum eſſe, Deos eſſe plures. Propterea (vt benè quoad hoc diſcurris) non poteſt aliquod eiuſmodi præceptum, credēda proponens, mutari, ſicut & obiecti veritas non eſt multiplex, ſed vna tantùm. Vnde,ſi quis mutet,& dicat incompatibilia de eodem obiecto, & contradictoria credenda proponat, eo ipſo conuincitur de falſitate & impoſtura. Ex hoc tuo diſcurſu, magis confirmatur quod ſupra diximus, collectionem illam, quam facere conatus eſt Mahomet,omnium ſectarum, & religionis etiam Chriſtianæ, redarguere ipſum Mahomet de falſitate & impoſtura. Quia,dum dicit,Iudæos, Chriſtianos, Paganos, & Mahometanos,in ſua lege ſalutem conſequi, myſteria, ſiue vera, ſiue efficta,cuiuſcumque ſectæ (tamquam vera) approbat ſimul & proponit. Exinde enim ſequitur,myſteria cuiuſcumque Sectæ vel Religionis, vera eſſe, ſecundùm dictum Alchorani: aliàs enim, ex falſa fide ſalus non obtinetur, prout etiam Alchoranus dicit, cap. *De mulieribus*, ſub initium, pag. 78. & cap. eodem, longiùs à fine, pag. 100. & cap. 1. *De Vacca*, circa medium, pag. mihi 24. Vnde,ſicut verum eſt myſterium, quod Chriſtiani credunt, & venerantur,de Sacroſancta Trinitate,de Chriſti Diuinitate, &c. Ita etiam,ex teſtimonio Alchorani & Mahometi,ſequeretur, verum eſſe, quod credunt Iudæi, Meſſiam non veniſſe, Chriſtum non eſſe Deum: Et ſimul verum eſſe,quod credunt Mahometani, Chriſtum veniſſe, ſed Chriſtum non eſſe Deum. Itaque,præcepta illa,quæ tu in tuo libro aſſeris, immutabilia, etiam per temporum diuerſa ſpatia,à Mahometo, eodem tempore, ſimul & ſemel, diuerſa & contradictoria proponuntur. Vnde patet, collectionem quam facit, omnium Sectarum, in ſua lege Mahomet, potiùs illum de falſitate & impoſtura redarguere

darguere

darguere, quàm probare illum eſſe Prophetam.

Locus ergo ille, ſiue Danielis, ſiue alterius Prophetæ, non eſt de Mahometo intelligendus; ſed de Chriſto, qui in vnum omnes collegit, iuxta illud Ioann. 11. à num. 51. loquentis de Caipha. *Hoc autem a ſemetipſo non dixit; ſed cùm eſſet Pontifex anni illius prophetauit, quòd Ieſus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente; ſed vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum.* Nempe, non ſicut Mahomet inquit, omnes in ſua lege & ſecta permanendo; ſed omnes ad vnam fidem trahendo; propterea enim Chriſti fides ab initio Catholica dicta eſt, ad ſignificandam eius vniuerſalitatem, quia omnibus ſimul amplectenda proponeretur; prout inquit Chriſtus, Marci vltimo: *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et Matthæi vltimo: *Euntes ergo docete omnes gentes.* Ad ſignificandam quoq. diuerſitatem legis Euangelicæ à lege Moyſi: Moyſi enim lex ſolis propoſita fuit Iudæis; at lex Euangelica indiſtinctè omnibus proponitur, tàm Iudæis, quàm Gentibus. Olim extra legem Moyſi, naturæ legem ſeruantes ſalutem conſequebantur; at modò nullus, qui Chriſti legem non profitetur, ſalutem conſequitur. Hoc ergo ſignificare voluit Propheta, dum dicit, venturum à Deo virum, omnes gentes in vnam legem collecturum. Et de facto ita completum eſt, per Apoſtolos & Chriſti Diſcipulos, cùm totum Orbem ad Chriſti legem traxerunt, iuxta illud Pſalmi: *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum* &c. Et quamuis deinde complures Prouinciæ à Chriſti lege deſciuerint, hoc in peccatorum pœnam (vt ſupra explicatum eſt) fuit à Deo permiſſum.

Præterea, Mahometi lex numquam aliquando omnes Mundi partes occupauit, nec enim aliquando in Italia viguit, & in ijs Mundi regionibus, quæ eruditione & doctrina pollerent; ſed in eas regiones inducta eſt, quarum incolis, vel intellectus eſſet offuſus ignorantia, vel infecta ſeu deprauata voluntas vitijs & concupiſcentia, vel ſaltem neceſſe eis fuit Mahometi legem ſuſcipere, ſubiectis armorum potentia. Chriſti verò lex impleuit Orbem, non vi armorum, aut humana induſtria; ſed Diuina operante omnipotentia, & tandem ad ſui credulitatem iterum poſt defectum retrahet. Vnde verba

verba allegata in tuo libro ex Daniele, non pro Mahometi, ſed pro Chriſti lege faciunt.

SECTIO IX.

Reſpondetur ad obiecta pro Alchorano, cæteriſque Mahometi libris.

ALia Scripturarum loca, quæ affers ad probandam ſimilitudinem Alchorani, & eorum quæ in ipſo continentur, cum lege Moyſi, & Euangelijs; nec etiam faciunt ad intentum. Quando enim Chriſtus ſignificauit, in cælo ſe bibiturum, & ſuos diſcipulos in cælo commeſſuros, & ſeſſuros ad menſam ſuam in regno ſuo, noluit ſignificare commeſtionem veram, corpoream, dentibus & palato; ſed commeſtionem metaphoricè accipiendo, prout inquit Ioann.4. *Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis*. Deinde: *Meus cibus eſt vt faciam voluntatem eius qui miſit me*. Et Matth. 4. num. 4. *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*. Quod habetur etiam Deuteron. cap. 8. num. 3. Item iuxta illud Pſalmi 16. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*. Et Pſalmi 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Vnde in Paradiſi gloria non erit propria commeſtio, & potatio; ſed quia cibus & potus in hac vita nos alunt ſimul & delectant; propterea viſio beatifica, beatos viuificans ſimul & delectans, metaphoricè & per ſimilitudinem, dicitur cibus & potus. Et in ſacris Scripturis Chriſtianorum patet, ſermonem eſſe de cibo & potu metaphoricè, vt ex allegatis colligitur. Mahometus verò non loquitur metaphoricè, ſed propriè, quod conſtat in deſcriptione menſarum, diſtinctione paradiſorum, fontium, epularum, patinarum, cyatorum, aquarum diuerſi generis. Ita pariter in deſcriptione veſtimentorum, ornamentorum, diuerſo-

perſorum generum, in Sonna & Alchorano, prout aliquantiſper ſupra tetigimus. Inſuper conſtat magis, de vera commeſtione fuiſſe loquutum, cùm poſt commeſtionem addat carnalem complexum cum puellis, & cæli mulieribus, taliſque complexus carnalis ad ſui materiam prærequirit carnalem commeſtionem, & non ſufficit metaphorica. Verùm non eſt talis apud Mahometanos dubitatio, quia tam clarè ſignificant Mahometi paginæ commeſtionem & copulam fore carnales, & propriè ſumptas, vt tamquam fidei articulus ab ipſis credatur. Et ex tuo libro etiam conſtat: non enim dicis copulam aut commeſtionem fuiſſe à Mahometo metaphoricè ſumptas, ſed potiùs laboras ad probandum etiam talia in noſtro Euangelio à Chriſto promiſſa: vnde fateris, & tamquam certum ſupponis, à Mahometo carnalia, & non metaphorica, fuiſſe illa promiſſa.

Illud quod addis de commeſtione Angelorum coram Abraham, & coram Lot, ad probandum in noſtris Scripturis ſenſum eſſe de vera commeſtione. Dicis igitur, Chriſtum in Euangelio dixiſſe, homines in cælo futuros tamquam Angelos: At Angeli comederunt: Ergo & Beati in Paradiſo comedent. Hoc inquam non probat: Quia Angeli viſi ſunt comedere, vt viderentur eſſe homines; tamen non verè comederunt, ſicut non habebant veros dentes, verum palatum, nec ſtomachum, & cetera membra ad commeſtionem neceſſaria: idque patet in libro Tobiæ; Archangelus enim Raphael ſub ſpecie hominis Tobiam comitans, videbatur comedere, tamen non comedebat. Vnde idem Raphael ibidem cap. 12 n. 19. ſic inquit: *Videbar quidem vobiſcum manducare & bibere; ſed ego cibo inuiſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor*. Quibus oſtendit, Angelos bibere & comedere metaphoricè, & ſpiritualiter; nempe Deum videndo, non verò carnaliter: ſi quando autem comedere viſi ſunt, ad comitatem & ſodalitatem, tamquam homines cum hominibus, officioſè ſimulauerunt.

Alia excuſatio, quam affers pro tuenda Paradiſi copula cum mulieribus, à Mahometo promiſſa, nihil prodeſt ad Mahometi purgationem; imò potiùs obeſt. Quia ſi Deus ex Virgine carnem aſſumpſit, & in vtero Virginis nouem menſes, ad debitum ſui corporis incrementum, tranſegit: animaduerten-

uertendum eſt, Matrem ſine viri conſortio elegiſſe, nullumque complexum carnis interceſſiſſe. Quia ſcilicet non eſt vterus aliquid turpe, ſed actiones turpes reddunt membra turpia. Vnde ab initio creationis Adam & Eua, ante omnem actum turpem, ideſt, ante peccatum, non agnoſcebant in ſe ipſis aliquid turpe, quia nihil turpe in ipſis erat, cùm in eis non eſſet aliud, niſi à Deo creatum: & omnia & ſingula, tàm Adę, quàm Euæ membra, à Deo facta erant, qui vniuerſa quæ fecit, non turpia, ſed valde bona fecit. At poſt peccatum ex carnis petulantia, quam facti Deo rebelles ſtatim rebellem ſenſerunt, turpitudinem in ſuis membris agnouerunt: prout in Geneſi, cap. 3. quando ſe cognouerunt eſſe nudos. Ergo libido facit turpitudinem, non autem de ſe ipſa membra. Cùm ergo Deus in vtero incarnari voluit Virginis; quam ab omni concupiſcentia, certum eſt (etiam apud ipſos Mahometanos) fuiſſe alienam, nihil turpitudinis in eius membris inuenit. Vnde Mariæ vterus non fuit Deo indignus. At Mahometus non ponit in Paradiſo membra non turpia; ſed ponit membra ipſam turpitudinem exercentia, ponit actum ipſum turpitudinis. Et quidem in Paradiſo nihil turpe futurum eſt, vt in Apocal. Ioan. cap. 21. num. 27. *Non intrabit in eam*, ideſt, in Dei ciuitatem, *aliquod coinquinatum aut abominationem faciens, & mendacium*. Et cap. 22. num. 15. *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & Idolis ſeruientes, & omnis qui amat, & facit mendacium*. Nihilominus certum eſt, poſt reſurrectionem in Paradiſo futura etiam cum animabus corpora, cum vniuerſis & ſingulis membris. Quare conſtat, ex ſe membra nihil habere turpitudinis. Dum autem dicit Ioann. *Foris impudici*, oſtendit turpitudinem membrorum eſſe ex impudicitia. Vnde ſi Chriſtus natus eſt ex vtero Virginis, non poteſt exinde Mahometi carnalis promiſſio cohoneſtari, quia Mahomet vult in Paradiſo, non membra, ſed membrorum turpitudinem exercendam, quam Chriſtus abhorruit: & quamuis ad communem omnium natiuitatem carnalis prærequiratur commixtio; tamen, propter eius turpitudinem, maluit ad ſui natiuitatem naturæ legibus diſpenſare, vt ex intacta Virgine naſceretur. Vnde eleganter inquit ſanctiſſimus & eruditiſſimus pariter Bernardus, Homil. 2. ſuper Miſſus eſt, non longè ab initio: *Deum huiuſmodi decebat*

natiuitas, qua non niſi de Virgine naſceretur. Talis congruebat & Virgini partus, vt non pareret niſi Deum. Ergo excuſatio allata non purgat Mahometum, ſed potiùs magis reprehenſibilem demonſtrat.

SECTIO X.

Concluditur, Mahomed impoſturam fuiſſe machinatum.

ERgo, Mahometus nulla ratione dici poteſt Propheta, cùm ex nullo Scripturarum teſtimonio probetur, vt viſum eſt. Inſuper cùm potiùs probatum ſit, in pluribus peccaſſe, & mendacia protuliſſe; cùq. ſe iactare voluit Prophetam, libroſque Diuino nomine proponere, cōſtat, fuiſſe Pſeudoprophetam. Vnde falſum etiam eſt, quod de ſe dixit, eſſe ſigillum Prophetarum. Et ex conſequenti etiam falſum eſt, eum futurum in die Iudicij dominum vniuerſorum. Et in vniuerſum, omnes titulos ad ſanctitatem pertinentes, quos ſibi vſurpauit, conuincitur non iure vſurpaſſe. Imò & titulum nobilitatis præcipuæ ſuper omnes, etiam iniuria à Mahometo vſurpatum fuiſſe, conſtat ex teſtimonio Scripturarum. Ipſe namq. quamuis ortum ducat ex Abraham, nihilominus non ducit ortum ex libera, ſed ex ancilla: Iſmael enim Mahometi radix non ex Sara, ſed ex Agar, Saræ ancilla, progenitus eſt. Vnde euidenter patet, Iſaac ex Sara eodem Abrahamo natum, illiuſque progeniem, eſſe Mahometo nobiliorem. Sunt autem omnes ſtirpes, tam ex Iacob, quàm ex Eſau, quæ plurimæ fuerunt. Ergo non poteſt dici à Mahometo in كتاب الانوار *Libro florum*, ſe ex nobiliſſima inter vniuerſas ortum progenie, quia nobilior fuit Iacobi & Eſau progenies. Ergo gratis omnes ſibi dignos vſurpauit titulos.

Vnde

Vnde,ſequitur falſum eſſe, quod Mahometani dicunt, Chriſti legem à Mahometi lege abrogatam, ſicut lex ſcripta fuit abrogata per Euangelium, fundamentum ſumentes ex illo Euangelij: *Cùm venerit Spiritus Paraclitus, ille docebit vos omnem veritatem*. Quibus conantur aſtruere, Chriſti legem non fuiſſe, niſi vſque ad Mahometi tempora ſeruandam, eo quòd Mahomet fuiſſet Paraclitus. Corruente enim fundamento, corruit etiam ædificium ſupra extructum. Falſum enim ſupra oſtenſum eſt, Mahomedum eſſe Paraclitum. Paraclitus autem fuit Spiritus ſanctus, qui decimo die poſt Chriſti Aſcenſionem in cælum, in Chriſti diſcipulos ſuperuenit; & Chriſti legem non abſtulit, ſed compleuit & confirmauit. Nec enim in Euangelio dicitur, Spiritum ſanctum, ſeu Spiritum Paraclitum, Chriſti legem aboleturum, ſed completurum: dicit enim Chriſtus Io.c.14.15.16. ſeu ſect.34 & 35. *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. Cùm autem venerit ille, docebit vos omnem veritatem*. Et, *Ille ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis; & ille teſtimonium perhibebit de me, &c.* Vnde conſtat, Spiritum ſanctum non fuiſſe aboleturum legem Chriſti, ſed eadem quæ Chriſtus dixerat, ſua gratia confirmaturum: Et plura conſequentia, & veluti corollaria ad illa, quæ Chriſtus dixerat, inſpiraturum.

Mahomet nõ potuiſſe per Alchoranũ, aut alio modo, Euangelicæ legi derogare.

Mahomed verò non confirmauit, quæ Chriſtus dixerat; ſed oppoſita propoſuit, & Chriſti legem in vniuerſum conatus eſt deſtruere; non ſolùm præcepta illa, quæ in tuo libro aſſeris mutabilia, ſed etiam illa, quæ tu quoque fateris eſſe immutabilia: Mahometus namq. non ſolùm propoſuit diuerſa facienda, verumetiam & alia & diuerſa credenda. In Euangelio enim, & in cæteris ſacris paginis, credenda proponuntur myſteria Trinitatis, & Diuinæ Incarnationis, credendum etiam præmium futuræ beatitudinis, in viſione Dei obtinendum, vt Ioannis ſect.37. ſeu cap.17. num.3. Mahometus verò prohibuit eiuſmodi credenda, & propoſuit beatitudinem, in complexu carnali expetendam. Dicit Chriſtus in Euangelio Matth. vltimo: *Baptizate eos*, id eſt credentes, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*. Mahomet verò è contra dicit paſſim in Alchorano: *Nolite dicere tres*. Et, *Deus non habet Filium*. Et paſſim negat Trinitatis myſterium. Chriſtus dicit in Euangelio Ioan. ſect.24. ſeu cap.10. *Filius Dei ſum*.

Et

Et Euangeliſta Ioannes ſect. 10. ſeu cap. 5. *Patrem ſuum dicebat Deum*. &c. Mahomet verò in Alchorano paſſim negat, Chriſtum eſſe Deum. Chriſtus dicit in Euangelio Matthæi 7, ſeu cap. 22. & Marci ſect. 40. ſeu cap. 12. & Lucæ ſect. 72. ſeu cap. 20. *In cælo non nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei*: Mahomet verò in Alchor. & alibi paſſim aſſerit, cæleſtem beatitudinem in nuptijs conſiſtere. Ergo Mahomet Chriſti legem non confirmauit, ſed deſtruere conatus eſt, & mutare etiam præcepta illa, quæ tu quoque in tuo libro perſpicuè agnoſcis eſſe immutabilia; quia veritas vnius obiecti vna eſt, & ſi vno modo ſe habet, non poteſt aliter ſe habere, præſertim cùm de Deo & de Diuinis ſermo eſt, in quibus non cadit mutabilitas. Ergo ex tuiſmet principijs etiam ſequitur, Mahomedi legem diuinam non eſſe, ſed impoſturam.

His addendum eſt, Mahometum etiam auſum eſſe mutare Dei naturalia præcepta, quæ etiam immutabilia ſunt. Nec enim omnia præcepta ad praxim ſpectantia ſunt mutabilia; ſed inter illa ſunt quædam immutabilia, ſicùt illa, quæ ad ſpeculatiuam reducuntur, & proponuntur credenda. Quia ſicut veritas obiecti vna eſt, & aliter non poteſt ſe habere: ita etiam natura hominum vna, & eadem eſt, & non poteſt aliter & aliter ſe habere, quoad eſſentialia. Itaque ſunt quædam humanæ naturæ conuenientia, quæ ſemper conueniunt, ità vt non poſſint oppoſita conuenire, ad eum modum, quo humana natura eſt ſemper riſibilis, & riſibilitas eſt eius propria paſſio. Et ita conuenit primo homini naturaliter, Deum colere, tamquam naturæ auctorem: conuenit parentes diligere, & venerari; & cætera ſimilia, quæ natura ipſa docet & præcipit, quæ præcepta immutabilia ſunt; ſicut immutabilis eſt ipſa natura. Vnde Chriſtus præcepta naturalia noluit abrogare, ſed eadem eſſe maluit, quæ in lege Moyſi: & Decalogi præcepta dicuntur. & habentur Exod. 20. Et ſunt hæc. *Ego ſum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me*. Secundò: *Non aſſumes Nomen Domini Dei tui in vanum*. Tertiò: *Memento vt diem ſabbati ſanctifices*. Quartò: *Honora Patrem tuum, & matrem tuam*. Quintò: *Non occides*. Sextò: *Non mœchaberis*. Septimò: *Non furtum facies*. Octauò: *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium*. Nonò & Decimò: *Non concupiſces domum proximi tui, nec deſiderabis*

vxo-

vxorem eius, Non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, nec omnia, quæ illius ſunt. Hæc ſunt præcepta Diuina naturalia: quia natura ipſa monemur, talia eſſe facienda, & à prohibitis abſtinendum. Et quia mut ri non poterant, propterea Chriſtus, mutatis cæteris, hæc tantum in Euangelica lege voluit ex lege Moyſi ſeruanda: non quidem, quia ex lege Moyſi præcipiebantur; ſed quia præcipiebantur ex lege naturę. Propterea Chriſtus reſpondit cuidã interroganti; quid faciendum eſſet, Matth. 19. ſeu ſect. 61. & Marc ſect. 32. ſeu capite 10. Lucæ cap. 18. ſeu ſect. 65 *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata.* Et Lucæ cap. 10. ſeu ſect. 40. & Matth. cap. 22. ſeu ſect. 74. *In lege quomodo ſcriptum eſt; quomodo legis?* Et ſtatim ſubiungitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, &c. & proximum tuum ſicut te ipſum. Hinc tota lex pendet, & Prophetæ.* Oſtendens, legem totam pertinere ad illa duo, dilectionis Dei ſcilicet & proximi. Et illa decem præcepta indicant, in quibus ſit Deus diligendus, & in quibus proximus. Sunt autem præcepta hæc naturalia, quæ etiam Philoſophi, natura ſola dictante, docuerunt. Vnde Ariſtoteles inquit 5. Ethicorum capite 5. & 6. & libro Politicorum 2. cap. 1. Principium ciuilis conuerſationis eſſe illud: Quod tibi vis alteri feceris: Quod tibi non vis alteri ne feceris. Et hæc naturalia, etiam agnouerunt, eſſe immutabilia omni tempore, & omni loco, ſic Plato in Dialogo Minos, & Ariſtoteles libro 3. Politicorum capite 8. & libro quinto Ethicorum capite 7. Qui afferunt exemplum de igne, qui non ſolùm hic, verumetiam & apud Perſas vrit. Ariſtotelis verba, Ethicorum quinto capite ſeptimo, hæc ſunt: *Ius aliud naturale, aliud legitimum. Naturale, quod vbique eamdem vim habet, & non quia vel ita videtur, vel non videtur.* Et poſt pauca: *Quid quod eſt natura, immobile eſt, & vbique eandem vim habet; quemadmodum ignis, qui & hic, & apud Perſas vrit.* Conſtat igitur, naturalia præcepta etiam eſſe immutabilia. Vnde ſi quis illa mutet, ſtatim conuincitur contra naturam facere, iniuſtas leges ponere, & prout dicit Ariſtoteles 2. Ethicorum cap. 1. eum exinde peccare.

Conſtat

Conſtat autem, ipſum Mahometum præceptis naturalibus, per Alchoranum ſuoſq. libros, derogare conatum eſſe: quando inuitis vxoribus, cũ ancillis viros cõcubere permittit التحريم c. *De prohibitione*. Quando vxorem Zaidi concupiuit illamque viro abſtulit: inſuper, & ſibi vxorem alterius licere per Deum, aſſeruit, cap. الاحزاب *De hæreſibus*. Cum plures vxores viro vni ſimul habere permittit, cap. 3. & alibi paſſim. Cum homines occidi iubet c. التوبة, & alibi pluries, & dum alia etiam illicita permiſit. In omnibus his, naturæ legi Mahometus conatus eſt derogare. Ergo Mahomedi lex, diuina dici non poteſt, ſed palàm deprehenditur eſſe impoſtura.

Vnde conſtat, mutationem præceptorum in Alchorano factam, non eſſe, prout aſſeris in tuo libro, propter mutationem & diuerſitatem perſonarum, quibus lex tradebatur: nempe, quia Chriſti lex tradebatur perfectioribus viris, propterea lex perfectior illis tradenda erat. Lex Mahometi tradita eſt imperfectioribus, propterea data eſt craſſior.

Et quidem gratum habeo, Alchoranicæ legis craſſitiem à te agnitam fuiſſe, Chriſtique legis perfectionem. Hoc autem negari non poteſt, quia de ſe parent qualia ſint præcepta huius vel illius legis. Mahometi enim lex relaxat fræna libidinis, plures ſimul vni permittens vxores: At lex Chriſti non niſi vnicam vnum habere eodem tempore patitur. Mahometi lex adulterium cum ancillis & fornicationem, licere aſſerit: At Chriſtiana lex dicit, illicita. Alchorani lex ſe non ſuſcipientes iubet occidi, cap. التوبة & alibi: At Euangelica lex ad ſe ſuſcipiendum non cogit armis, ſed tantùm proponit verbis, diuiniſque ſuadet atteſtationibus. In his & pleriſque alijs patet, quid nam ſit perfectius, quod dicit Alchoranus, vel quod præcipit Euangelium. Proinde miror quidem, tuum acutiſſimum ingenium, quod diuina etiam myſteria penetraſſe, & de ipſis ſcripſiſſe, initio tui libri gloriatur; cùm de præceptorum perfectione maiori vel minori diſſeritur, tamquam hebetem aſſerere, Non poſſe humano intellectu maiorem vel minorem diuinorum

rum

rum præceptorum perfectionem diſcerni. Si enim poteſt humanus intellectus diuina myſteria attingere, cur non poterit, horum vel illorum præceptorum perfectionem diſtinguere? diuina tamẽ cooperante gratia, quæ numquã deeſt Deum inquirentibus. Imò, pace tua dixerim, videris duo ſimul contradictoria proferre; cùm ſimul dicas, non poſſe diuinorum præceptorum perfectionem penſari, & ſimul, Chriſtianæ legis præcepta præceptis Alchoranicæ legis perfectiora, confitearis. Si ergo præcepta Euangelica ſunt perfectiora præceptis Alchorani, & vtraque putas eſſe diuina, iam ſequitur poſſe, ab humana mente diuinorum præceptorum qualitatem agnoſci.

Non eſſe præſcribendã legem naturæ diuerſã propter maiorem vel minorem ingenij perſpicuitatem.

Illud additum, de qualitate perſonarum exigentium craſſiorem legem propter imperfectionem, ex dictis conuincitur nullum eſſe; quia homines, quamuis craſſiores, ſunt tamen eiuſdem naturæ cum perſpicacioribus, & paſſiones naturæ eędem ſunt: nec propter perſpicacitatem vel craſſitiem mentis fit alia natura. Vnde ſicut natura eſt eadem, ita debent naturalia præcepta eadem eſſe, reſpectu vtriuſque. Et lex ideo ponitur, vt qui hebetes ſunt, rudes, & imperfecti; legis præcepta ſeruantes, euadant perfecti; & non in priſtina perſiſtant ruditate. Et ſicut imperfectio maior vel minor non tollit naturam, ita etiam nec propterea debet naturalis lex permutari, ergo nulla eſt aſſignatio talis diſparitatis.

Præterea, omni tempore in orbe terrarum licet reperire, non ſolùm perfectos, verum etiam & imperfectos: non ſolùm perſpicaciores, verum etiam & hebetiores; ita vt falſum ſit, omnes viros eiuſdem ſæculi eſſe eiuſdem perfectionis & perſpicacitatis, deinde alio ſæculo eſſe omnes craſſa Mineruą, & imperfectos. Experientia enim, & hiſtoriæ priorum temporum oppoſitum demonſtrant: ſicut enim hac noſtra tempeſtate, in qualibet mundi parte, licet reperire plurimos eruditos, alios minus eruditos, alios acutos ingenio, alios hebetes, & cuiuſcumque perfectionis vel imperfectionis, tam quoad naturalia, quàm quoad moralia: ita etiam licet reperire & in omnibus ſæculis. Vnde, ſi propter maiorem vel minorem perfectionem mutata eſt perfectio diuinæ legis in Alchorani imperfectionem, ſequeretur, debuiſſe omnibus ſæculis diuerſas leges proponi; nempe, vt vna lex: exempli gratia: lex

Moyſi poſita eſſet mediocribus, lex Euangelij poſita eſſet ſublimioribus, & ſimul lex Alchoraui poſita eſſet craſſioribus. Et quidem cùm eodem tempore, & eodem ſæculo, degerent homines cuiuſcumque perfectionis & imperfectionis, debuiſſent poni etiam leges cuiuſcumque perfectionis & imperfectionis, eodem tempore. Ergo Deus ſimul debuiſſet proponere per Moyſen legem Torà, per Chriſtum legem Euangelij, & per Mahometum legem Alchorani: aliàs enim non fuiſſet benè omnibus prouiſum. At videmus, quod non ſimul & eodem ſæculo, leges iſtæ poſitæ ſunt; ſed diuerſis ſæculis. Ergo illa maior vel minor perfectio vel imperfectio non exigit legis diuerſitatem. Quicumque ergo naturalia mutauit, nullo modo poteſt ab impoſtura excuſari. Et ratio illa aſſignata, de diuerſitate perſonarum, non facit.

SE-

SECTIO XI.

Excuſationes pro Mahometo adductæ refelluntur.

VLtimò tandem dicis in tuo libro: non eſſe mirum, ſi Mahomet miracula & quędam præclara, ſicut Chriſtus, non fecit; quia (inquis) Prophetæ diuerſi diuerſa oſtendunt Dei attributa, hic quidem vnum, ille aliud. Et quidem Chriſtus fuit manifeſtator diuinæ bonitatis, diuinæ ſapientiæ, diuinæ potentiæ: cùm tam ſanctè ſe geſſerit, vt eſſet impeccabilis: tam ſapiens fuerit, vt etiam cordium cogitationes intueretur & futura proſpiceret: tam potens, vt à Deo tantùm factibilia perficeret. Salomon autem fuit manifeſtator ſapientiæ tantùm, & gloriæ, & magnificentiæ. Moyſes prouidentiæ, manſuetudinis. Et ſic, diſcurrendo per ſingulos, ſinguli Prophetæ ſingulorum Dei attributorum manifeſtatores fuerunt. Mahomet vero fuit manifeſtator fortitudinis. Propterea in gladio miſſus eſt, & per gladium vicit. Inſuper cùm eſſet idiota, & rudis, addis, ipſum habuiſſe ſcientias infuſas.

Verùm, quicquid ſit de manifeſtatione diuinorum attributorum, vnius vel plurium; certum eſt; Prophetam quemlibet diuino nomine aliquid præcipientem, debere oſtendere, re vera ſe à Deo fuiſſe delegatum, aliquo ſigno, quod nequeat eſſe humanum vel diabolicum; ita vt certum ſit, eſſe tantùm diuinum; ſiue ſit hoc, ſiue ſit illud: ad eum modum, quo quis, Imperatorio nomine in prouinciam adueniens delegatus, debet ſe oſtendere re vera delegatum, aliquo Imperatorio ſigno, ſiue ſcripto, ſiue ſigillo, ſiue ipſo Imperatorio verbo: & vnumquodque ſecundùm Imperatoris voluntatem ſufficit ad delegationem.

Sic patet, Moyſen, & Chriſtum, Eliam, Eliſeum, cæteroſque Prophetas, diuina ſigna populo oſtendiſſe, ad ſe delegatos comprobandum. Moyſes aperuit mare, dehiſcere fecit terram, ignem de Cælo deſcendere, & plura alia in Aegypto

perpetrauit, & prædixit; quæ non niſi diuina perpetrari Omnipotentia, & diuina cognoſci poterant præſcientia. Ita Chriſtus plura prædixit, & cognouit quæ non niſi Deo nota erant, & fecit ſimiliter: de quibus ſuperfluum eſt enarrare, cùm luce meridiana ſint clariora. Ita & omnes Prophetæ. Mahomet vero nihil diuinum oſtendit, nullum diuinum attributum præſetulit manifeſtandum: Non ſcientiam, quid enim occultum nouit? quid futurum prædixit? nihil:& ipſemet teſtatur cap.6. Alchorani de الاعراف *Muro* verſus finem capitis, ſic dicens pag. mihi 171.

ولو كنت أعلم الغيب لاستكثرت من الخير وما مسني السوء إن
انا الا نذير وبشير لقوم يومنون ۞

Ideſt. *Si noſcerem occulta, vtique lucratus eſſem multa bona, & non tetigiſſet me malum. Verùm ego aliud non ſum, niſi comminator pœnæ & euangelizator boni ad populum credentium.* Et in fine capit. cui tit. الشورى habetur, Mahometum ipſum etiam Alchorani ſignificationem & ſenſum, inſuper & pertinentia ad fidem, ignoraſſe. Vnde ſcientiarum infuſio non conſtat: ſed potius ex ſupra dictis patet, illum etiam ea ignoraſſe, quæ virum cordatum nefas eſt ignorare; Ita vt ſolem ſe in fontem aquæ demergere cap. الكهف *De cauerna* dixerit: quod, vt inquit Auguſt. De Geneſi ad literam lib. 1. cap. 10. *Monſtruoſum eſt ſuſpicari*. Ignorauit hiſtorias, cùm dixit, Mariam ſororem Moyſi & Aaron, Chriſti Matrem fuiſſe. Vnde ergo probari poteſt ſcientias infuſas habuiſſe? Niſi fortè aſſignetur ratio, quam ipſe in Alchorano aſſignat, c. الهود *De Hud*, aliquantulum poſt initium, & cap. *De Iona*, circa medium, vel paulò ante, & præcipuè cap. الاسرى, ideſt, *De Tranſitu*, quod eſt cap. 11. libri ſecundi. Totius verò Alchorani

chorani 16. in ordine, poſt medium capit. ſic dicens:

قل لئن اجتمعت الإنس والجن على أن يأتوا بمثل هذا القرآن
لا يأتون بمثله ولو كان بعضهم لبعض ظهيرا ۞

Ideſt: *Dic; ſi conuenirent ſimul homines & diaboli, non poſſent vnam periodum, ſimilem Alchorani periodo, componere, etiamſi inuicem ſecum conferrent.* Quaſi ſcilicet verſus & carmina arabica neſciret homo componere, aut non poſſet elegantiora. Loqui autem eleganter quacumque lingua non eſt proprium Dei, ſed eſt proprium hominum; Deus enim linguis non loquitur; ipſe namque linguam non habet corpoream, nec vocem, nec manum vt ſcribat, nec eius ſcientia eſt metrica. Homines enim ſunt Poetæ & Oratores, qui talia compoſuerunt qualibet lingua, vt mentes in admirationem adducerent. Quis non miratur Homeri Iliades, Græca lingua compoſitas? Quis non miratur Virgilij Aeneides, lingua Latina conſcriptas? Quis non Torquati Taſſi Gotfridum, lingua Italica? Et pene innumera alia, quæ animum in ſtuporem adducunt, dũ cõſiderantur. Vnde poſſet quilibet auctor eadẽ Mahometi verba vſurpare; & quidem rationabiliùs: quia in illis mendacia contra ſcientias non continentur, prout continet Alchoranus, qui contra Coſmographorum, & Aſtronomorum principia, Solem ad terras dicit deſcendere, & ſe in aquæ fontem demittere. Vnde non poteſt diuinam ſcientiam iactare: quia verſus componere, quamuis elegantiſſimè, non eſt Diuinæ ſcientiæ proprium: ſed proprium Dei eſt, ſcire futura, cogitationes agnoſcere cordium, quæ Chriſtus agnouit: numquam verò Mahomet, vt ipſe teſtatur in Alchorano, cap. *De Brutis* ante medium, ſic dicens:

قل لا أقول لكم عندي خزائن الله ولا أعلم الغيب ۞

Ideſt: *Non dico vobis, apud me ſunt theſauri Dei: Neque ſcio occulta.* Et cap. *De muro*, versùs finem, ante verba ex eodem

dem capite paulò ſuperiùs allegata, ſe dicit ignorantem & idiotam; ita vt non ſolùm non noſceret Diuina, ſed etiam pleraque ignoraret humana. Inde eſt, quod cùm nequiret, quæ propria ſunt Dei noſcere, effingebat noua, & extrauagantia, & idiotis & ſimplicibus ſuadebat illa eſſe Diuina magnitudine rerum effictarum, cùm non eſſent pluſquàm humana adinuenta, & inter ea plurima fatua & fabuloſa, vt ſupra dictum eſt.

Nec fuit alicuius attributi diuini manifeſtator Mahomet, quia nec diuinam manifeſtauit omnipotentiam per miracula, vt ſupra viſum eſt, dum de prima Diuinæ legis conditione ageremus. Imò nec etiam fortitudinem, quam dicis, quia fortitudo ad hoc vt dicatur eſſe diuina, debet aliqua perficere, quæ nequeant perfici, niſi Diuino cooperante adiutorio, Hoc verò viſum eſt in Samſone, qui prout in libro Iudicum habetur, funes tamquam filum rumpebat; inermis exercitus armatorum ſola aſini maxilla proſternebat; valuas ciuitatis Gazæ ferè immenſas, tamquam librum, ſuper humeros ad montis cacumina aſportabat; & ferreas catenas & vectes, tamquam ſtipulam, frangebat; & columnas palatia ſuſtentantes vi brachiorum ad terram trahebat: & hæc quidem inſignia ſunt fortitudinis Diuino adiutorio roboratæ. Mahomet verò quid fortitudinis oſtendit? Forte quia exercitus vicit, & Mecam ſubegit vi armorum? At plures Reges, & exercituum Duces talia perpetrarunt. Alexander Magnus nuſquam bellauit quin vinceret, ita vt vniuerſam terram in conſpectu eius ſiluiſſe ſacra Scriptura teſtetur, initio primi Machabęorum libri. Nec proprium Diuinæ fortitudinis eſt, per exercitum, alium vincere, & vrbes occupare: Sed proprium Dei eſt, ſe cooperante, aliquid ſupernaturale, ſeu quod naturam excedat, per hominem vel aliam creaturam perficere. Tale autem numquam per Mahometum perfici viſum eſt.

Sed fortè dices, admirabilem fortitudinem, propemodum naturam excedentem, in Mahometo declaratam fuiſſe, in eo quod dicit liber Aſſamail, vnius horæ ſpatio Mahometum cum omnibus ſuis vxoribus concubere ſolitum, cùm eſſent vndecim: hæc videtur quædam vis extra conſuetum naturæ modum. Quis enim vnquam vnius tantùm horæ ſpatio vndecies

in mulierem ſuam libidinem exercuit? Verùm, talis fortitudo (miror quidem) quo nam modo præſumi poſſit à Deo ſpecialiter prouenire: Deus enim miracula perpetrat ad ſubſidium honeſtatis, continentiæ, & caſtitatis; non autem ad vſum libidinis, & ad incontinentiam exercendam. Imò miror quonam modo talis fortitudo à Mahometanis præſumi poſſit, non inquam diuina, ſed nec Prophetica: Talis enim potentia naturalis eſt, quæ & à Philoſopho dicitur naturaliſſima, & ſi cum temperantia exerceatur, debito iuris ordine, commendabilis eſt; cum intemperantia autem exercita, eſſe non poteſt quoad talem actum commendabilis, neque à Deo, cùm ſit ex vitio, non ex virtute. Vnde eiuſmodi exceſſus & abuſus potentiæ in vitiorum actibus exercendis à Diabolo eſt, & Deo inuiſus, vt patet initio pſal. 51. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate &c.* Quibus verbis oſtendit Spiritus ſanctus, potentiam, ſeu abuſum potentiæ ad iniquitatem exercendam, Deo potius diſplicere.

SECTIO

SECTIO XII.

Cum Sanctis viris Mahomed non eſſe conferendum.

ANimaduertas igitur velim, dilectiſſime Ahmed, prudenti tuæ mentis conſilio Mahometi verſutiam: verſutiam inquam, & non ſanctitatem, non potentiam, non ſcientiam, & cætera Diuinæ cooperationis indicia. Nam cùm ſe dicat ſuper omnes ſanctiſſimum, Prophetarum optimum, omnium creaturarum excellentiſſimam, Deoque chariſſimam; oporteret, vt tot tantoſque titulos, operum veritate ſuſtineret. At potiùs contrarium patet. Et quidem ſi loquimur de cæteris Prophetis, & vnum dicimus ſuper cæteros excelluiſſe, non ſimpliciter dicimus tantùm concrepatione verborum; ſed ſignificatione geſtorum. Si enim dicimus, Chriſtum ſuper cæteros, & etiam ſuper Moyſen, cæteroſque omnes excelluiſſe, tàm ſanctitate, quàm gloria miraculorum, quàm etiam ſcientia occultorum; oſtendimus, re vera Chriſtum plura & maiora miracula perpetraſſe, vt conſtat ex ſacris paginis, ipſeque Chriſtus inquit: Ioannis cap. 15. ſeu ſect. 34. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: Nunc autem excuſationem non habent*. Et alibi, Matth. 11. ſeu ſect. 30. *Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, mortui reſurgunt, &c.* Nec Moyſes, aut alius Propheta tot tantaque perpetrauit, ſicut Chriſtus. Vnde ratione geſtorum dicere poſſumus, Chriſtum miraculorum claritate glorioſiorem fuiſſe.

Rurſus ſi dicimus, de ſanctitate, Chriſtum fuiſſe ſuper omnes ſanctiſſimum, oſtendimus rei veritatem. Et cùm ſanctitas in duobus præcipuè conſiſtat: in receſſu à malo, & elongatione à vitijs; vt etiam in poſſeſſione virtutum, earumque exercitatione, iuxta illud Pſalmi 33. *Recede à malo, & fac bonum*. Penſatur itaq. maior vel minor ſanctitas, per hoc quod quis eſt à vitijs innocentior, & in virtutibus illuſtrior, clario-

res

res exercens virtutum actus. Hoc autem probatur in Chriſto reſpectu omnium, etiam reſpectu Moyſi. Nam, quod pertinet ad culpam, Moyſes aliquando in ſacra Scriptura reprehenditur de culpa, quamuis leui, vt Num. 20. quando pro locutione ad petram iuxta Domini verbum, vt daret aquas, ipſe petram percuſſit. Vnde Deus dixit iratus ad Moyſen & Aaron: *Quia non credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me coram filijs Iſrael, non introducetis hos populos, &c.* At Chriſtus, non ſolùm aliquando nec leuiter peccauit: imò (fatente etiam ipſomet Alchorano) peccare non poterat, erat impeccabilis, à Diaboli tentatione & peccati fomite immunis. Vnde & Ioann. cap. 8. ſeu ſect. 21. *Dicebat Chriſtus principibus ſacerdotum, & Phariſæis: Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ergo quoad hanc ſanctitatis partem, nempe innocentiam, Chriſtus longè ſanctior Moyſe, & omnium ſanctiſſimus; cùm non ſolùm eſſet innocens, verùm etiam ad tantum eius aſcenderet innocentia, vt minui non poſſet. Quoad aliam partem, excellentium virtutum, dicimus etiam, Chriſtum ſuper Moyſen excelluiſſe: ſi enim virginitas eſt caſtitate ſublimior; Moyſes quidem caſtitatem coluit, non virginitatem, quia vxorem habuit, vt patet in Exod. Chriſtus verò puriſſimus virgo, & tantus in hac virtute fuit, vt & Matrem etiam voluerit eſſe virginem, vt ab omni carnis labe videretur alienus. Et ſic per vniuerſa virtutum inſignia diſcurrendo, in ſingulis virtutibus facilè patet ſublimis Chriſti excellentia. Ita pariter, ſi de Chriſto dignos titulos loquimur & inſcribimus, tam verè loquimur & credimus, vt nec ipſi audeant Chriſtianæ fidei oſores repugnare.

Mahometus autem gloriatur de ſono & voce ſanctitatis, & vniuerſis dignitatum titulis: ſed omnes tituli ſunt tituli ſine re; vnde eſt Propheta titularis, ſanctus titulo, charus Deo, nomine tantùm & voce. Quod autem ita ſit, non eſt noſtrum figmentum; ſed opera ipſa Mahometi teſtantur. Et vt ex dictis breuiter quædam recenſeam: dicit ipſe, ſe eſſe omnium nobiliſſimum, & ex nobiliſſima ortum progenie. Ecce titulus. Tamen probatum eſt ſupra, verum non eſſe, cùm ipſe non ex Sara, ſed ex ancilla Saræ, Iſmaele progenitore, à patre Abdala Idolorum cultore, Auis, Abauis, Atauis etiam Idololatris ſit ortus. Ergo titulus nobilitatis non ſignificat.

Si verò dicamus, Chriſtum ex nobiliſſima ortum progenie; titulus hic nobilitatis oſtendet nobilitatem ipſam, nam Chriſtus ortus eſt ex Maria Virgine, ex progenie Dauid Regis, & Regum omnium Iſraelis ſeu Iuda, & ex progenie Sacerdotum, ex Abraham, non pariente ancilla Agar, ſed eius domina Sara, quæ peperit Iſaac: vnde comprobatur nobilitas. Verumtamen carnis nobilitas parùm facit in ijs, quæ pertinẽt ad Deum; qui ſolùm cordis puritatem, & vitæ innocentiam reſpicit.

Si dicimus, Chriſtum venturum ad iudicandum die extremo vniuerſalis Iudicij; hoc tam certum eſt, vt Alchoranus etiam fateatur, & in libro Sonnat ſic etiã confiteatur ipſe Mahomed.

وَيَنْزِلُ عِيسَى بْنُ مَرْيَمَ إِلَى الْأَرْضِ وَيَقُومُ فِيهَا حَكَمًا
بإذن الله ۞

Ideſt: *Et deſcendet Ieſus filius Mariæ in terram, & ſtabit in ea iudex vice Dei*. Mahomet verò ſi ſe iactat iudicaturum, & omnibus proponendum in die Iudicij, non habet vnde illud probet.

Si dicimus, Ieſum eſſe Chriſtum Dei, & verum Meſſiam, hoc etiam fatentur Mahometani ipſi, & ipſe Mahomet, appellantes Ieſum المسيح Chriſtum Mahomed autẽ dum ſe dicit ſigillum Prophetarum, nõ habet, quo tantum nomen ſuſtineat.

Si dicimus, Chriſtum Ieſum eſſe Verbum Dei, hoc tam certum eſt, vt Alchoranus ipſe negare non ſit auſus. Vnde cap 3. verſùs finem fatetur, Chriſtum eſſe Verbum Dei. Dum autem Mahomed ſe iactat redemptorem, & à peccatis mundatorem, non habet vnde hoc aſtruat.

Si Chriſtum, dicimus filium Dei, à Deo genitum, à Deo procedentem: hoc neque negare potuit Alchoran, ſed cap. 3. in fine dicit, Chriſtum eſſe Spiritum ex Deo: & Author libri Camus, inſignis Mahometi ſectator, fatetur, Chriſtum in ſacra Scriptura dici Dei filium, & à Deo genitum, in dictione ولد, vt infra referemus. Dum autem Mahomed ſe dicit eſſe Paraclitum

ditum Spiritum ſanctum, non habet quomodo tam inſigne mendacium à blaſphemiæ & impietatis nota defendat.

Iactat inſuper Mahomet titulum ſupremæ ſanctitatis. At titulus non ſignificat rem; nam ſi ſanctitas eſt ex virtutibus, & ex innocentia, & puritate: in Mahometo nec innocentia, nec puritas effulget, nec virtus. Et quidem titulus ſummæ ſanctitatis ſummam ſignificat ſanctitatem; vnde debuiſſet Mahomet eſſe Moyſe & Chriſtò innocentior, & in virtutibus illuſtrior: Et ſi Chriſtus fuit ſemper innocens, Mahomet debuiſſet ſimiliter eſſe innocens, & ſi Chriſtus nùmquam peccauit, Mahomet nec etiam peccare debuiſſet. At conſtat ipſum peccaſſe, vt ſupra retulimus ex Alchorano cap. *De Progreſſu Solis*, pag. 572. & cap. *De Apertione*, pag. 487. & cap. *De Prohibitione*, pag. 535. in quibus locis conſtat, Mahometum, contra Dei voluntatem, adulteria & fornicationes perpetraſſe; & ſuis vxoribus magis quàm Deo obſequutum eſſe, & ipſum huius ſeculi commoditates, & carnis delectamenta concupiſſe, contra eiuſdemmet Alchorani dicta, capite *De Mahomed*, pag. 486. & cap. *De Aranea*, pag. 386. vbi dicit præſentem vitam ludum eſſe, & cap. *De Credente*, pag. 452. & c. *Nazaàt*, vbi dicit, eum qui in hoc mundo vanè lætatur, in tartara detrudendum, & cap. *De Hiſtoria*, pag. 379. vbi dicit, præſens ſæculum pro omnibus, at futurum pro illis tantùm creatum eſſe, qui huius ſæculi blandimenta reſpuunt: & cap. *De Credente*, pag. 449. vbi dicit, hanc vitam non ad quietem datam eſſe, ſed tantùm ad vſum. Dicit quidem Mahomet cap. *De Muro*, pag. 171. & cap. *De Iona*, pag. 206. & cap. *De Saba*, pag. 414. & cap. *De Alchorano*, ſeu *Alforcan*, pag. 351. ſe non expetere vtilitatem aut aliquid aliud commodi in hoc mundo ex ſua prophetia. Dicit namq. cap. *De Poetis*, pag. 359. verum Prophetam non expetere niſi Deum; & inditium veritatis in Propheta eſſe, ſi nihil mercedis exigat; & mercedem à ſolo Deo expectet. At ipſe ſibi non ſolùm vtilitatem, & commoditatem, vt patet cap. *De Sectis*, pag. 405. verumetiam ſpolia in bello ex inimicis, ſibi deberi præcipit pag. 173. cap. *De Spolijs*, ſub initium: Imò ſibi deberi omnes mulieres, tam virgines, quàm viduas, quàm etiam aliquando coniugatas, vt patet in toto cap. *De Hæreſibus*. Vnde in ſingulis, quoad generalia, benè ſonabat: tamen in ſpecie malè præcipiebat.

piebat. In vniuerſum ſonabat virtutem, & virtutem rebus cæteris præferre ſimulabat: at ad peculiaria deſcendens, virtutibus & rebus vniuerſis ſua commoda præponebat, & præcipuè ſuæ carnis delectamenta; vt etiam in ſe, Ariſtotelis dictum verum eſſe, exemplo comprobaret, 2. Ethicor. cap. 3. dicentis: *Nam cum tria ſint, ob quæ quiſpiam expetit, honeſtum, vtile, & iucundum: & tria illis contraria, ob quæ fugit, turpe, inutile, & moleſtum. Bonus quidem vir circa hæc omnia rectè agit. Malus autem peccat: ac præcipuè circa voluptatem.*

Vnde, ſonans titulum ſanctitatis, exercet opera iniquitatis; & iactans, ſibi peccati fomitem à Gabriele Archangelo ablatum, cùm nigram de eius corde guttam ſemouit, non niſi illius fomitis eſcam expetit: vt ex allatis conſtat. Et quidem, ſi Chriſtus fuit virgo, debuiſſet etiam Mahometus colere virginitatẽ, vt ſaltem videretur Chriſto æqualis, dum ſe iactat meliorem; vel ſaltem debuiſſet colere caſtitatem, vt iactans ſe omnium ſupremum, non videretur Moyſe etiã inferior, & omnibus Prophetis, & iuſtis, qui iuſti eſſe nequiuerunt, ſine cultu caſtitatis. At ipſe, pro caſtitate, pro virginitate & continentia, exercet libidinem & incontinentiam, vt ex dictis patet, & plura addi poſſent; ſed hic ſufficiet illud vnum recogitare, quod de Mahometo refert liber Agar. Dicit enim, inter cætera, Mahomet aliquando filiam Vbequar ſeu Abubachir, nomine Aſam, vxorem duxiſſe, adhuc ſexennem; & cum ea, non niſi octo tantum annorũ, Mahomet ſupra trigeſimum, matrimonium conſummaſſe, cùm etiam aliam haberet vxorem. Hic attende quæſo, quanta appareat libido, quantus concupiſcentiæ ardor: puellam nondum ex vtero matris egreſſam, vt ita loquar, opprimere! Nouum matrimonij genus, in quo vxor, adhuc in puerili ætate, mariti libidini exponitur laceranda & occidenda potius, quàm copulanda! Nonne eſt homicidij potius quàm matrimonij genus? Nihilominus ille Mahomet, qui ſe ſanctiſſimum iactat, & peccati fomitem non ſenſiſſe, tantam exercuit turpitudinem, quam etiam aliàs inhoneſtus & iniquus exhorruiſſet. Ergo falſos titulos iactat omnino, cùm ſe omnium dicit ſanctiſſimum: qui nõ ſolùm ſanctior ſanctis viris, verum etiam & iniquiſſimis & fœdiſſimis fœdior apparet & iniquior; iuxta illud Ariſtotelis 5. Ethi-

thi-

thic.c. 1. *Peſſimus igitur eſt, qui & ſecum & cum alijs prauitate vtitur.*

Sed & cùm voluptates non ex ſola carnis libidine, aut ex inſurgéte paſſione; ſed, vt ex ſupradictis cõſtat, ex animi etiã propoſito Mahometus eligeret: nõ ſolũ in his delinquebat, ſed & in his delinquens, impœnitens & incurabilis erat: vt benè illi ſederet aliud Ariſtotelis dictum, ſeptimi Ethicorum cap. ſeptimo. *Qui voluptatum exuperationes, aut exuperantes voluptates, ob electionem, atque ob ipſas, & ob nullam rem aliam inde prouenientem perſequitur, intemperans eſt. Hunc enim non pœnitere neceſſe eſt: quare eſt incurabilis*, Hæc verba quàm benè Mahometo quadrent, quiſque Alchoranum cæteroſque eius libros inſpiciens, illicò palàm agnoſcet. Ipſe enim Mahometus, propter ſeipſas, carnales delectationes expetebat: ita vt paradiſi felicitatem & beatitudinem in illis collocaret, & in ipſis carnis delectamentis, tamquam in vltimo fine conquieſceret.

SECTIO XIII.

Concluſio ex dictis.

QVomodo ergo dici poteſt, Deum optimum, qui vniuerſa per profectus ad perfectionem eleuat, & non per defectus de perfectione retrahit, voluiſſe, Euangelicam Chriſti legem in Mahometi Alchoranum mutare?

Euangelicam legem, tam ſanctam, tam iuſtam, tam rectam, ac talem, vt ſi eam homines adæquatè ſeruarent, iam Angelicã

&

& cæleſtem vitam viuerent in terris; ſine dolo, ſine mendacio, ſine ſimultate, ſine ira, ſine inuidia, ſine concupiſcentia, ſine peccato, ſine macula ne quidem leuiſſima: Immo in omni concordia, in omni pace, & gaudio, & charitate, inuicem ſe diligentes, inuicem ſe adiuuantes; ita vt ſi omnes perfectè Chriſtianam legem cuſtodirent, non eſſet qui vim aut iniuriam pateretur, quia non eſſet qui iniuriam nec vim inferret: imo non eſſet, qui gratiam & beneficium non acciperet, quia vniuerſi certatim beneficia in alios conferre contenderent; idque ex ipſiſmet Euãgelicæ legis oraculis conſtat.

Et legem eiuſmodi, à Ieſu Chriſto inſtitutam. Ieſu Chriſto, qui (etiam ipſomet fatente Mahomet, & Alchorano) conceptus eſt de Spiritu ſancto, ex matre Virgine, ab omni aliena prorſus macula progenitus, qui vitam non ſolùm labe vel leuiſſima non infecit, ſed nec inficere poterat; & tam ſanctus erat, vt nec peccare poſſet: tàm purus, vt eſſet virgo: tàm cæleſtis, vt nulla prorſus terrenarum rerum cupiditate teneretur: tàm ſapiens, vt etiam cordium cogitationes intueretur, & futura præſciret: tàm potens, vt Dei omnipotentiam, tot miraculorum patratione, demonſtraret: tàm clemens, vt omnium miſerorum calamitatibus occurreret, & debilium infirmitates curaret: tàm humilis, vt etiam aliorum pedes lauare non refugeret: tàm excelſus, vt iudex ſit conſtitutus à Deo vniuerſorum: nobiliſſimus, cum ex Regum & Sacerdotum Iſraeliticæ gentis progenie ſit ortus: & omnium bonorum aggregatione cumulatus, virtutũ, potentiæ, ſapientiæ, Innocentiæ, gratiæ, gloriæ, & vt infra ſuo loco patebit, diuini teſtimonij auctoritate, cum eſſet in perſona Deus, qui dignatus eſt homines inſtituere, & redimere, & inter homines verſari in terris, iuxta illud Prophetæ Baruch c. 3. in fine. *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius aduerſus eum. Hic adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.*

Et legem talem, à tali inſtitutam: legem Euangelicam, tanti viri, Chriſti Ieſu, Dei filij: dicere quis audebit, Deum voluiſſe mutare in legem Alchoranicam Mahometi?

In legem Alchoranicam, tàm iniuſtam, tàm inhoneſtam, tàm impuram, tàm impiam, vt in Deum blaſphemans, aſſerat, eum præcipere adulteria, rapinas, fornicationes, odia in iuſtos viros

para-

paradiſo deſtinatos,homicidia; item, Deum eſſe mendacem, deceptorem,& fraudulentum: & pleraque alia tàm impia, quã turpia,quàm iniuſta,quàm fatua & ridicula, inutilia,& irrationabilia: vt ex ſupradictis ſatis apertè conſtat.

Et in talem legem,à Mahometo inſtitutam. Mahometo inquam,qui(vt ex dictis patet) non ſolùm ex Idolorum cultorib. ortus,ſed & ipſemet Idolorum cultor fuit(vt ipſemet teſtatur, & patet ex eius libris)vſque ad quadrageſimum ſuæ ætatis annum,impius & peccator; immo & neſciens fidem, & ignorans Dei legem,vt ipſe locis allegatis fatetur: & qui etiam eo tempore dum ſe iactaret Prophetam, rapinas,iniuſta prœlia, furta, fornicationes,adulteria,& libidinem tantopere exercebat.Qui talia etiam perpetrando, ſe nihilominus ſanctiſſimum, ad faſtũ & gloriam captandam,iactaret,& peccati fomite carere,& excellentiſſimam Dei creaturam eſſe, & ſummum Prophetarum, & omnium Redemptorem: cum nec ratione, nec auctoritate, nec miraculis,nec bonis operibus,aliquid excellentiæ oſtenderet:ſed potius è contra,non niſi iniquitates & impietates, flagitia & facinora?

Quis igitur audebit dicere, aut in cuius mentem habere poterit locum talis cogitatio,vt vel ſuſpicetur, Deum tàm erroneam decreuiſſe mutationem, vt ſubſtitueret impietatem pro religione,crudelitatem & feritatem pro clementia, incontinẽtiam pro temperantia,turpitudinem pro decentia, pro virtutibus vitia, pro rectitudine iniuſtitiam & malitiam, & in locum honeſtatis & caſtitatis ſubrogaret luxuriam & libidinem, & iniuſtitiam pro iuſtitia vellet colendam; & pro exemplari virtutum,imitandũ proponeret turpitudinis monſtrũ,& pro Chriſto Ieſu Mahometum? longè abſit à mentis compote talis dementia.

Cùm ergo in tot tantiſque deprehendatur Mahometi mendacium, cùm tantum ſe iactet Prophetam, tam ſanctum, & Deo charum: & contra faciant opera, quibus conſtat, illum non ſanctum, neque Deo charum, neque Prophetam, quia nullum ſignum oſtenderit propheticum: non ſapientiam, ſed potiùs impietatem: non miracula, ſed potiùs ficta mendacia: Et cùm in ſua lege non niſi propria commoda reſpiciat, vtilitatem ad obtinenda ſpolia & exuuias, delectamenta ad omnium mulierum amplexibus fruendum, dignos titulos plurimos indignè

dignè ſibi vſurpauerit,ad indebitam ſibi dignitatem & gloriam apud homines captandam; & cætera complura quæ in ſuperioribus tetigimus, præter plurima, quæ Mahometicæ Sectæ libros legenti paſſim occurrunt, & longum eſſet referre. Finem faciamus in hæc concluſionis verba: Mahometum ideo ſe effinxiſſe Prophetam; vt quidem honorem, & dignitatem apud homines captaret, & beneuolentiam omnium, & vtilitatem ab omnibus; ſed præcipuè, vt ſuam liberè poſſet explere libidinem, cui tot eſcas per ſuum Alchoranum præparauit.

Ergo, Mahometi lex, Dei lex non eſt, ſed impoſtura. Ergo Alchorani fides nulla eſt. Ergo, dum Euangelio & Tora repugnat, Alchoranus mentitur. Ergo, dum pro Tora aut Euangelio loquitur Alchoranus, indicat tantam eſſe Toræ & Euangelij authoritatem & certitudinem, vt nec peſſimus impoſtor eorum veritatem omninò valuerit inficiari. Ergo Euangelium & Tora tantummodo eſt vera Dei Scriptura. Ergo, ſola Chriſti lex, quæ Moyſi legem impleuit, modò colenda eſt; prout Tora, Prophetæ, & Euangelia, docent. Non Alchoranus, aut alius Mahometicæ legis liber, diuinus eſt; ſed tantùm libri illi, quos Catholica Chriſti Eccleſia, tamquam diuinos, proponit, ſupra Tract. 1. cap. 2. recenſiti: cùm ſit, ex dictis, de illis omnis in contrarium ſuſpicio aboleta: ita vt omninò diuini eſſe comprobentur, vniuerſa ſuperiùs allata, attenta animi conſideratione, perpendenti.

DE PRAECIPVIS CHRISTIANAE Religionis Myſterijs.

PRAEFATIO.

POſtquam de veritate & ſinceritate Scripturarum, Diuina continentium teſtimonia, determinatum eſt: ſupereſt, vt eas de Diuinis Myſterijs conſulamus. Nam (ſicut ab initio indicatum eſt) naturali lumine, niſi ſupernaturalis fulgor diuinæ reuelationis accedat, in huiuſmodi myſteriorum inquiſitione deficimus, iuxta illud Prouerb. 25. num. 27. *Scrutator maieſtatis opprimetur à gloria*. Præſertim cùm homines, humanis aſſueti, nonniſi humana & humanis proxima didicerimus cogitare; ita vt ea quæ naturam ſuperant, ad inſtar potiùs naturalium effingamus, quàm eorum veritatem attingamus.

Non eſt hic nobis ſermo de his, quæ Deo, prout eſt vnus, conueniunt; quæ etiam Philoſophi, ſolo naturali lumine, ſunt aſſecuti: licèt, in euidentius de humana imbecillitate teſtimonium, etiam in his plerique defecerint. De huiuſmodi non eſt inter nos quæſtio, quia in his Mahometani cum Chriſtianis conueniunt (quamuis multipliciter in omnibus ſe Mahomet immiſcuerit, nunc hæc aſtruens, nunc eadem deſtruens) Tu quoque in tuo libro cum Chriſtianis videris conuenire, in omnibus, quæ ad abſolutam Dei perfectionem pertinent. Quare conuenimus: Deum eſſe vnum, incorporeum, ſpiritum, infinitæ perfectionis, ſummum bonum, ſimpliciſſimum, æternum, immenſum, incorruptibilem, immutabilem, incomprehenſibilem: Item, quæ per accidens creaturis conueniunt, Deo ſecundùm ſubſtantiam conuenire, & ei nullum ineſſe accidens: & quæ in creaturis diſtincta ſunt, in Deo eſſe identificata: eſſe item rationalis naturæ, intellectu & voluntate præditum, omnia cognoſcentem & ſcientem, etiam futura antequam fiant: eſſe beatum, & in ſemetipſo ſua voluntate quieſcentem, de ſumma ſua perfectiõne perpetuò gaudentem. Inſuper omnipotentem, ſolum increatũ omnia creantẽ, & con-

ſeruantem; ſine quo nihil vmquam fuit, aut erit, vel eſſe poterit: & ſiqua alia enumerari poſſunt, ad omnem complendam in quocumque genere perfectionem, eamque perfectiſſimo modo continentem. In his conuenimus.

Solùm à Chriſtianis cum Mahometanis diſſentis in Trinitate Diuinarum perſonarum, & in Filij Dei Incarnatione. Dicis enim, Deum non generare, neque gigni; & propterea non reperiri in Deo, nec Patrem, nec Filium: Non ſpirare neque ſpirari; & propterea nec dari Spiritum ſanctum. Sed in Deo vnicam tantummodo eſſe, ſicut eſſentiam, ita etiam & perſonam. Inſuper & Chriſtum, quamuis Prophetam confitearis; Dei tamen filium, aut Deum eſſe, inficiaris.

Prius ergo Scripturas de Sacroſancto Trinitatis myſterio conſulemus: deinde quid nobis de Diuina Incarnatione prædicent, audiemus.

CA-

TRACTATVS TERTIVS

DE SACROSANCTO TRINITATIS MYSTERIO.

Caput Primum .

Explicantur Termini.

VT tantum Myſterium(quantum homini fas eſt) explicare valeamus, terminos, quibus in eius explicatione opus eſt vti, prius exponere oportet: ſcilicet, quid ſignificent hæc nomina, Eſſentia, Exiſtentia, Subſiſtentia, Hypoſtaſis, Perſona, Proprietas, Relatio, Notio, Trinitas.

Eſſentia, tantùm importat illud totum quod ad eſſentialia rei prædicata pertinet: & per definitionem explicatur, quo etiam vel in parte minuto, nihil remanet, perindè ac ſi totum deſtrueretur. Dicitur alio nomine Natura, & à Philoſopho, Id quod eſt, ſeu quidditas rei. Eſt autem eſſentia de ſe indifferens ad eſſe vel non eſſe extra cauſas, à parte rei, ſeu in rerum natura: ſi ſermo ſit de eſſentia creata, quæ potius ex ſe dicit non eſſe, quàm eſſe; quia eſſe non habet niſi dependenter à prima cauſa. Diuina autem eſſentia non ita, ſed (vt benè in tuo libro aſſeris) eſſentialiter exiſtit: & benè, cùm creaturas dicas, *contingenter exiſtentes*, Deum vocas, *neceſſariò exiſtentem*.

Vnde eſſentiæ creaturarum non includunt in prædicatis eſſentialibus exiſtere; Diuina autem eſſentia, cum eſſentialiter exiſtat, includit exiſtentiam: ſicut enim repugnat, diuinam

eſſentiam non eſſe Deum; ita etiam repugnat, eſſentiam diuinam non exiſtere.

Exiſtentia, eſt modus ille, quo ſuperueniente (eſſentiæ ſcilicet creatæ) redditur eſſentia per ipſum formaliter exiſtens. Sicut, exempli gratia, paries non albus, adueniente albedine, fit per albedinem formaliter albus: ſic adueniente exiſtentia, fit eſſentia per ipſam formaliter exiſtens, cum priùs non exiſteret. & hoc in creatis. In Deo autem, idem eſt eſſe & exiſtere, eſſentia & exiſtentia.

Subſiſtentia, Hypoſtaſis, & Perſona, non eſt idem quod Exiſtentia, vt videris in tuo libro ſupponere. Nam exiſtentia aliud non eſt (vt benè dicis in tuo libro) niſi ſplendor eſſentiæ, ipſamet eſſentia extra cauſas, in actu poſita, non in abſtracto & vniuerſalis; ſed ſingularis & determinata; hæc, & non illa: nec enim datur eſſentia aliqua vniuerſalis exiſtens à parte rei; vt benè Philoſophorum Princeps contra Platonem, cuius opinio, innuens vniuerſale à parte rei, ab vniuerſa Philoſophorum ſchola exploditur, tamquam ridicula. Eſt igitur ſubſiſtentia, modus ab exiſtentia diſtinctus, faciens ſubſtantiam in ſe exiſtentem, & non in alio: & facilè intelligitur ducta paritate ab accidente ad ſubſtantiam. In accidente enim, præter eſſentiam, & præter exiſtentiam, omnes Philoſophi agnoſcunt etiam modum alium, quem dicunt, Inhærentiam, ſeu Inexiſtentiam; quo accidens ſubſtantiæ inhæret, & à ſubſtantia ſuſtentatur: & in eſſentiali exigentia talis inhærentiæ, accidens à ſubſtantia diſtinguitur; quæ exigit, non alteri inniti, ſed ſibi, & in ſe eſſe. Itaque præter ſuam eſſentiam, & præter exiſtentiam, tertium quid, nempe quemdam modum exigit ſubſtantia, quo ſibi, & non alteri inhærere dicatur, vocaturque Subſiſtentia, correſpondens modo illi accidentis, qui dicitur Inhærentia. Modus verò ſubſtantiæ eſt oppoſitus modo illi accidentis, & ſicuti ille dicitur Inhærentia, eo quòd faciat accidens alteri inhærere: hic dicitur Subſiſtentia, quia reddit ſubſtantiam formaliter in ſe ſtantem. Vnde ſequitur, quòd talis modus reddat ſubſtantiam incommunicabilem alteri; cùm faciat illam ſtare in ſe: Et è contra, modus ille accidentis reddat accidens actu alteri communicatum; cùm faciat illud alteri inhære-

re,

re, non ſibi. Dicunt verò Philoſophi, modum inhærentiæ conſiſtere in aliquo poſitiuo, ad inſtar vnionis, quia talis inhærentia ſine vnione eſſe non poteſt. Modum verò ſubſtantiæ, nomine ſubſiſtentiam, aliqui volunt eſſe etiam modum poſitiuum, ſubſtantialem, quo ſubſtantia ſibi inſit. Alij verò volunt, modum ſubſiſtentiæ conſiſtere in negatiuo, quia eſt negatio inhærentiæ. Sed quamuis ſubſiſtentia ſecum ferat talem negationem, non eſt modò dubium ſentientibus cum Philoſophorum Principe, importare etiam aliquid poſitiuum, quod ſit vltimum ſubſtantiæ complementum, modus tamen eius, prout inquit Ariſtoteles quinto Metaphiſic. tex. 15. dicens: *Subſtantia dicitur dupliciter. Vno modo ipſa quidditas rei. Alio modo ipſum ſubiectum ſubſtantiæ.* Sic ergo Ariſtoteles, proportionali modo, de accidente & ſubſtantia philoſophatur. Sicut ergo accidenti, præter eſſentiam & exiſtentiam, concedimus inhærentiam, debemus etiam ſubſtantiæ, præter eſſentiam & exiſtentiam, concedere ſubſiſtentiam, qua in ſe exiſtat, non in alio. Talis ergo ſubſtantiæ modus, dicitur ſubſiſtentia Latinè, Græcè autem Hypoſtaſis; & cùm ad naturam rationalem pertinet, dicitur alio etiam nomine, Perſona. Poſitiuum verò, in quo perſona ſeu ſubſiſtentia in Diuinis conſiſtit, non eſt abſolutum; ſed relatiuum.

Relatio eſt ordo vnius ad aliud, ſeu qua vnum ad aliud refertur. Et contradiſtinguitur à ratione abſoluta, quæ aliud non reſpicit, & in ſuo eſſe alterius eſſe non inuoluit. Vt, eſſe hominis eſt ratio abſoluta: homo enim dicit tantùm eſſe animalis rationalis, ſine connotatione alterius rei à ſe diſtinctæ, At eſſe Patris dicit eſſe vnius cum connotatione alterius diſtincti, nempe Filij; non enim dicitur pater, niſi filium genuerit. Vnde relatio eſt reſpectus; & relatiuum eſt illud, quod talem ex ſe formaliter dicit reſpectum. In Diuinis autem, quatuor eſſe, patebit inferiùs, relationes; nempe generationem actiuam, ſeu paternitatem in Patre. Generationem paſſiuam, ſeu filiationem in Filio. Tertiò ſpirationem actiuam in Patre ſimul & Filio, tamquam in vno. Quarto tandem ſpirationem paſſiuam in Spiritu ſancto.

Hic

Hic adnotandnm eſt,inter ea quæ mutua relatione referuntur, diſtinctionem neceſſariò intercedere: nihil enim ad ſeipſum reali poteſt relatione referri.

Proprietas,eſt ratio,quæ vni ſoli & ſemper conuenit; vt in creatis,propriam hominis dicimus riſibilitatem; quia conuenit homini ſemper, alteri verò numquam. In Diuinis, quatuor ſunt proprietates: duæ Patris, innaſcibilitas,& paternitas. Filij vna tantùm,filiatio,ſeu generatio, paſſiuè. Spiratio autem actiua, proprietas non eſt, quia eſt communis Patri ſimul & Filio. Sed ſpiratio paſſiua,quarta proprietas, ꝓpria Spiritus S.

Notio,dicitur,quod eſt propria ratio cognoſcendi Diuinam perſonam: ſunt verò quinque: Innaſcibilitas, & paternitas; quibus ſolus innoteſcit Pater. Spiratio actiua, qua innoteſcūt Pater & Filius,prout diſtincti à Spiritu ſancto. Filiatio, qua ſolus innoteſcit Filius. Et ſpiratio paſſiua, qua innoteſcit Spiritus ſanctus. Vnde ex notionibus,quatuor ſunt ſingularis perſonæ: vna verò communis Patri & filio,ſpiratio actiua. Notiones autem perſonales, ſeu conſtituentes perſonas, tres ſunt tā tummodo. Paternitas,filiatio,& ſpiratio paſſiua. Innaſcibilitas autem,perſonæ non eſt conſtitutiua;ſed eſt ratio quædam negatiua,indicans Patrem non eſſe ab alio,ſed à ſe,& improductum. Spiratio verò actiua,quamuis relatiua, cùm ſit communis duabus, quæ iam per alias proprias relationes ſupponuntur,in priori originis,conſtitutæ in eſſe perſonæ;propterea non eſt perſonæ conſtitutiua.

Trinitatis nomen, non ſignificat apud Chriſtianos trium vnitatem,vt quidam ex ethimologia nominis putauerunt, dicētes: Trinitatem eſſe quaſi trium vnitatem. ſed ſimpliciter ſignificat numerum determinatum Diuinarum perſonarum. Dicitur autem vna Trinitas, ad ſignificandum, quod Diuinæ perſonæ tres tantùm ſunt,non plures, nec pauciores. Opponitur autem nomen Trinitatis nomini Vnitatis. Et Vnitas dicitur de eſſentia, non verò de perſonis, quia eſſentia vna eſt: perſonæ verò plures. Dicitur Trinitas de perſonis,ſeu numero perſonarum,non verò de eſſentia, quia perſonæ ſunt tres: Perſonæ ſunt,quæ multiplicantur; eſſentia verò ſemper eadem eſt & vna. Vnde eleganter Athanaſius in Symbolo: *Vnum Deum in Trinitate,& Trinitatem in Vnitate veneremur*. Itaq. nomen Trinitatis non aliud ſignificat apud nos,in explicatione

huius

huius ſacroſancti myſterij, niſi ternarium numerum diuinarum perſonarum.

CAPVT II.

Proponitur & explicatur Sacroſanctæ Trinitatis Myſterium.

SAcroſanctum itaque Trinitatis myſterium, non humanis rationibus, ſed Diuinis atteſtationibus mox infra adducendis, ſic ſe habere didicimus; quantum homini in præſenti ſæculo diſcere fas eſt, & humanis explicare ſermonibus.

Deus eſt natura vnus, in tribus diſtinctis ſubſiſtens perſonis. Quarum prima eſt Genitor, ſeu Pater. Secunda eſt Genitus, ſeu Filius. Tertia eſt Amor, ſeu Spiritus ſanctus. Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus: ſed à ſe, & innaſcibilis. Conſtituitur in eſſe Perſonæ per generationem actiuam; & perſonalitas eius conſiſtit in eſſe Patrem. Naſcitur ſecunda Perſona à Patre per intellectum: vnde & dicitur Sapientia genita, Verbum, Imago; & benè omnia nomina, quæ intellectionis termino conueniunt, perfectionem importantia, poſſunt Diuino Verbo conuenienter applicari, & ad Filij perſonam denotandam vſurpari.

Spiratur Tertia à Patre & Filio ſimul, tamquam ab vno principio, per voluntatem. Diciturque Spiritus, quia producitur vt Amor, qui eſt veluti impulſus voluntatis, quo impellitur, & rapitur in obiectum à ſe dilectum: impulſus autem eſt tamquam ſpiritus, vel à ſpiritu. Dicitur etiam ſanctus per excellentiam, quia quæcumque Diuina, præcipuè ſancta ſunt. Dicitur quoque Amor, Charitas, Vnio, Ignis: Et in vniuerſum, omnia nomina, quæ voluntatis actui, perfectionem importantia, conueniunt, Spiritui ſancto tribui quoque poſſunt. Dicitur

tur etiam alio nomine, ab effectu diuini amoris, Paraclitus, ideſt, Conſolator ſeu Aduocatus, vt ait Auguſ. tract. 74. in Ioan.

Communicatur Diuina natura realiter tribus diſtinctis perſonis: ita tamen, vt ipſa ſemper vna indiuiſa & ſimpliciſſima permaneat. Et quamuis perſonæ realiter inter ſe diſtinguantur; nulla tamen earum à natura diſtinguitur, niſi tantum ratione. Eſt enim perſonalitas Patris idem cum natura diuina, perſonalitas Filij idem cum natura diuina, perſonalitas Spiritus ſancti idem ſimiliter. Enimuerò non eſt aliqua compoſitio in vlla perſona. Ratione tamen, quaſi duæ formalitates, noſtro concipiendi modo intelliguntur. quarum vna eſt abſoluta, ideſt natura Diuina: altera verò reſpectiua, eſtque ipſa perſonalitas. At realiter nihil aliud eſt Filij perſonalitas, niſi natura Diuina, prout communicata Filio, prout Filius refertur ad Patrem, relatione, qua à Patre naſcitur per intellectum. Similiter & perſonalitas Spiritus ſancti, non eſt aliud, niſi ipſamet natura Diuina, quatenus cũ illa relatione, qua Spiritus ſanctus refertur ad Patrem ſimul & Filium, à quibus, tamquam ab vno, per eamdem vtriuſq. voluntatem, deriuatur. Quare in hoc Sacroſancto Myſterio omnia abſoluta idem ſunt. & in abſolutis nihil reperitur diſtinctum realiter: ſed omnis diſtinctio prouenit ex oppoſitione dumtaxat relatiua: ita vt inter ea, quæ mutua relatione opponuntur, tantummodò diſtinctio intercedat.

Hoc eſt ſacroſanctum Trinitatis myſterium. Quod ſi mirabile ſit, & ferè inintelligibile videatur; Cogitandum tamen eſt, eſſe diuinum, omniſque finiti intellectus capacitatem excedere; nobiſque in ſacris, vt mox conſtabit, Scripturis à Deo non proponitur in præſenti ſæculo ſciendum, ſed credendum: & poſt præſentis ſæculi fidem, in futuro promittitur inſpiciendum.

Sed, priuſquam ad illud probandum Diuina afferamus teſtimonia, expedit exemplo, & paritate ex nobis, quos Deus ad imaginem & ſimilitudinem ſuam condidit, deſumpta, faciliùs explicare.

Animæ igitur noſtræ duæ ſpirituales inſunt potentiæ, intellectus & voluntas. Memoria enim non eſt ab intellectu diſtincta; ſed ipſe intellectus, quatenus præterita cognoſcens, memoria eſt. Dum autem intellectus aliquid intelligit, rei intellectæ imaginem intra ſemetipſum exprimit, quæ Verbum men-

tis

tis dicitur, ſpecies expreſſa, ſeu imago obiecti expreſſa. Deinde voluntas (ſi obiectum ſit conueniens) erga obiectum iam cognitum elicit actum Amoris: quo quidem non exprimit obiecti imaginem, ſicut intellectus; ſed veluti impulſu quodam in ipſum obiectum rapitur, & tamquam pondere trahitur. Præter harum potentiarum actus, non eſt in anima alius à diuerſa potentia, merè ſpiritualis. Ex hoc igitur exemplo poſſumus ad altiſſimum Diuinæ Trinitatis Myſterium paulatim mentis aciem eleuare: deſumpta ſimilitudine in his, quæ dicunt perfectionem, & relictis imperfectionibus. Talem enim methodum procedendi ex creatis ad altiſſimorum inquiſitionem à ſanctis & eruditis viris didicimus. Vnde Apoſtolus: *Inuiſibilia Dei* (inquit ad Romanos) *à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*. Deus (vt ſupra etiam ex tuo libro ſuppoſitum eſt) eſt naturæ merè ſpiritualis; habet intellectum & voluntatem, ſicut ipſemet animæ noſtræ vtrumque indidit: at relicta imperfectione, quæ in intellectu & voluntate noſtra deprehenditur; nempe, eſſe in potentia ad actum: Deus ab æterno & ſemper habuit intellectum & voluntatem in actu; intellectum ſemper actu cognoſcentem, voluntatem actu ſe ipſum ſemper amantem. Cum ergo ab æterno ſemetipſum cognoſcit, exprimit proinde in ſemetipſo imaginem ſuiipſius adæquatam, vnico, & ſimpliciſſimo ſui intellectus intuitu ſemetipſum adæquatè cognoſcens. Hæc autem imago non eſt accidens, ſicut imago in intellectu noſtro expreſſa, quia Deo ineſſe non poteſt accidens: Ergo, relicta imperfectione noſtri intellectus, in Deo imago illa eſt ſubſtantia. Ergo ſubſiſtens. Nec poteſt eſſe non Deus, quia in Deo quicquid eſt, aliud eſſe non poteſt (vt benè in tuo libro aſſeris) niſi Deus. Ergo imago illa, per diuinum intellectum in Deo expreſſa, eſt etiam Deus, ſubſiſtens; & perſona, quia eſt ſubſtantia rationanalis. At non poteſt eſſe alius Deus, quia implicant duo aut plures Dij. Ergo eſt idem Deus. Et ecce naturæ ſeu eſſentiæ identitatem. Ex alio capite, idem non poteſt producere ſemetipſum: Illa autem imaginis expreſſio fit à Deo, nempe exprimente. Ergo neceſſariò habemus, tamquam

inter oppoſita per mutuam relationem, veluti cauſæ & effe-ctus, diſtinctionem; & ecce duarum perſonarum poſitionem. Et ita habemus Patrem, & Filium.

Poſt expreſſionem intellectus, origine poſterior, ſequitur voluntatis Amor, quo Deus ſemetipſum diligit. Et cùm Filius, in priori originis, ſupponatur in eſſe perſonę conſtitutus, habens eamdem Patris eſſentiam & voluntatem, procedit Amor à Patre ſimul & Filio, tamquam ab vno principio; quia voluntas, per quam procedit, vna vtriuſque eſt; quamuis non vna perſona. Hic autem amor, aliquid eſt à Deo procedens, intra ipſum Deum, tamquam voluntatis actus: non poteſt eſſe accidens; ergo ſubſtantia, ac proinde ſubſiſtens: non poteſt eſſe aliquid non Diuinum: ergo Deus eſt; in Deo enim quicquid eſt, Deus eſt, vt ſupra etiam ex tuo libro. Non alius Deus, quia repugnat. Ergo idem Deus. Et ecce etiam eſſentiæ identitatem. Rurſus ex alio capite, idem non poteſt à ſemetipſo procedere. Ergo Diuinus Amor, qui & Spiritus ſanctus, à Patre ſimul & Filio procedens, eſt ab vtroque diſtinctus; & ecce tertiæ quoque perſonæ diſtinctionem.

Præter intellectum & voluntatem, non eſt in Deo aliud quippiam, operatiuum ad intra. Propterea ex ſacris Diuinarum Scripturarum teſtimonijs, mox allegandis, non plures tribus Diuinæ traduntur Perſonæ.

Diſcrimen autem Intellectionis & Amoris facit, vt dum vnus dicitur Filius, alter nequeat Filius nuncupari. Filius enim is tantùm eſt, qui ab alio per generationem procedit. Eſt autem generatio, prout in viuentibus peculiariter ſumitur, & erudiriſſimus definit Boetius. Origo viuentis à viuente, per principium coniunctum, tendens in ſimilitudinem naturæ.

Et quidem tam Filius, quàm Spiritus ſanctus, procedit à Patre, tamquam viuens à viuente, & per principium coniuctum; imò etiam identificatum; cùm tàm intellectus, quàm voluntas, ſint idem cum Deo, & ipſamet Diuina natura. Tamen non vterque procedit ſimilis ex vi ſuæ proceſſionis formaliter. Quia intellectio tantùm exprimit obiectum, & ſua formali ratione intendit rei intellectæ ſimilitudinem: Actus verò voluntatis, ſeu Amor, non habet de ſua formali ratione obiectum exprimere; ſed ad ipſum obiectum, veluti impulſu quo-dam

dam, ferri. Vnde Intellectio eſt expreſſio, repræſentatio, aſſimilatio: Amor verò eſt quidam ſpiritus, impulſus, ſeu pondus. Et propterea perſona procedens per intellectum eſt Filius: non autem perſona procedens per voluntatem.

Sed iam Diuina Scripturarum teſtimonia afferamus: quia non humanis rationibus ſacroſanctum Trinitatis Myſterium aſtruimus; ſed Diuina conuicti atteſtatione credimus.

CAPVT III.

Afferuntur teſtimonia ſacrarum Scripturarum, quibus probatur ſacroſanctum Trinitatis Myſterium.

HOc ſacroſanctum Myſterium pluries in ſacris Scripturis credendum proponitur, tàm in veteri, quam in nouo Teſtamento. Et ab initio ſacræ Scripturæ perſonarum pluralitas indicatur illis verbis: *In principio creauit Deus cælum & terram.* Vbi tex. Hebræus habet: *Creauit Dij cælum & terram.* indicans ſingulari numero verbi, *Creauit*, vnitatem eſſentiæ,& plurali numero nominis *Dij*, pluralitatem perſonarũ. Deinde eodem cap. primo Gen. num. 26. indicat etiam Scriptura pluralitatem perſonarum, Deum referens hæc verba proferentem: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*. Vbi per conſultationem, quam ſignificat, oſtẽdit pluralitatem perſonarum; præſertim, in plurali numero dicens: *Faciamus*. Vnitatem verò naturæ,dum ſubiungit, *Imaginem & ſimilitudinem* in ſingulari numero. Item cap. 18. in principio, apparuerunt Abrahamo tres viri, quos ſignificat ibi, fuiſſe Dominum, eoſque Abraham adorauit.

Pſalmo 32. non ſolùm pluralitas perſonarum; ſed & determinatus numerus, ipſarumque peculiaria nomina exprimuntur à Propheta, num. 6. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, &*

Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Expreſſit vnam perſonam dicens, *Verbo*. Aliam, ſubnectens, *Domini*. Tertiam verò, concludens, *Et Spiritu oris eius, &c.*

Iſaiæ 6. ad ſignificandam Trinitatem perſonarum, tribus vicibus Seraphim clamabant alter ad alterum: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*. Quaſi canentes Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus ſanctus. Idem Iſaias cap. 34. num. 16. idem ſignificat, Deum in hæc verba loquentem referens: *Quod ex ore meo procedit, ille mandauit, & Spiritus eius ipſe congregauit ea*. Vbi Pater loquitur, & de Filio: *Quod ex ore meo procedit, ille mandauit*. Quibus verbis ſignificatur Filius eſſe perſona, quæ mandare poſſit. Et de Spiritu ſancto ſubiungit: *Et Spiritus eius ipſe congregauit ea*. Quia ſcilicet Spiritus ſanctus, tanquam perſona ſubſiſtens, congregare poſſit, & agere, & operari. Aliàs enim, non perſona, non poteſt dici agere, vel operari; quia actiones ſuppoſito tribuuntur.

Item Iſaias cap. 48. inducit Diuinam perſonam, talia proferentem à num. 12. *Audi me Iacob & Iſrael, quem ego voco: ego ipſe, ego primus, & ego nouiſſimus. Manus quoque mea fundauit terram, & dextera mea menſa eſt cælos. Ego ego locutus ſum, & vocaui eum: adduxi eum, & directa eſt via eius. Accedite ad me, & audite hoc: non à principio in abſcondito locutus ſum: ex tempore antequam fieret, ibi eram: & nunc Dominus Deus miſit me, & Spiritus eius. Hæc dicit Dominus Redemptor tuus ſanctus Iſrael*. His ergo verbis loquitur Filius, qui & ad redimendum nos in Orbem venit, vt infra probabimus. Alioqui enim ſufficit hic nobis apertè colligere, loquentem talia, Diuinam eſſe perſonam, quod ex ipſis verbis clarè patet, dum dicit: *Ego primus & nouiſſimus. Manus mea fundauit terram, & dextera mea cælos*. Et Iſaias explicat in fine ſermonis: Quis ſit locutus, dum ait: *Hæc dicit Dominus Redemptor tuus, &c.* Ergo qui loquebatur Deus erat. At loquens Deus talia protulit ibi: *Et nunc Dominus Deus miſit me, & Spiritus eius*. Ergo hic Deus, qui loquebatur, fuit miſſus à Deo & Spiritu Dei. Nemo autem poteſt dici à ſemetipſo miſſus. Ergo hic Deus miſſus, eſt à Deo mittente, & Spiritu eius pariter mittente, diſtinctus. Ergo habemus diſtinctionem trium perſonarum; nempe, miſſæ vnius, & duarum mittentium. Aliàs enim, non

non veritatem per verba illa protuliſſet: *Et nunc Dominus Deus miſit me & Spiritus eius*.

Cap etiam 61. in principio, & alibi etiam in Veteri Teſtamento Diuinarum perſonarum pluralitas ſignificatur, quæ (breuitati ſtudentes) prætermittimus: & ſufficiet pauca etiam, ſed efficacia, in medium afferre ex Nouo Diuina teſtimonia.

Matthæi cap 3. in fine, & in text. Arab. ſect. 5. ſancta Trinitas declaratur: *Baptizatus autem Ieſus confeſtim aſcendit de aqua. Et ecce aperti ſunt ei cæli: & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe. Et ecce vox de cælis dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*. Quibus, tres perſonæ Diuinæ ſingillatim indicantur. *Vidi Spiritum Dei*, ecce duas perſonas, nempe Spiritum ſanctũ & Patrem, qui dicitur ſpecialiter Deus, tamquam primus fons & origo cæterarum perſonarum. Deinde indicatur Filius, per vocem de cælo dicentem: *Hic eſt Filius meus dilectus*.

Matth. item cap. 10. num. 20. & in textu Arabico ſect. 27. ſic loquitur Chriſtus: *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*. Vbi Spiritus & Pater, exprimuntur ab ipſo Filio.

Cap. 17. & in textu Arabico ſect. 53. Idem Matthæus, referens Chriſti Transfigurationem, ſic inquit: *Et ecce vox de nube dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipſum audite*.

Clariſſimè autem, vltimo cap. ſui Euangelij, ſanctus Matthæus Chriſtum Trinitanis myſterium refert proloquentem ſic: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*. Vbi Chriſtus, eiuſdem dignitatis, eiuſdem dominationis, & abſoluti imperij, oſtendit eſſe ſuper homines, Patrem non ſolùm, ſed & Filium, & Spiritum ſanctum. Aliàs enim non rectè præceptum fuiſſet, baptizandos homines pariter, In nomine Filij & Spiritus ſancti, ſicut & in nomine Patris; niſi pari modo Filius & Spiritus ſanctus, ſicut & Pater, Deus fuiſſent.

Similiter & omnes alij Euangeliſtæ Diuinarum Trinitatem Perſonarum teſtantur, præcipuè Ioannes cap. 3. num. 35. ſeu ſect. 7. capit. 14. num. 16. ſeu ſect. 33. vbi ſic inquit Filius: *Si diligitis me mandata mea ſeruate, & ego rogabo Patrem,*

&

& alium Paraclitum dabit vobis Spiritum veritatis . Et paulò ante dixerat: *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in Filio*. Et plura eodem capite, quibus teſtatur, Patrem, Filium, & Spiritum Paraclitum, quem inferiùs vocat Paraclitum Spiritum ſanctum. Et cap. 16. num. 3. ſeu ſect. 35. *Hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me*. Et infra & ſupra, plura etiam de Spiritu ſancto.

Idem Ioannes, ſicut in Euangelio Chriſti verba referens, teſtatur Sacroſanctæ Trinitatis myſterium: ita etiam & in Epiſtolis propria verba, quæ à Chriſto didicerat, ſonans, idem teſtatur, præſertim epiſt. 1. cap. 5. num. 7. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus; & hi tres vnum ſunt*. Quibus clariſſimè diſtinctionem trium perſonarum, earumque naturæ identitatem, teſtatur; ita vt nullus relinquatur tergiuerſationi locus.

Ex his ergo, & pluribus Diuinarum Scripturarum teſtimonijs, confitetur Chriſtianorum Eccleſia Sanctiſſimam Trinitatem, & quam rationibus, & ſcientia non attingit, credit fide, & Diuinis ſe committens atteſtationibus, captiuans intellectum in Dei obſequium; cùm nequeat proprijs viribus de tam Diuino Myſterio hoc vel illud iudicare; vel ſic, vel ſic ſe habere; cùm certum ſit, Deum mentiri non poſſe.

CAPVT

CAPVT IV.

Probatur auctoritate Sanctorum Patrum, & Conciliorum, SS. Trinitatis Myſterium.

SECTIO I.

Sanctorum Conciliorum & Patrum ſententiæ plurimum deferendum in his quæ ad Fidem pertinent.

SVperuacaneum fortaſſe, & inutile, prima tibi fronte videbitur, poſt tot ex ſacris Scripturis allata teſtimonia, Conciliorum, aut Patrum, addere decreta, vel ſententias: præſertim cum Mahometani neutrorum admittere videantur auctoritatem. Verùm ſi benè res inſpiciatur, nec ſuperuacaneum id eſſe conſtabit, nec inutile; & Mahometanos ex Alchorani præſcripto, cæteriſque Mahometi ſanctionibus, non ſolùm Chriſtianorum Concilijs, ſed & Sanctis Chriſtianorum Patribus plurimum deferre aſtrictos, quod pluribus facilè patet rationibus.

Primò, quia Mahometani omnes (ſicut aliquando in tuo aſſeris libro) fatentur, per Chriſti legem, Moyſis legi fuiſſe derogatum: Et ſicut antea Iudæis Moyſis lex erat ſeruanda, ita poſt Chriſti aduentum, non amplius illa Moyſi ſeruanda eſſet, ſed ſola lex Chriſti, vt patet etiam ex Alchorano cap. 2. *De familia Amrani*, quinque mihi, poſt initium columnis, ſeu pag. 55. Idque nulla ratione Mahometani negare poſſunt; quia antequam Mahometus Alchorani figmenta proponeret; Alchorani legem, dicere nequeunt, tunc fuiſſe ſeruandam; quia non erat, nec

nec ſeruanda erat lex Moyſi, quia abrogata: nec alia effingi poteſt. Ergo illo tempore, poſt Chriſtum vſque ad Mahometum, nulla alia lex ſeruanda erat ad Dei cultum, niſi ſola lex Chriſti. Ergo 600. annis, qui intermedij elapſi ſunt, lex Chriſti ſola dici poterat Diuina lex vigens.

Confirmatur ad Mahometanos ex Alchorano, qui Euangelicam Chriſti legem, tamquam Diuinam, celebrat repetitis teſtimonijs, pluribus in locis. Ergo qui Chriſti legem ante Mahometum profitebantur, nulla ratione, falſam legem profeſſos eſſe, à Mahometanis dici poteſt.

His poſitis, facilè ſequitur conſequentia, imò euidens eſt, Mahometanis etiam ex Alchorani præſcripto, tam Conciliorum, illo intermedio tempore celebratorum, quàm etiam illorum temporum Patrum auctoritatem eſſe ſuſcipiendam. Non loquor de Concilijs Chriſtianorum, poſt Mahometum celebratis: nec de Patribus, qui poſt Mahometum floruerunt: de his enim diceret aliquis Mahometanus fortaſſe, cùm ſupra allegata non benè perpendiſſet: poſt Mahometum non ampliùs Chriſti legem vigere, ac proinde neque ipſorum Concilia; nec Doctorum dicta, de Chriſtianæ fidei myſterijs, eſſe in poſterum ſuſcipienda. Et hoc quidem dicunt Mahometani. Et hoc ad ſummum dicere poſſunt, ex ſuis principijs (quamuis falsò, vt ex dictis conſtat.) Nullatenus tamen antiquioribus Mahometo Concilijs aut Patribus Chriſtianorum refragari poſſunt; quia non alij, quàm Chriſtiani, tunc veram Dei legem profitebantur. In Concilijs autem, doctiſſimi & ſanctiſſimi Chriſtianorum conueniebant, & de inſurgentibus circa Religionem difficultatibus reſpondebant. Patres verò erant, ipſi Chriſtianorum præcipui, qui alios de Fidei myſterijs & præceptis erudiebant. Si ergo Chriſti lex erat vera Dei lex; veram Chriſti legem profitentes, docentes, & prædicantes, dici non poſſunt, tunc falſa docuiſſe, aut prædicaſſe: Nec Concilia, falſa decreuiſſe.

Secundò probatur, quia etiam Mahomet, vt patet ex Alchorano, capite de Iona, putans circa ſcripturas dubium aliquod occurrere poſſe, vult in eiuſmodi dubijs, eruditos, & vt ibi Gloſſæ explicant, Chriſtianos, eſſe conſulendos; vnde dicit pagin. 211.

Ideſt,

فإن كنت في شك مما أنزلنا إليك وسل الذين يقرءون
الكتاب من قبلك ۞

Ideſt. *Si dubium tibi occurrit de libro, quem miſimus ad te, conſule eos qui legerunt ſcripturam ante te.* Et Gloſſæ explicant, qui legerunt Scripturam ante Mahomet, eſſe Iudæos & Chriſtianos. Inſuper & ipſe Mahomet in Alchorano fatetur, Scripturam apud Iudæos & Chriſtianos extare, eoſdemque eſſe ſacrarum Scripturarum meditatores. Ergo vult Alchoranus, Chriſtianos de rebus dubijs Scripturarum eſſe conſulendos: quòd ſi Chriſtianos quoſcumque; quanto magis inter Chriſtianos doctiſſimi & ſanctiſſimi conſulendi erant? At ad minus de Chriſtianis, qui Mahometum tempore præceſſerunt, hoc eſt intelligendum. Ergo Concilia ſanctorum Patrum ante Mahometi tempora celebrata, eorumdemque de rebus fidei teſtimonia, non ſunt reſpuenda, ſed conſulenda.

Tertiò, quia Alchoranus cap. 1. & cap. 4. libri primi fatetur, Chriſtianos rectam profiteri fidem, ita vt ſalutis terminum conſequantur, & ad Paradiſi gloriam perueniant. Hoc autem ad minus de illis Chriſtianis eſt intelligendum, qui Mahometum tempore præceſſerunt: ſed illi eam fidem profitebantur, quam ſacra Concilia & Doctores, ante Mahometi tempora, docebant & prædicabant. Ergo documenta, decreta, & ſancita in ſacris Concilijs, & à ſanctis Patribus prædicata, vera ſunt: ſi enim falſa fuiſſent, tam ipſi Doctores, quàm Chriſtiani illis credētes, Inferni ſupplicijs addicti fuiſſent potiùs, quàm Paradiſi gloriam aſſecuti. Ergo Concilia & Patres Chriſtianorum, illi ſaltem, qui Mahometum tempore præceſſerunt, Mahometanis de mendacio ſuſpecti eſſe non debent.

Sed dicet aliquis: Ante Mahometi tempora plures fuerunt Chriſtianorum hæreſes; vt Ebionitarum, Arianorum, Manichæorum, &c. & hi omnes nomine Chriſtianorum cenſentur. Et inter omnes erant Doctores proprij; & propria Concilia, etiam ante Mahometi tempora, celebrarunt; Ariani præſertim, qui plures Orientaliū Imperatorum fautores habuerūt, quorū freti auxilio, plura Cōcilia ſeu potiùs Cōciliabula conuocarūt.

Horum autem & illorum non eſt eadem ſententia, nec eadem fides; quamuis idem ſit omnium commune nomen, Chriſtianorum. Nam Ebionitæ, Cherinthus, Paulus Samoſatenus, & Photinus, Chriſtum purum hominem aſſerebant, meruiſſe tamen per opera excellentem Diuinæ gloriæ participationem. Manichęi è contra dicebant, Chriſtum reuera eſſe Dei filium, ſed phantaſticum corpus habuiſſe. Valentinus quidam dixit, verum habuiſſe corpus, ſed de cælo aſportaſſe, non de Virgine Matre aſſumpſiſſe. Alius quidam, nomine Apollinaris, dixit præterea, aliquid Diuini Verbi fuiſſe mutatum in carnem. Arius verò poſuit Diuinitatem corpori Chriſti loco animæ ineſſe; ita vt Diuinitas, ad inſtar formæ, organa corporis informaret. Chriſtiani autem, cognomento Catholici: ſic dicti, quia non ſententiam alicuius particularis ſequerentur, ſed communem omnium ſenſum: aſſerebant, ſicut & modo aſſerunt, in Chriſto duplicem eſſe naturam, Diuinam & humanam, perfectè & completè; vnicam tamen perſonam. Vnde diſparata, & contradictoria, contra Catholicorum fidem hæretici aſſerebant. Similiter & de Trinitate, quidam, Sabellius nomine, exiſtimabat, Filium & Spiritum ſanctum non eſſe perſonas realiter à Patre diſtinctas; ſed Deum, vnum natura & perſona, vocari Patrem ſemper: Filij verò ex tunc nomen accepiſſe, quando ex Virgine natus eſt. Spiritum ſanctum dici, cùm rationalibus creaturis ſuæ gratiæ auram inſpirat. Arius verò Filium eiuſdem negabat eſſe naturæ cum Patre, eumque plurimi Chriſtianorum ſunt ſequuti. Chriſtiani autem, cognomento Catholici, nec omnimodam identitatem dicunt cum Sabellio, nec omnimodam diſtinctionem ponunt cum Ario; ſed Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, tres realiter diſtinctas profitentur eſſe perſonas, in eadem ſubſiſtentes natura. Cùm igitur hi omnes Chriſtiano nomine cenſeantur, quibuſnam ex Alchorano erit abroganda, quibus arroganda fides? cùm enim oppoſita & diſparata loquantur, non poteſt omnibus conſimilis tribui auctoritas, ſed ſicut vnius obiecti vna eſt veritas, ita & vni diuerſarum opinionum inclinanda eſt credulitas.

Itaq. Alchoranus, dum de Chriſtianis benè loquitur, & illos præcipit de Scripturis conſulendos, non debet de omnibus Chriſtianis intelligi, ſed de his tantùm, qui veram Chriſti fidem

dem profitebantur. Hi namq. ſolummodo veri Chriſtiani erant; cæteri verò hæretici cenſendi ſunt, de nomine tantùm Chriſti gloriantes, non autem veram Chriſti fidem profitentes.

Pro huius dubij ſolutione, animaduertendum eſt, veros eos eſſe Chriſtianos, qui Chriſti legem ita ſuſcipiunt & ſeruant, ſicut & Chriſtus tradidit Apoſtolis & Diſcipulis, ipſique cæteris prædicauerunt. Quos vt ab Hæreticis diſtinguamus, in eiuſmodi animaduerſione tantiſper immoremur.

SECTIO II.

Quinam Chriſtiani veram Chriſti fidem profiteantur.

OMnis itaque Religio, ſeu Secta, in Orbe excitata; ſiue bona fuerit, ſiue mala; ſiue vera, ſiue falſa; habuit non ſolùm doctrinam, ſeu dogma proprium; ſed Auctorem. Tertiò, & circumſtantias loci & temporis, ideſt, quando & vbi cœperit. Quartò, paucos aliquos, qui primò eã ſuſceperunt, & per quos in alios plures deriuata eſt. Quintò, oppugnatorem, qui eam deſtruere ſit conatus. Sextò tandem, proprium nomen ab auctore deſumptum.

Hæc omnia poſſumus & in lege Mahometi enumerare. Nam præter Alchoranum, libros Sonnat, librum Agar, in quibus eius dogmata continentur: habuit etiam auctorem Mahometum. Tertiò, circumſtantiam loci; nempe, Mecæ & Almedinæ. Circumſtantiam temporis, imperante Heraclio, ſexcentis poſt Chriſtum annis: ætatis Mahometi quadrageſimo ab ipſo cœpta, & 63. completa, quo ceſſit è vita. Quartò, pauci illi, qui primò Mahometi Sectam ſuſceperunt, fuerunt, primò Zaidus, qui ipſius Mahometi ſeruus erat, ac propterea libertate donatus, vxor ipſius Mahomet nomine Gadiſa, & quidam alij Mechenſes, Idololatræ. Quintò, oppugnatores,

plurimi Mechenſes præcipui, Correxiſti, & Haximiſti, & Benutamin, quibus cum ſuis paucis Mahomet cedere coactus, aufugit Medinam, decem dierum ſpatio diſtantem, ibique Iudæos habuit hoſtes: vbi quorumdam virorum fortiũ præſidio, nomine Abubachr, Omar, Othman, &c. bellare cœpit, & nolentes in eum credere ſubiugauit. Sextò, à Mahometo, Alchoranicam legem profitentes, dicti ſunt Mahometani, & Arabicè المسلمون.

Sic ergo & in omnibus Chriſtianorum hæreſibus, & in ipſamet vera Chriſti Religione, illa omnia licet reperire: ex quorum cognitione facilè patet, quinam veram Chriſti legem profiteantur, qui verò ab eius veritate deficientes, falſa adinuenta ſectentur.

Et quidem, ſi de Chriſtianis, qui Catholici dicuntur, eorumque fide, diſquiramus: reperiemus, illa eſſe eorum documenta, quæ à Chriſto Apoſtolis, & per Apoſtolos cæteris, fuerunt propoſita; ita vt eorum auctor ſit Chriſtus. Secundò, Doctrina, prout in Euangelijs. Tertiò, circumſtantia loci, vbi, Ieruſalem. Circumſtantia temporis, imperante Tiberio, Præſide Ieruſalem Pilato, trigeſimo tertio Chriſti anno. Quartò, pauci, qui eam diſſeminauerunt, Apoſtoli Petrus, Paulns, Ioannes, Andreas, Philippus, Iacobus, &c. Quintò, oppugnatores, primò Iudæi, deinde Imperatores, & Reges. Sextò, tandem à Chriſto Chriſtiani ſunt appellati. Et ad hæreticorum diſtinctionem, qui etiam Chriſtiani dicebantur, dicti ſunt Catholici.

Hæretici verò peculiare nomem ab Hæreſiarcha, ſeu hæreſis adinuentore, ſingillatim acceperunt. Vnde ab Ebione dicti ſunt Ebionitæ, qui circa Apoſtolorum tempora Chriſti Diuinitatem negauit. Itaque huius peſtis auctor Ebion, fuit tempore Apoſtolorum, & ipſos Chriſti Apoſtolos oppugnatores habuit: propterea enim (vt libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis Hieronymus teſtatur) Euangelium ſcribens, à Chriſti Diuinitate initium ſumpſit Ioannes, dicens: *In principio erat Verbum, &c.* Contra id quod aſſerebat Ebion, Chriſtum ante Mariam non fuiſſe.

A Manicheo dicti ſunt Manichei, qui Chriſto phantaſticam

tri-

tribuebat humanitatem: poſt Apoſtolorum tempora cœpit, Apoſtolorumque diſcipulos habuit oppugnatores: Apoſtoli enim, Chriſtum, non ſolùm Dei filium, contra Ebionis & Cherinthi figmenta, prædicabant; ſed etiam verum hominem, contra Manichæi adinuenta, aſſerebant.

A Valentino dicti ſunt Valentiniani, qui corpus Chriſti dixit, non de Virgine ſumptum, ſed de cœlis aſportatum, cui etiam Apoſtolornm diſcipuli obſtiterunt, cùm à Chriſti Apoſtolis, de Virgine aſſumptum, didiciſſent.

Ab Ario dicti ſunt Ariani, qui, trecenteſimo poſt Chriſtum anno, noua in Chriſtum adinuenit figmenta, dicens, Chriſtum eſſe Filium Dei, non tamen Deum, ſed creaturarum præcipuam, eumque humanum corpus ſine anima aſſumpſiſſe, cui tamquam anima ineſſet. Effinxit hoc Arius, dum eſſet Alexandrinæ Eccleſiæ Diaconus, vt populi auram captaret; cui omnes ſancti eruditique viri, tunc temporis vigentes, obſtiterunt: Primò Petrus, eiuſdem Alexandriæ Epiſcopus, & exinde vniuerſa Chriſti Eccleſia, Silueſtro ſummo Pontifice, Conſtantino Magno Imperante, cogens Synodum in Nicæna vrbe; vbi ex decreto 318. Epiſcoporum, Arij hæreſis damnata eſt, ipſeque reſipiſcere nolens, à fidelium communione ſegregatus; & miraculosè, non ſolùm æterna, ſed temporali etiam vita, inteſtinis ex aluo diffluentibus, orbatus.

Sic ergo omnes hæretici propria denominatione ſuum hæreſiarcham loquuntur: hi dicti Ariani, illi Ebionitæ, hi Manichæi, illi Marcioniſtæ, &c. Veri autem Chriſtiani non vnius viri nouatoris figmenta ſequuntur, ſed Chriſti verba; propterea nō ab alio, quā à Chriſto, nomen accipiunt. Vnde Iuſtinus, inter Patres antiquiſſ. loquens de hæreticis in Tryphone, ſic inquit: *Et ſunt diſtincti cognominibus, denominati à quibuſdā viris, vt quiſq. fuit Auctor alicuius nouæ doctrinæ; & ex ijs alij vocantur Marcioniſtæ, alij Valentiniani, alij Baſilidiani, alij Saturniniani, alij alio vocabulo, quiſq. à primo inuentore ſui dogmàtis.* Simile dicit Irenęus lib. 1. c. 20. *Habent & vocabula à principe impijſſimæ ſententiæ Simone, dicti Simoniani.* Chryſ. etiā to. 3. in Acta Apoſt. hom. 33. poſt med. ſic ait: *Illi* (i. hæretici) *habent quoſdam, à quibus appellantur; prout enim hæreſiarchæ nomen, ita & ſecta vocatur.* Deinde ſignificans, veram Chriſti fidem profitentes, non ab alio, quàm Chriſto, denominationem accipere, hæc ſtatim ſubdit:

Na-

Nobis autem nullus vir nomen dedit,ſed fides ipſa. & verſus finem,ad quaſdam hæreticorum calumnias ſic reſpondit. *Quomodo? Numquid ſcindimur ab Eccleſia? Num hæreſiarchas habemus? Num ab hominibus cognomen accipimus? Nunquid nobis dux quidam eſt,ſicut illi Marcion,& illi Manichæus, huic Arius,alteri verò alius hæreſeos dux.*

Athanaſius ſimiliter loquitur,ſermone 2. contra Arianos. *Numquam populus ab Epiſcopis ſuis,ſed à Domino, in quem creditum fuit,nomen accepit; certè à Beatis Apoſtolis præceptoribus noſtris appellationes adepti non ſumus,ſed à Chriſto Chriſtiani ſumus,& nuncupamur; illi verò,qui aliunde originem ſuæ fidei deducunt,meritò auctorum ſuorum cognomenta præſeferunt. Quapropter, cum à Chriſto omnes Chriſtiani eſſemus, & diceremur; exploſus eſt Marcion inuentor hæreſeos: reliqui autem,qui remanſerunt,Chriſtiani titulum retinuerunt; qui verò Marcionem ſecuti ſunt,non iam inde Chriſtiani,ſed Marcioniſtæ appellati ſunt. Ita quoque Valentinus,Baſilides,Manichæus,& cæteri,ſectatoribus ſuis nomina impertierunt.*

Lactantius quoque eodem modo loquitur lib. 4. cap. 30. *Cum Marcionitæ, aut Ariani,nominantur,Chriſtiani eſſe deſierunt,qui Chriſti nomine amiſſo, humana & externa vocabula induerunt.*

Quia verò plurimæ fuerunt hæreſum ſectæ, ſua ſingillatim figmenta iactantes, & vnius viri cognomento gloriantes: qui integram ſeruabant & ſeruant Chriſti fidem, prout à Chriſto per Apoſtolos,& ſuccedentibus ſæculis, per Apoſtolorum diſcipulos acceperunt, ad ſignificandum, ſe non vnius aut alterius viri opinionem ſequi; ſicut hæretici peculiare nomen authoris accipiebant,illi communitatis nomen retinuerunt. Vnde Catholici dicti ſunt, oſtendentes,ſe communem Chriſti fidem profiteri, illam, quæ ab initio propoſita eſt; illam, quæ ab omnibus vera Chriſti fides habetur: Non autem illam, quam vel Marcion,vel Ebion,vel Arius,aut alius adinuenit: non illã, quam Chriſti fidem putant,vel ſoli Marcioniſtæ, vel ſoli Ariani,vel ſoli Manichæi,&c. non illam,quam libri Marcionis, aut Manichæi,aut alterius hæreſiarchæ docent, ſed illam, quam ipſamet Chriſti Euangelia,ipſiuſmet Chriſti, Apoſtolorum libri teſtantur, & Prophetarum, & ſanctorum, cæteræque veteris Teſtamenti paginæ loquuntur; & hi ſunt, qui iurè Catholico no-

nomine gloriantur: hoc enim proprium eſt veram Chriſti legẽ profitentis. Vnde Cyrillus Catecheſi 18. *Si iueris* (inquit) *in aliquam vrbem, non petas vbi ſit Eccleſia, vel domus Dei; nam etiam hæretici dicunt ſe habere domum Dei, & Eccleſiam; ſed petas vbi ſit Catholica Eccleſia: id enim nomen proprium eſt huius Sanctæ Eccleſiæ, matris omnium noſtrum.*

Itaque cognomentum hoc, Catholicum, contraponitur cuiuſcumque hæreſis cognomento; ſicut vniuerſale & commune contraponitur ſingulari. Vnde ait Pacianus, ad Sympronianum ſcribens: *Certè non eſt ab homine mutuatum, quod per ſæcula tanta non cecidit: Catholicum iſtud, nec Marcionem, nec Apellẽ, nec Montanum ſonat, nec hæreticos ſumit authores.* Et poſt pauca ſubdit: *Chriſtianus mihi nomen eſt, Catholicus verò cognomen: illud me nuncupat, iſtud oſtendit.*

Veri ergo Chriſtiani, non ab alio cognomen accipiunt, niſi à ſolo Chriſto; qui verò aliud cognomentum accipiunt à quocumque alio, eo ipſo fatentur, non priſtinam Chriſti legem profiteri, ſed nouam ſequi opinionem, iuxta cognomentum, de quo gloriantur. Hinc Hieronymus contra Luciferianos, in fine, ſic inquit: *Sicubi audietis eos, qui dicuntur Chriſtiani, non à Domino Ieſu Chriſto, ſed à quoquo alio nuncupari, vt Marcionitas, Valentinianos; ſcito non Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti eſſe ſynagogam.*

Ex his ergo clariſſimè patet, quinam veri ſint Chriſtiani: qui eam legem, quam Chriſtus tradidit, intemeratam cuſtodiant, & credant: Quinam verò noua figmenta ſectentur. Nempe illos, qui alterius nomine gloriantur, ſiue Arij, ſiue Eutychetis, ſiue Iacobi, ſiue Neſtorij, ſiue cuiuſcumque alterius; conſtat, vnius ex his opinionem loco Religionis aſſumpſiſſe, poſt Chriſtum ab eis effictam; non verò fidem profiteri, à Chriſto Apoſtolis & Diſcipulis, ante illorum hominum nouationes, prædicatam. Conſtat inſuper, illos veram Chriſti profiteri fidem, qui Apoſtolorum Chriſti veſtigijs inhærent, & prout ſacri ipſorum libri docent, & ſacra ipſorum verba docuerunt, profitentur. Vera enim lex Chriſti illa ſola eſt, & non alia; niſi illa, quam Chriſtus prædicauit, & ſtatuit. Chriſtus autem præcipuè Apoſtolos docuit: mundus verò primò, non ab alijs, quàm à Chriſti diſcipulis & Apoſtolis, veram Chriſti fidem accepit; & ſuccedentibus ſæculis, ab Apoſtolorum diſcipulis alij, & ab horum diſci-

pulis

pulis alij,& ſic deinceps hæc ſacra Chriſti ſoboles propagata eſt, ita vt vniuerſa ad Chriſtum, tamquam ad fontem, referatur.

Cæteri verò,qui particularium dogmata ſequuntur, non ad Chriſtum,tamquam ad caput,ſed ad hæreſiarchas,de quorum nomine cognomentum accipiunt, reducuntur, vt *A*riani principem habent *A*rium,eiuſque hæreſis *A*rius primus inuentor fuit. Marcioniſtæ,Marcionem ducem habuerunt,eiuſque hęreſis Marcion author extitit. Sic,qui modò Caluiniſtæ dicuntur, Caluinum principem habent, eorumque dogmata Caluinus effinxit. Sic etiam Lutherani,Lutheri doctrinam, non Chriſti fidem, ſequuntur. Et ſic de ſingulis. Vnde nomen ipſum declarat,quinam verè ſint Chriſti,quinam aliorum.

Ergo,dum Alchoranus de Chriſtianis benè loquitur, dicens, eos rectà ad Paradiſi gloriam tendere per Chriſti fidem, non eſt intelligendus de hæreticis, ad hoc, vt in eo verè loquatur: non de Arianis,qui non Chriſti, ſed Arij doctrinam ſequuntur: non de Neſtorianis,qui Neſtorium; non de alijs quibuſcumque, qui peculiarem aliquam cuiuſuis hæreſiarchæ opinionem ſectantur; ſed de his,qui Chriſti fidem,Catholicam, quam *A*poſtoli per totum Orbem,in vniuerſum,diſſeminauerunt, omnibus Chriſtianis communem,ſequuntur, & profitentur, quam ſacra vtriuſque Teſtamenti volumina loquuntur.

Qui autem Catholicam Chriſti fidem,ante Mahometi tempora,profeſſi ſint, ex his conuincitur. Illi nempe Patres, quos ſupra enumerauimus cap. 5. vbi oſtendimus, nullo tempore ſacras Scripturas fuiſſe adulteratas.

Patet etiam, Apoſtolorum Diſcipulos, qui non ab alio vmquam cognomentum deſumpſerunt, de ſolo Chriſti nomine glorian tes,integram Chriſti fidem profeſſos eſſe. Præcipuè autem, quia Petro Eccleſiæ Principatus & regimen fuit à Chriſto commiſſum, Petri ſucceſſores, pro tempore exiſtentes in Chriſti Eccleſia, qui Romani Pontifices fuerunt, patet,non ſolùm veram Chriſti legem fuiſſe profeſſos, verumetiam & profitentium omnium verè gubernacula rexiſſe; Petrique ſucceſſores à vera Chriſti fide excidere non potuiſſe: dixit enim Petro, prout in Lucæ Euangelio cap. 22.ſeu ſect.80. Chriſtus: *Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*. Et in Euangelio Matth.

cap.

cap. 16. ſeu ſect. 50. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues Regni cælorum: & quodcumq. ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*. Et Ioannis vltimo, ad Petrum etiam Chriſtus. *Paſce oues meas*.

Hæc autem poteſtas, dici non poteſt, decedente Petro, perijſſe; quia ſic Chriſtus Eccleſiæ non benè prouidiſſet, cùm Eccleſia duratura eſſet vſque in ſæculi finem, prout Matth. vltimo ipſe Chriſtus teſtatur, dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi*. Et ipſi Eccleſiæ, vſque ad ſæculi finem duraturæ, non niſi quamdiu Petri vita duraret, Paſtoris regimen tribuiſſet. Ergo Petri poteſtas, quæ in Eccleſiæ vtilitatem & regimen à Chriſto inſtituta eſt, tamdiù durare debet in Eccleſia, quamdiù eſt ipſa Eccleſia duratura. Quæ certè negari non poteſt, quòd vltra Petri vitam protendi deberet; nam Chriſtus, præter dicta etiam in vltima cœna, vt Ioann. cap. 17. ſeu, prout in textu Arabico, ſect. 37. refert, ſic Patrem præcabatur. *Non pro eis rogo tantùm* (id eſt pro Apoſtolis & diſcipulis, tunc viuentibus, de quibus loquebatur) *ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me*. Hi ergo, qui certè plurimi extiterunt, & per verbum Apoſtolorum in Chriſtum crediderunt, poſt Petri mortem, ſi non omnes, complures certè ſuperſtites fuerunt, cùm Petri vita à Chriſti morte, trigeſimum annum non exceſſerit: mortuo igitur Petro, ſine regimine Chriſti Eccleſia fuiſſet; quod Chriſti prudentiæ non eſt conſentaneum. Ergo omninò dicendum eſt, Petri poteſtatem in Eccleſia ſemper duraturam; vt ſcilicet poſſet, Petri ſucceſſores in ſui regimen eligere, in quibus eadem Petri poteſtas vigeret.

Ita ergo factum eſt, & ſuccedentibus ſibi inuicem ſæculis, decedentibus è Petri cathedra ſingulis ſingillatim ſucceſſoribus, ad eadem gubernacula tenenda alium ſemper loco decedentis ſubſtituit. Vniuerſa autem Eccleſia, talem Chriſti adminiſtratorem in terris agnoſcens, Catholica ſemper dicta eſt; eam fidem, quam à Chriſto pér Apoſtolos acceperat, & in ſacris vtriuſque Teſtamenti paginis didicerat, ſemper incolumem ſeruans: & ne à quoquam fœdaretur, ſemper inuigilans. Propterea, dum aliquis, vel imperitus, uel ſuperbiæ faſtu tu-

meſcens, aut peruicax homo, aliquid innouare præſumpſiſſet, quod Scripturarum ſenſui aut Apoſtolorum documentis non benè conueniret, illicò vt obſiſteret perſpiciebat.

Hinc Sanctorum conuentus: hinc Doctorum cœtus: hinc ſanctorum Patrum Concilia. Summus enim Pontifex, Petri ſucceſſor, Eccleſiæ regimen adminiſtrans, ſanctos eruditoſque viros, dum talia acciderent, aut hæreſis inſurgeret, conuocabat; vt ſanctitas plurium, doctrinæ eruditionique coniuncta, errorem corrigeret, aut peruicaciam redargueret alicuius: ne vnius labes perditio euaderet plurimorum. Atque ſancti Patres, in vnum cõuenientes, de re propoſita cognoſcebant, An ſacris Scripturis, aut Apoſtolorum doctrinæ, repugnaret, an conueniret: & ita ſacra Conciliorum decreta ſtatuebantur.

Vnde, ſi vnius eruditi ſanctique Patris Chriſtiani, veram Chriſti legem profitentis, teſtimonium, ex Alchorani præſcripto, Mahometani ſuſcipere debent; quanto magis decreta plurimorum, ſimul in Chriſto in vnum conuenientium? Ergo non ſolùm ſancti Patris authoritas, verumetiam & authoritas Conciliorum eſt Mahometanis ſuſcipienda: eorum, qui veram Chriſti fidem profeſſi ſunt: non Hæreticòrum, ſed eorum, qui Catholici dicuntur.

Qui verò ſint Catholici, & veram Chriſti fidem profiteantur, ex dictis facilè dignoſcitur. Nempe illi, qui Chriſtum Dei filium confitentur, non verò qui Chriſti Diuinitatem inficiantur. Hoc autem patet etiam ex ipſo Alchorano, qui سورة التوبة cap. *De pœnitentia*, ſeu *De gladio*, aliquanto poſt initium, longiùs ante medium, pag. mihi 186. de Chriſtianis ſic loquitur.

وَقَالَتِ النَّصَارَى الْمَسِيحُ ابْنُ اللَّهِ ۞

Ideſt. *Et dicunt Chriſtiani, Chriſtus eſt filius Dei*. Et quidē quando Chriſtiani, ſic abſolutè dicuntur, de veris Chriſtianis ſenſus eſt: ij uerò ſunt, qui Chriſtum Dei filium profitentur. Nec ſolùm Alchoranus, eiuſmodi, Chriſtianos abſolutè, nominat;

minat; ſed alij etiam Mahometani, vt conſtat ex libro Chamus, cuius author, in dictione ولد, inter eius deriuata, verſus finem, ſic inquit:

ومنه قول الله عز وجل لعيسى صلى الله عليه وسلم انت ابني و انا ولدتك اي ربيتك وقالت النصارى انت ابني وانا ولدتك ۞

Ideſt: *Exinde dictum Dei excelſi ad Ieſum, cui ſint orationes Dei, & pax. Tu es filius meus, & ego genui te: ideſt, alui te. Dicut autẽ Chriſtiani, Tu es filius meus, & ego genui te.* Itaque hic *A*uthor, inter Mahometanos celeberrimus, illos ſimpliciter Chriſtianos appellat, qui Chriſtum verum Dei filium, & verè à Deo genitũ profitentur. Conſtat etiam ex *A*lchorano, non poſſe veros dici Chriſtianos, eos, qui Chriſti fidem, non iuxta Euangelia profitentur: Dicit enim Euangelia eſſe ſacra Dei eloquia Chriſti fidem docentia. Ergo, qui non iuxta Euangelia, Chriſti fidem profitentur, & Chriſtiani dicuntur, veri Chriſtiani non ſunt. Sed illi tantummodo verè Chriſtiani ſunt, qui, ſecundùm Chriſti Euangelia, eam religionem ſuſcipiunt. Et propter rei euidentiam, quia nulla poſſet tergiuerſatione cælari, repetit illud etiam Alchoranus س المايدة cap. *De Menſa*, circa medium, ſic dicens.

يا أهل الكتاب لستم على شيء حتى تقيموا التورية والانجيل ۞

Ideſt: O *Scripturarij*, ſcilicet (ſecundùm ſenſum quorumdam Mahometanorum) *ò Mahometani, Iudæi, & Chriſtiani* (& ſecundùm ſenſum aliorum) *O Iudæi & Chriſtiani, veſtra fides nulla eſt, niſi magnificaueritis Torà & Euangelium*. Et quidem

 ad

ad verbum ſic ſonant: *O Scripturarij, non eſtis circa aliquid; ſeu ſuper rem aliquam, vſque dum ſubſiſtere faciatis Torà & Euangelium*. ſcilicet, Non eſtis vos quicquam, niſi fidem veſtram iuxta Torà & Euangelij ſenſum direxeritis. Et cap. 2. cui titulus سورة البقرة *De Vacca*. pag. mihi 18. ſic loquitur Alchoranus:

أَلَّذِينَ آتَيْنَاهُمُ الْكِتَابَ يَتْلُونَهُ حَقَّ تِلَاوَتِهِ أُولَئِكَ يُؤْمِنُونَ
بِهِ وَمَنْ يَكْفُرْ بِهِ فَأُولَئِكَ هُمُ الْخَاسِرُونَ ۞

Ideſt: *Illi, quibus dedimus ſacram Scripturam, & accipiunt in vero ſenſu eius, illi ſunt qui credunt in eam: & qui non credunt in ſacram Scripturam, illi præuaricatores ſunt, ſeu damnandi*. Dicatur ergo, & arguantur etiam ab inimicis Chriſtianorum Hæretici & Schiſmatici, reprehendantur etiam ex verbis Alchorani, obijciantur eorum contumaciæ verba quoque Mahometi. O vos qui non ſuſcipitis Torà & Euangelium: qui non creditis ſacræ Scripturæ verbis: ſcitote, quia nihil eſtis: veſtra fides nulla eſt. Sed quinam fideles erunt? Attendite quid nam reſpondeant Chriſtianorum hoſtes: iuxta illud Moyſi Deuter. 32. num. 31. *Et inimici noſtri ſunt iudices*. Audite ſententiam, quam profert ipſemet Alchoranus & Mahomet vbi ſupra: *O Scripturarij, veſtra fides nulla eſt, niſi ad Torà & Euangelij regulam direxeritis eam*. Et altero loco mox allegato: *Qui habent Dei Scripturas, eiſque fidem adhibent, hi ſunt fideles*. Pagani igitur non ſunt fideles, quia Dei ſcripturas non habent: Mahometani non ſunt fideles, quia Dei ſcripturas non habent; ſed ſuſceperunt impoſturas pro ſcripturis: Iudæi, Hæretici, & Schiſmatici, non ſunt fideles, quia, quamuis ſacras Dei Scripturas habeant, ipſas nolunt agnoſcere, nec ipſis credere. Soli itaque illi, qui adæquatè omnes Dei Scripturas ſuſcipiunt, venerantur, & credunt, ij dumtaxat fideles ſunt, veri Chriſtiani, qui credunt his quæ dicuntur in Torà, & Prophetis, cæteriſque libris ad Teſtamentum Vetus pertinentibus, & Euangelijs alijſque ſacris paginis ſpectantibus

bus ad Teſtamentum Nouum. Hi autem non ſunt Ariani, non Ebionitæ, non Neſtoriani, aut alij Hæretici; ſed ſoli qui Catholici dicuntur, ſeu ij, qui ſub Romano Pontifice Chriſti fidem profitentur. Ergo ij tantùm veri Chriſtiani ſunt.

Confirmatur, quia ij tantùm Apoſtolorum doctrinam ſequuntur, per quos tantùm vera Chriſti fides in alios deriuata eſt à Chriſto. Ergo ij ſolùm veri Chriſtiani ſunt. Antecedens patet, quia ij tantùm, Pauli, Petri, Ioannis, Iacobi, Thaddæi, Chriſti diſcipulorum Epiſtolas ſuſcipiunt, in quibus Sacroſancta Trinitas, & Chriſti Diuinitas, pluries celebrantur. Cæteri verò non ſuſcipiunt, cùm vel Chriſti Diuinitatem, vel Diuinam Perſonarum Trinitatem negent. Ergo, patet conſequentia, Quia ſi veram Chriſti fidem prædicantium verba non ſuſcipiunt, non poſſunt ipſam veram fidem ſuſcipere. Nec poteſt dici, aliundè ſuſcepiſſe, quia non aliundè ſuſcipi potuit. E contra autem ſuſceperunt hæreticorum nouationes, quas Apoſtoli non docuerunt, nec Chriſtus. Ergo, dici non poteſt, legem eos profiteri veram Chriſti.

SECTIO III.

Sacroſancta Trinitatis Fidem, ab Apoſtolis vſque ad hæc tempora, ſemper in vera Chriſti Eccleſia viguiſſe.

SEd, ad rem ipſam deuenientes, oſtendamus, per veram Chriſti legem Sacroſanctæ Trinitatis myſterium prædicari. Quia ergo vera Chriſti fides alia non eſt, niſi ea, quam Chriſtus Apoſtolis, & per Apoſtolos vniuerſo mandauit Orbi: ſi probauerimus, Chriſtum, & Apoſtolos; deinde, & Apoſtolorum Diſcipulos, Diuinæ Trinitatis myſterium prædicaſſe: iam exinde probatum erit, veram Chriſti fidem Diuinarum Perſonarum Trinitatem confiteri.

Et quidem de Chriſto iam ſupra probatum eſt, ipſummet Diuinarum Perſonarum Trinitatem reuelaſſe, in præallegatis ex Scriptura locis: Imò Deum ipſum per os Prophetarum ſignificaſſe, demonſtratum eſt, ex iiſdem locis ſacrarum Scripturarum.

Apoſtoli autem, & Chriſti Diſcipuli, qui immediatè eius doctrinam exceperunt, fuerunt, Petrus, Ioannes, Andreas, Matthæus, Philippus, Thomas, duo Iacobi, maior & minor, Simon, & Thadæus, Bartholomæus, Matthias, & exinde Paulus. Hi, cum alijs quibuſdam Chriſti diſcipulis, per totum Orbem Chriſti legem diſſeminauerunt, prout à Chriſto didicerant, & per Spiritum ſanctum imbuti fuerant. Quòd ſi quis Mahometanorum velit contendere, hos Chriſti Diſcipulos, non veram Chriſti legem, ſed mendacium aliquod, prędicaſſe: deſtruent etiã prima principia, & fundamentum ipſiuſmet Alchorani, qui, Chriſti legem Chriſtianos ad Paradiſi gloriam perducere, confitetur: quod, ſi non intelligatur de Chriſti fide, prout Apoſtoli prædicauerunt; non erit Chriſti fides, de qua intelligi poſſit: & falſum erit illud Alchorani, Chriſtianos ſalutis terminum adeptos. Apoſtoli igitur, Trinitatis myſterium, vt ſupra probatum eſt, aſſeruerunt: Matthæus enim te-

ſta-

ſtatur in ſuo Euangelio, ſimiliter Lucas, & Marcus; Ioannes in Euangelio, in Epiſtolis, in Apocalypſi; Petrus in Epiſtolis, ſimiliter & Paulus in ſuis, & alij vbi ſupra: Quæ hic non ſunt repetenda. Supereſt tantũ, vt Apoſtolorum Diſcipulos, & eos qui à Diſcipulis didicerunt, ſecundum ſæculorum ſeriem, adiunctis Conciliorum authoritatibus, pro temporum ſucceſſione celebratorum, audiamus: vt palam fiat, fidem de Diuinarum Perſonarum Trinitate, à Chriſti Diſcipulis vſque ad hæc tempora, per Apoſtolorum ſucceſſores Sanctoſque viros, in Eccleſia propagatam fuiſſe.

SECTIO IIII.

Sanctorum Conciliorum & Patrum authoritates pro Sacroſancto Trinitatis Myſterio.

PRæcipui Patres ſanctique viri, qui immediatè Chriſti fidem ab Apoſtolis didicerunt; fuerunt, Dionyſius Areopagita Pauli diſcipulus, Clemens auditor Petri, Ignatius Ioannis, & alij. Hos ergo audiamus.

Clemens, Diſcipulus Petri, lib 8. Conſtitut. cap. 16. dicit Patrem ſine medio Filium genuiſſe ante omnia. Et cap. 17. explicans Triſagium, Sanctus, Sanctus, Sanctus: dicit: *Sanctus Deus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus ſanctus.* Et cap. 18. in fine, ad Deum ſermonem vertens, ſic inquit. *Tibi omnis gloria, & bonor, & adoratio, Filio, & Spiritui ſancto: & nunc, & ſemper, & in omnia ſæcula ſæculorum.*

Dionyſius Areopagita, Pauli Diſcipulus, lib. de Diuinis nominibus, cap. 1. ſic loquitur. *Itaque in omni fermè Theologica tractatione ſummam Diuinitatem ſanctè celebrari viderimus, vt ſingularem quidem atque vnicam, propter ſimplicitatem & vnitatem illam impartibilem; vt Trinitatem verò, propter ſupereſ-*

ſen-

ſentialis fœcunditatis, in ſuppoſitis tribus, expreſſionem.

Sanctus Ignatius, Ioannis Apoſtoli Diſcipulus, qui pro ea fide, quam profitebatur, etiam vitam profudit, in Epiſtola ad Philippenſes. *Non in vnum*, ſcribit, *Trinominem, neque in tres incarnatos, ſed in tres, eiuſdem honoris, credendum*. Et infra. *Illud, ſi filius Dei es, ignorantiæ argumentum eſt: ſi enim reuera agnouiſſes, ſciuiſſes*. Et in Epiſtola ad Polycarpum, condiſcipulum & Ioannis auditorem. *Expecta*, inquit, *Chriſtum, filium Dei, in tempore, qui omni tempore caret; palpabilem, omnemque contactum refugientem, vtpotè incorporeum.* Et in Epiſtola ad Antiochenos. *Abijcite*, inquit, *omnem Gentilem, & Iudaicum errorem; vt nec multitudinem introducatis deorum; nec, prætextu vnius Dei, negetis Chriſtum. Moyſes enim Dei famulus fidelis, dicens: Dominus Deus tuus vnus eſt, & vnum, & ſolum prædicans Deum, continuò confeſſus eſt & Dominum noſtrum, dicens: Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham, à Domino, ignem & ſulphur*.

Sanctus Martialis, eorum tempore vigens, qui & ipſiuſmet Chriſti diſcipulus extitiſſe dicitur, Epiſtola 1. ad Burdegalenſes cap. 20. ſic ait. *Nihil diſcretum in Diuinitate Trinitatis ſentiatis*. Et poſt pauca. *Et hæc, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus; in Perſonis, tria diuiſa: in Diuinitate, vnus Deus indiuiſus eſt*.

Prædictos ſequuti ſunt, vſq. ad ducenteſimum à Chriſto nato annum, Iuſtinus Martyr, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Athenagoras, & alij.

Iuſtinus, lib. de recta Fidei explicatione, in principio. *Vnus* ait, *reuera eſt vniuerſitatis huius Deus, qui in Patre, Filio, & Spiritu ſancto, agnoſcitur. Cum namq. ex ſubſtantia ſua Pater Filium genuerit, atque ex eadem Spiritum produxerit; iure optimo, quæ vnam habent eamdemque eſſentiam, vna atque eadem dignantur Diuinitate*.

Sanctus Ireneus lib. 3. cap. 6. ſic loquitur. *Neque igitur Dominus, neque Spiritus ſanctus, neque Apoſtoli, Eum, qui non eſſet Deus, definitiuè, & abſolutè Deum nominaſſent aliquando, niſi eſſet verus Deus; neque Dominum appellaſſent aliquem ex perſona ſua, niſi qui dominatur omnium, Deum Patrem, & Filium eius*. & infra: *Verè igitur cùm Pater ſit Dominus, & Filius verè ſit Dominus, meritò Spiritus ſanctus, Domini appellatione*

tione, ſignauit eos. Et lib. 3. cap 8. *Is quidem qui omnia fecit cum Verbo ſuo, iuſtè dicitur Deus, & Dominus ſolus: quæ autem facta ſunt non iam eiuſdem vocabuli percipibilia eſſe, neque iuſtè id vocabulum ſumere debere, quod eſt Creatoris.* Et lib. 1. cap. 2. *Eccleſia accepit eam fidem, quæ eſt in vnum Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cælum, & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt: & in vnum Ieſum Chriſtum Filium Dei, incarnatum pro noſtra ſalute: & in Spiritum ſanctum.*

Athenagoras, in Apologia ad Antoninum, ſic loquitur: *Filius Dei, ratio, & Verbum eſt Patris, in forma & efficacia. Ab ipſo namque, & per ipſum, facta ſunt omnia: quòd vnum ſit Pater, & Filius; & quòd Filius ſit in Patre, & Pater in Filio.* Et infra: *Primum germen Patris eſt Filius, non tamquam factum: à primordio enim Deus, mens æterna exiſtens, habuit in ſe ipſo rationem, & Verbum.* Et infra: *Quis igitur non obmuteſcet, ſi Atheos vocari nos audiat, qui dicimus Deum Patrem, & Filium Deum, & Spiritum ſanctum, illorum & in vnione virtutem, & in ordine diſtinctionem, demonſtrantes?* Et longiùs poſt prædicta: *Vt æquali honore & poteſtate, cognoſcamus Deum, & Verbum eius, & Spiritum ſanctum.*

Clemens Alexandrinus lib. 1. Pedagogi cap. 6. ſic ait: *Sed eum Filium, cùm Deus eſſet, nihil didiciſſe, fuit conſentaneum. Neque enim quis Verbo maior fuerit, ſed neque magiſter, aut doctor eſt eius, qui ſolus eſt magiſter. An non ergo vel inuiti fatebuntur, Verbum perfectum ex perfecto Patre natum?* Et lib. 3. c. vlt. in fin. *Laudemus vnum Patrem, & Filium, vnà cum ſancto Spiritu, qui vnus eſt omnia, in quo omnia, per quem omnia, qui eſt vndequaque bonus, vndequaque pulcher, vndequaque ſapiens, vndequaque iuſtus, cui gloria nunc, & in ſecula ſeculorum, Amen.*

Hos ſequuti ſunt alij, ipſorum diſcipuli, & in primis Origenes Adamantius, prædicti Clementis diſcipulus, Gregorij Thaumaturgi magiſter, qui circa 200. à Chriſto annum floruerunt. Origenes ergo libro 7. in Epiſtol ad Romanos cap. 9. ſic inquit: *Miror quomodo quidam, legentes quod Apoſtolus dicit: Vnus Deus Pater, ex quo omnia, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, negent Filium Dei Deum debere*

profiteri, ne duos Deos dicere videantur. Et quid de hoc loco Apoſtoli facient, in quo apertè Chriſtus ſuper omnia Deus eſſe præſcribitur? Sed non aduertunt, qui hæc ita ſentiunt, quòd ſicut Dominũ Ieſum Chriſtum non ita vnum eſſe Dominũ dixit, vt ex hoc, Deus Pater non eſſe Dominus, dicatur: ita etiam Deum Patrem non ita vnum Deum eſſe dixit, vt Dei Filius Deus non credatur. Vnus autem vterque eſt Deus. Deinde ſubdit: *Qui autem eſt ſuper omnes, ſupra ſe neminem habet: non enim poſt Patrem Filius, ſed de Patre.* Et infra: *Manifeſtè oſtenditur natura Trinitatis, & ſubſtantia vna, quæ eſt ſuper omnia.* Hæc Origenes.

Gregorius Thaumaturgus, eius diſcipulus, Neocæſarenſis Epiſcopus, in confeſſione Fidei, quæ apud Gregorium Nyſſenum extat, oratione in eundem Gregorium Thaumaturgum, & in Concilijs ante quintam Synodum, & apud Euſebium ex verſione Rufini, lib. 7. hiſt. c. 25. dicit, Verbum Dei eſſe verum Filiũ veri Patris, Deum ex Deo, inuiſibile ex inuiſibili, æternum ex æterno. Et addit: *Trinitas perfecta, maieſtate, æternitate, & regno, minimè diuiditur.* Rurſus. *Neque ſeruiens quid, neque factum, neque addititium in Trinitate reperitur.*

Circa 200. Domini annum, Sanctus Dionyſius, Alexandrinus Epiſcopus, fuit apud S. Dionyſium, ſummum Pontificẽ, à calumniatoribus quibuſdam accuſatus: quòd Dei filium creaturam dixiſſet: ipſe verò, de calumnia ſe purgans, ſcripſit apologiam, ex qua S. Athanaſius, in epiſtola De ſententia Dionyſij Alexandrini, inter cætera hæc refert: *Iam quia ſplendor eſt æternæ lucis, omnibus modis ipſe quoque æternus eſt.* Deinde: *Hoc pacto vnitatem, quæ indiuiſibilis eſt, in Trinitatem dilatamus; & Trinitatem, quæ diminui non poteſt, in vnitatẽ conſummamus: & tamen ſcilicet accuſamur, quaſi qui dicamus, Filium, vnum eſſe ex numero rerum factarum, & nequaquam Patri ſuo conſubſtantialem.* Deinde: *Oſtendo falſum eſſe crimen, quo mihi obijciunt, quòd, Chriſtum Deo conſubſtantialem eſſe negem.*

Idem Athanaſius, in eadem epiſtola De ſententia Dionyſij Alexandrini, & in epiſtola De decretis Nicænæ Synodi, poſt medium, S. Dionyſij Romani Pontificis, hæc verba refert: *Audio, quoſdam apud vos, Diuini verbi magiſtros, huius ſententiæ profeſſores, qui ex diametro, vt ſic dicam, pugnant cum placitis Sabellij:*

ille

ille enim cum blaſphemia dicit, Filium eſſe Patrem, Patremque Filium: iſti autem quodammodo tres Deos conſtituunt, dum in tres ſubſtantias alienigenas, ſãctam vnitatem diſpartiuntur. Vniri enim, neceſſe eſt, omnium Deo Dei Verbum, & in eodem hærere verſariq. Spiritum ſanctum: & ſanctam Trinitatem in vnum omnium rerum Deum omnipotentem, velut in verticem & principem conſummari & coaleſcere. Marcionis enim vaniloqui doctrina, ſectionem diuiſionemq. Monarchiæ, in tres principatus, inſtituit; ſed diabolica inſtitutio eſt, non autem verorum Chriſti Diſcipulorum. Illi enim, vt Trinitatem prædicari à Sacris literis planè ſciunt; ita tres eſſe Deos, à veteri, aut à nouo Teſtamento, induci nequaquam, agnoſcunt. Cæterùm non minùs culpaueris eos, qui filium Dei opus credunt, & factum Dominum opinantur; cùm ſacra eloquia generationem ei congruentem, non formationem aut creationem, tribuant. Et infra: *Non igitur diuidenda eſt in tres Deitates admirabilis & Diuina Vnitas, neque ſub nomine creationis minuenda eſt Dignitas & immenſa Maieſtas.* Et infra: *Ita & Diuina Trinitas Vnioque Monarchiæ conſeruari poterit.*

Sanctus Cyprianus, Carthaginienſis Epiſcopus, vir pari ſanctitatis & eruditionis celebritate clariſſimus, circa Domini annum 250. in tractatu *De Idolorum vanitate*, poſt medium: Chriſtum Deum confitetur, & Dei filium. Similiter lib. De bono patientiæ, in fine. Item lib. 2. Teſtimoniorum aduerſus Iudæos, ad Quirinum. c. 6. & c. 9. & alibi. Sermone quoque De Spiritu ſancto, eum Deum confitetur, aliquanto poſt initium, ſic dicens: *Hic Spiritus ſanctus, ab ipſo mundi initio, aquis legitur ſuperfuſus.* Et poſt pauca. *Huius ſempiterna virtus, & diuinitas, &c.* Sermone autem De Baptiſmo Chriſti, & manifeſtatione Trinitatis; circa medium, tres omnes ſimul Diuinas perſonas profitetur his verbis: *Adeſſe ſe tantis myſterijs, & præſentiam ſuam dignoſci, dignata eſt ſempiterna Diuinitas; cæliſque apertis, in ſpecie columbæ Spiritus ſanctus ibi ſeipſum oſtendens, & intelligi voluit & videri; & quietiſſimo elapſu adueniens, ſuper Chriſtum quieuit, & manſit.* Et poſt pauca. *Sed & vox Patris audita eſt cælitus: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite.* Deinde ſermonem ad ipſum Patrem vertens: *Teipſum*, inquit, *non ita, ante hoc tempus, loquutum audiuimus, vt perſonaliter tibi aſſignetur loquutio, quam profer-*

res. Hanc vocem à Paternitate tua delatam, nemo eſt qui ambigat; non eſt qui ſibi hoc verbum audeat arrogare, non eſt in cæleſtibus agminibus, qui Dominum Ieſum, ſuum audeat Filium nominare. Certe tibi ſoli nota eſt Trinitas; & ſolus Pater ſcit Filium, & Patrem nouit Filius, nec à quoquam, niſi eo reuelante, eſt cognitus. In hac Diuini magiſterij ſchola, Pater eſt qui docet & inſtruit; Filius, qui arcana Dei nobis reuelat & aperit; Spiritus ſanctus, qui nos replet & imbuit. A Patre potentiam, à Filio ſapientiam, à Spiritu ſancto accipimus innocentiam. Pater eligit, Filius diligit, Spiritus ſanctus coniungit & vnit. A Patre nobis datur æternitas, à Filio imaginis eius conformitas, & à Spiritu ſancto integritas & libertas. In Patre ſumus, in Filio viuimus, & in Spiritu ſancto mouemur & proficimus.

Circa annum Domini 250. Romæ, ſub Cornelio Papa, contra Nouatum celebratum eſt Concilium 60. Epiſcoporum, totidē Presbyterorum, cum Diaconibus multis; in quo, præter ſtatuta contra Nouatianos, communi omnium confeſſione Sacroſanctum Trinitatis myſterium fuit conclamatum.

Poſt hæc circa Chriſti annum 300. attollens ſuperbiæ caput Arius, in Filium Dei os ſuum poſuit, illum aſſerens creaturam. Vnde, ne error veritatis locum occuparet, prouidens Eccleſiæ vigilantia; Sanctorum, eruditorumque virorum, Concilium Nicæam conuocauit, illòque 318. Epiſcopi conuenerunt, vbi & Imperator Conſtantinus adfuit: non, vt in tuo libro videris aſſerere, vt noua iuberet, & in Fidei myſterijs nouationem faceret: ſed, vt eam fidem, quam à Chriſto acceptam Apoſtoli prædicauerant, ſanctique Patres vſque ad illa tempora cuſtodierant, ab Arij, cæterorumque Hæreticorum labe incolumem ſeruaret. Itaq. ſacra Synodus conuenit, non ad nouationem faciendam, ſed ad nouationem impediendam. Idque patet ex decretis ipſis Concilij, & ex Oratione, quam habuit Euſtathius ad Imperatorem & Patres, in qua hortatur Imperatorem, non ad noua præcipienda, ſed ad priſtinam Apoſtolorum fidem tuendam. Omnes autem ſancti viri illi, qui conuenerant, eamdem, quam ab initio Apoſtoli prædicauerant, fidem profeſſi ſunt. Vnde & Symbolum compoſuerunt de Vniuerſis Chriſtianæ fidei myſterijs, vt breuibus facilè memoria tenerentur: illudque ſymbolum recitat Ruffinus, libro decimo hiſtor. capite ſexto, ac tale eſt.

Credo

Credo in vnum Deum *Patrem omnipotentem,&c. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum Filium* Dei *vnigenitum,& ex Patre natum ante omnia ſæcula. Deum de* Deo*, lumen de lumine, Deum verum de* Deo *vero. Genitum,non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, &c. incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus,&c.* Deinde: *Et in Spiritum ſanctum* Dominum, *qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, &c.* Vnde patet, hoc ſacrum Concilium, & Imperatorem Conſtantinum, non noua effinxiſſe, ſed quæ prius Apoſtoli, & alij ſancti viri, Patres, & Doctores aſſeruerant, confeſſos eſſe: non Apoſtolorum ſententiam; ſed Arij, Sabellij, & Photini,aliorumq. nouatorum hæreſes damnaſſe;eamq.legem,quã ſacræ vtriuſque Teſtamenti paginæ loquuntur, profeſſos eſſe.

Fuit autem eruditiſſimis & ſanctiſſimis viris florentiſſima hæc ætas, tàm Græcis Patribus,quàm etiam Latinis: hac enim tempeſtate lilium illud protulit Alexandria, quod quamuis omni tempore perſecutionum ſpinis pungeretur;tamen, ad inſtar cæleſtis illius ſponſæ,magis ac magis ſemper,ſicut candore ſanctitatis enituit,pari cæleſtis odore doctrinæ redoluit: Athanaſius inquam,qui toto Orbe,impiorum Arianorum rabie agitatus; numquam tamen à veritatis ſemita potuit auelli. Hic ſanctus Doctor, præterquam quod quinque longiſſimos ſermones contra Arianos, Diuinitatis Chriſti inficiatores, ſcripſerit, & omnem ſuorum operum ſcopum eò direxerit, vt *Arianorum* peſtem aboleret: Symbolum elegantem compoſuit,in quo breuiter omnia Chriſtianæ fidei myſteria clariſſimè complectitur, in quo Perſonarum diſtinctionem,in eadem Diuina natura ſubſiſtentium, perſpicuè declarat: inſuper & Chriſti perſonam in duabus naturis, Diuina & Humana,ſubſiſtentem, agnoſcit, & profitetur. Dicit enim: *Fides Catholica hæc eſt, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate, veneremur. Neque confundentes Perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes. Alia eſt enim Perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti. Sed Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Vna eſt Diuinitas, æqualis gloria, coæterna Maieſtas.* Deinde: *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus. Et tamen non tres Dij, ſed vnus eſt Deus.* Deinde de perſonis ſingillatim. *Pater,* inquit, *à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus.*

Fi-

Filius à Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus; ſed genitus. Spiritus ſanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus; ſed procedens. Deinde, oſtendens fidem in Sanctam Dei Trinitatem eſſe ad ſalutem neceſſariam, hæc ſubdit: *Qui vult ergo ſaluus eſſe, ita de Trinitate ſentiat.* Quia verò ſola hæc fides non ſufficit, niſi etiam Verbi Incarnatio, & Chriſti Diuinitas aſſeratur; propterea ſubiungit: *Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, vt Incarnationem quoque Domini noſtri Ieſu Chriſti fideliter credat. Eſt ergo fides recta, vt credamus & confiteamur: quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Dei filius, Deus & homo eſt. Deus eſt, ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus; & homo eſt, ex ſubſtantia Matris in ſæculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo: ex anima rationali, & humana carne, ſubſiſtens.* Deinde: *Qui licèt Deus ſit & homo; non duo tamen, ſed vnus eſt Chriſtus. Vnus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed vnitate Perſonæ.* Deinde ſubiungit, de Paſſione, Deſcenſu ad inferos, Reſurrectione, Aſcenſione eius ad cælos, & tandem de Iudicio, quando iudicaturus eſt, in fine Orbis, vniuerſas rationales creaturas.

Baſilius etiam hac tempeſtate viguit; verè baſis, tàm ſanctitatis, quàm ſapientiæ; qui, non ſolùm compluribus in locis trium diſtinctarum perſonarum eamdem Diuinitatem confitetur; vt Homilia de Spiritu ſancto, & Sermone ſeu Homilia contra Sabellianos, & Arianos, & Anomæos; & quinque libris, quos contra Eunomium, Arianæ hæreſis ſectatorem, conſcripſit.

Series Patrũ antiquorum, S. Trinitatem aſſerentium, à Baſilio texitur.

Sed & libro De Spiritu ſancto ad Amphilochium, texit præterea ſeriem ſanctorum Patrum, qui ſucceſſiuè, ab Apoſtolis vſque ad ſua tempora (ſicut nos modò, ab Apoſtolis vſque ad noſtram hanc tempeſtatem, ſeriem teximus) ſacroſanctæ Trinitatis myſterium aſſeruerunt. Dicit ergo Baſilius, capit. 29. eiuſdem Tractatus ad Amphilochum, de Spiritu ſancto, ſub initium capitis: *Arbitror autem Apoſtolicum eſſe.* Et infra: *Quòd ſi etiam temporis diuturnitatem, pro nobis facientem, vobis euidenter oſtenderimus, an non videbimur vobis probabilia dicere? Veneranda ſunt enim vetuſta dogmata, quòd ob antiquitatem, ceu caniciem quamdam, habeant quicquam reuerendum. Enumerabo itaque vobis huius ſermonis authores. Simul autem æſtimatur in eo, quòd tacetur etiam tempus. Neque enim ex nobis*

bis primùm cœpit impetus. Deinde: *Irenæus ille, & Clemens Romanus, & Alexandrinus Dionyſius. Tranſcribam autem vobis ipſa hominis verba. His (inquit Dionyſius Alexandrinus in Epiſtola ad Dionyſium Romanum Pontificem, in fine) congruenter & nos etiam, forma regulaque à ſenioribus, qui ante nos vixerunt, accepta, concordibus vocibus cum illis gratias agere, hac nunc etiam vobis ſcribere deſinemus: Deo autem Patri, & Filio Domino noſtro Ieſu Chriſto, cum ſancto Spiritu, gloria, & imperium, in ſæcula ſæculorum, Amen*. Poſt hæc relata ex Dionyſio, ſtatim ſubdit Baſilius: *At hæc, nequaquam dicere poſſet aliquis, à Scriptoribus eſſe mutata. Neque enim ita ſermonem produxiſſet: formam ac regulam ſe à maioribus accepiſſe: & illud erat, quod egebat excuſatione*. Deinde ſequitur Baſilius: *Sed & Clemens antiquior: Viuit, inquit, Deus & Dominus Ieſus Chriſtus, & Spiritus ſanctus*. Deinde ſtatim annectit Irenæum. *Irenæus autem ille, qui vicinus fuit Apoſtolorum temporibus, quomodo mentionem Spiritus faciat. diſputans aduerſus hæreſes, audiamus. Eos verò, inquit, qui effrænes deferuntur ad ſuas concupiſcentias, nullum habentes Diuini Spiritus deſiderium, meritò Apoſtolus carnales vocat*. Deinde Euſebium adiungit, ſic dicens: *Quòd ſicut Euſebius Palæſtinus, propter eruditionem variam, idoneus videtur, cui habeatur fides, &c. Loquitur enim hunc in modum, exhortans ſeipſum ad verba Prophetarum: Sanctum Deum, lucis authorem, per Saluatorem noſtrum Ieſum, cum ſancto Spiritu inuocantes*. Deinde his Euſebij dictis Origenem adiungit Baſilius, ſic proſequens: *Iam verò & Origenem, multis in locis expoſitionum, quas in Pſalmos edidit, deprehendimus, cum ſancto Spiritu gratias agentem Deo, &c.* Deinde ſubdit etiam de Origene: *Qui quidem*, inquiens, *in 6. ni fallor, libro enarrationum in Euangelium Ioannis, etiam adorandum Spiritum euidenter pronunciat, ita ſcribens ad verbum. Quoniam aquæ lauacrum ſignificat purgationem animæ ab omnibus malitiæ ſordibus ablutæ, nihilo tamen minus & per ſeipſum, ei qui ſeipſum præbet Diuinitati adorandæ Trinitatis, per virtutem inuocationum, gratiarum principium ac fontem habet. Ac rurſus in Commentarijs, quibus exponit Epiſtolas ad Romanos, Sacræ, inquit, virtutes capaces ſunt Vnigeniti & ſancti Spiritus Deitatis*. Et, ex his Origenis dictis, admiratur Baſilius veritatis vim, quæ homines cogat contra ſuam dicere opi-

opinionem; nam Origenes aliquando non benè ſentit de Spiritu ſancto. Dicit ergo Baſilius: *Ad hunc modum (opinor) traditionis vis ſæpè compulit homines, etiam ſuis ipſorum dogmatibus contradicere.* Sic Baſilius. Et nos quoque eamdem veritatis vim mirari poſſumus, dum conſideramus Alchoranum, tantopere Chriſti Diuinitatem, & Diuinarum Perſonarum Trinitatẽ blaſphemis verbis execrantem, nihilominus Spiritum ſanctum & Dei Verbum aliquando confitentem, & Verbum Dei Chriſtum eſſe, aſſerentem. Sed iam Baſilij telam proſequamur, qui ſtatim alios Patres annectit. *At nec Africanum Hiſtoricum* (nempe Iulium) *talis glorificandi forma præterijt, Siquidem palàm eſt in quinta de temporibus Epitoma, & ipſum ad hunc loqui modum. Nos verò, qui & illorum verborum menſuram didicimus, nec ignoramus fidei gratiam, gratias agimus ei, qui præbet noſtris Patribus omnium Seruatorem ac Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cui gloria, maieſtas, cum ſancto Spiritu, in ſæcula.* Deinde annectit Gregorij Thaumaturgi ſententiã & miracula plura, & ſimul totius populi Chriſtiani antiquiſſimã confeſſionem, his verbis. *Populus tamen antiquam profert vocem, neque cuiquam vmquam viſi ſunt impietatem committere, qui dicunt, laudamus Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum Dei.* His ergo teſtatur Magnus ille Baſilius, Cæſarienſis Epiſcopus, 300. circiter ante Mahometum annis, Sacroſanctæ Trinitatis fidem, per ſanctos Apoſtolos, Apoſtolicoſque viros, vſque ad eius tempora ſucceſſiuè propagatam fuiſſe; à ſanctis Doctoribus non ſolùm celebratam, ſed & ibidem dicit, à ſanctis Martyribus aſſertam.

Poſſemus hìc quidem omnium Patrum ſingillatim ſententias ponere, quibus apertiſſimè ſacroſanctæ Trinitatis myſterium confitentur; ſed ne longitudine mens grauetur, ſufficiat, aliquos ex eis locos annotare inſpiciendos: ne in immenſum excreſcat opus, & videar omnium librorum tractatus velle in vnum conferre.

Præter relatos igitur, hac etiam tempeſtate Gregorius Nazianzenus, ad celebrandum Trinitatis myſterium, Orationes quinque ſcripſit de Theologia. Gregorius Niſſenus, libros quinque. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſes quinque à ſeptima vſque ad decimam primam. Epiphanius contra Paulum Samoſatenum Hæreſes 65. contra Arianos Hæreſes 69.

Hila-

Hilarius libros duodecim de Trinitate. Marius Victorinus libros quatuor contra Arium. Lucifer Caralitanus librum ad Conſtantium pro Athanaſio: Item librum alterum, quòd ſit moriendum pro filio Dei. Ambroſius libros quinque de fide. Gregorius Beticus librum de Fide contra Arianos. Phylaſtrius librum De hæreſibus, in quo Paulum Samoſatenum, & Arium, breuibus confutat. Sebadius librum aduerſus Arianos, & alij plures, tàm Græci, quam Latini, & aliarum nationum, Catholicam fidem profitentium.

Præterea anno Domini 320. celebratum eſt, ſub Silueſtro Pontifice, & Conſtantino Imperatore, Romanum Concilium, 275. Epiſcoporum, in quo, ſicuti in Nicæno, Arius, Photinus, & Sabellius, anathematizati ſunt; Diuinæque Trinitatis myſterium cum diuinæ Incarnationis ſacramento, celebratum.

Anno Domini trecenteſimo quadrageſimo ſecundo, aliud Concilium 116. Epiſcoporum, Romæ celebratum eſt, Iulio Primo Pontifice, in quo Ariana hæreſis iterum damnata, & ſancta Trinitas iterum celebrata.

Anno 346. eodem Iulio Eccleſiam gubernante, Concilium Colonienſe, contra quendam Epiſcopum, nomine Euphratem, Chriſtum Deum eſſe, negantem, celebratum eſt: iterumque Chriſti Diuinitas, Diuinarumque Perſonarum Trinitas aſſerta.

Anno Domini trecenteſimo quinquageſimo tertio, ſub eodem Iulio Pontifice, contra Arianos, fuit Concilium Sirmienſe conuocatum, vbi etiam ſacroſancta Trinitas iterum celebrata eſt. Illudque ex Geneſis cap. 19. *Pluit Dominus à Domino ignem ſuper Sodomam, &c.* Explicatum eſt, hunc facere ſenſum, ſcilicet: Pluit Dominus Filius à Domino Patre, vt habetur in Hiſtoria Tripartita, libro qninto, capite tertio.

Anno Domini circiter trecenteſimo octuageſimo, Conſtantinopolim, ſub Damaſo Papa, Gratiano & Theodoſio, imperantibus, contra Macedonium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, Spiritus ſancti Deitatis inficiatorem, centum quinquaginta Patres conuenerunt, qui omnes, vna voce, Macedonij hæreſim damnantes, Diuinarumque perſonarum Trinitatem profitentes, ſymbolum fidei in Nicæna Synodo

Fff col-

collectum, iterum approbarunt:&,ad maiorem explicationem, Spiritum ſanctum ex Patre procedere,addiderunt; quod ſacra Nicæna Synodus non appoſuerat;quia tunc hæreſis contra Filium inſurrexerat,& ad eam hæreſim abolendam præcipuè reſpiciebat. Poſtea verò,inſurgente Macedonio contra Spiritum ſanctum, Conſtantinopolitana Synodus addidit Symbolo illa verba, vt ſignificaret, Spiritum ſanctum à Patre omnem Deitatis ſubſtantiam accipere, ſicut & Filius. Vnde dixit: *Credo in vnum Deum Patrem,&c. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum,Filium Dei vnigenitum,&c.Et in Spiritum ſanctum qui ex Patre procedit.* Poſtea tandem inſurgentibus Græcis contra Spiritus ſancti proceſſionem; cùm illum à ſolo Patre procedere, contra Scripturarum teſtimonia, dicerent; propterea additum fuit,ex Filio etiã, ſicut à Patre, procedere:quod facilè etiam ratione ipſa, fidei tamen lumine informata, conuincitur; ad amoris enim productionem neceſſariò verbum mentis præ requiritur, vt etiam conſtat in nobis. Vnde anno Domini 1432. Florentiæ,in vniuerſali Concilio,præſente etiam ipſo Græcorum Imperatore, & Patriarcha Conſtantinopolitano, ſatis probatum fuit,& conuictum, tum Diuinarum Scripturarum teſtimonijs,tùm euidentibus etiam Theologicis diſcurſibus; Spiritum ſanctum, à Patre non ſolum, ſed & à Filio ſimul, tamquam ab vno fonte, per voluntatem, vniuerſam Deitatem accipere. Quare decretum eſt,in Nicæno Symbolo ſic eſſe de Spiritu ſancto canendum: *Et in Spiritum ſanctum Dominum*, &c. *qui ex Patre, Filioque procedit*. Eccleſia namq. pro neceſſitate & indigentia prouidet: vbi enim non eſt infirmitas, fruſtra applicantur medicamenta.

Anno 396. fuit celebratum Carthaginenſe Concilium,Prouinciale quidem ſecundum; confirmatum verò in 6. generali Synodo,Trulli; in eoque ſub Siricio Papa iuſſum, vt ſacroſanctæ Trinitatis myſterium prædicaretur.

Anno 423. præter cætera Concilia, quæ ſilemus, Diuinarum Perſonarum Trinitatem communi voce confitentia, ſub Bonifacio I. Papa, & Honorio Imperatore,Carthagine,à 217. Epiſcopis decretum eſt, vt ab Epiſcopis Orientalibus Nicænum Concilium peteretur, eiuſque Symbolum recitarent,ad fidei profeſſionem oſtendendam.

Anno circiter 428. inſurgente Neſtorio contra Chriſtum, eiuſ-

eiuſque perſonam in duas diuidere conante; ne tanta peſtis Orbem inficeret, Generale Concilium Epheſi, ſub Cæleſtino Primo Papa, & Theodoſio Iuniore imperante, fuit celebratum: vbi, Cyrillo Alexandrino vice ſummi Pontificis Præſidente, Neſtorij hæreſis damnata eſt. Inſuper & ad ipſum Neſtorium literas ſancta Synodus miſit, quibus, in Chriſto quamuis duas ineſſe naturas, Diuinam & humanam; vnam tamen eſſe Perſonam, oſtendit: & Nicænæ Synodi Symbolum ipſi Neſtorio proponit. Et in eodem Concilio iterum, Patris & Filij & Spiritus ſancti, vna trium diſtinctarum Perſonarum Diuinitas, fuit adorata.

Eamdem Trinitatem, ſicut & cætera omnia Chriſtianæ fidei myſteria, celebrauit Concilium Chalcedonenſe, circa annũ D.450. celebratum ſub Leone Primo Summo Pontifice, Martiano Auguſto, à 630. Patribus contra Eutychen Conſtantinopolitanum Abbatem, & contra Dioſcorum Alexandrinum Epiſcopum, eiuſdem Eutychetis defenſorem, confundentis in Chriſto naturas, conſtituentis tertiam quamdam, ex humana Diuinaque commixtam. Repetit inſuper & approbat hæc ſancta Chalcedonenſis Synodus, actione ſecunda, Symbolum Nicænum, ſupra recitatum, in quo tam clarè Patris, & Ieſu Chriſti Filij, & Spiritus ſancti Diuinitas aſſeritur.

Hac tẽpeſtate effulſerunt clariſſ. Chriſti lumina, & Eccleſiæ lampades, inter Græcos Chryſoſtomus, & inter Latinos Auguſtinus. Præter eos, complures alij floruerunt ſancti eruditique Patres, qui omnes, vno ore, ſacroſanctæ Trinitatis myſterium confitentur; Deum vnum eſſentia, in tribus diſtinctis ſubſiſtentem perſonis. S. Auguſtinus in libris quindecim de Trinitate. In libro contra ſermonem Arianorum. In commentarijs ſuper Euangelium Ioannis. In Epiſtolis, præſertim 174. & ſequentibus.

Verùm tanti Doctoris non ſunt omnia, ſimplici adnotatione, recenſenda, ſed expedit hìc vnum ex ipſo locum per extenſum apponere. Hic ergo ſanctus Doctor, Tomo 2. Epiſt. 66. ante medium, ſcribens ad Maximum medicum, tunc recens ad Chriſti fidem conuerſum. *Hæc Trinitas*, inquit, *vnius eſt eiuſdemque naturæ atque ſubſtantiæ, non minor in ſingulis quàm in omnibus, nec maior in omnibus quàm in ſingulis; ſed tanta in ſolo Patre, vel in ſolo Filio, quanta in Patre ſimul & Filio,*

& tanta in ſolo Spiritu ſancto, quanta ſimul in Patre & Filio & Spiritu ſancto. Neque enim Pater, vt haberet Filium de ſe ipſo minuit ſe ipſum, ſed ita genuit de ſe alterum ſe, vt totus maneret in ſe, & eſſet in Filio tantus, quantus & ſolus. Similiter & Spiritus ſanctus integer de integro, non præcedit vnde procedit; ſed tantus cum illo, quantus ex illo; nec minuit eum procedendo, nec auget hærendo. Et hæc omnia, nec confuſè vnum ſunt, nec diſtinctè tria ſunt; ſed cùm ſint vnum, tria ſunt: & cùm ſint tria, vnum ſunt. Proinde qui tam multis cordibus fidelium ſuorum donauit vt eſſent cor vnum, quanto magis conſeruat in ſe ipſo, vt ſint hæc tria & ſingula Deus: & ſimul omnia, non tres Dij, ſed vnus Deus? Hic eſt vnus Dominus Deus noſter, cui vniuerſa pietate ſeruitur, cui ſoli latria illa debetur: Qui cùm in rebus quæ naſcuntur in tempore ſua bonitate effecerit, vt ſuæ ſubſtantiæ prolem quælibet res gignat, ideſt homo hominem, non alterius naturæ, ſed eius cuius ipſe eſt; vide quàm impiè dicatur: ipſe non genuiſſe id quod ipſe eſt. Deinde ſequitur, ad explicandum in quo conſiſtat identitas naturæ, & per quid obtineatur diſtinctio perſonarum, de relatione ſic, immediatè poſt prædicta: *Hæc enim propinquitatis ſunt nomina, non naturæ* (ideſt, Nomina Patris, Filij, & Spiritus ſancti, in Diuinis non ſignificant diuerſitatem naturæ) *Et ideo ad aliquid vel relatiuè dicuntur* (oſtendens Perſonarum pluralitatem in Deo haberi ex relatione) *quæ aliquando eadem ſunt, aliquando diuerſa. Eadem ſcilicet, cùm frater refertur ad fratrem, amicus ad amicum, vicinus ad vicinum, cognatus ad cognatum, &c. In his enim quod eſt iſte ad illum, hoc eſt ille ad iſtum. Diuerſa ſunt autem, ſicut pater ad filium, filius ad patrem, ſocer ad generum, gener ad ſocerum, Dominus ad ſeruum, ſeruus ad Dominum. Non eſt quidem hoc iſte ad illum, quod ille ad iſtum; ſed ambo tantum homines ſunt. Relatio diuerſa eſt, non natura: quoniam ſi attendas quid ſit alter ad alterum, non eſt hoc ad illum iſte, quod ad illum ille: quia iſte pater, ille filius: aut iſte ſocer, ille gener; aut iſte Dominus, ille ſeruus. Si autem attendas quid quiſque ſit, vel ad ſe ipſum, vel in ſe ipſo, hoc eſt ille quod iſte? quia ille homo eſt ſicut iſte. Vnde intelligit prudentia tua, non ab eis rationabiliter dici, à quorum errore te Dominus liberauit: ideo Dei Patris & Dei Filij naturam*

ram eſſe diuerſam, quia iſte Pater eſt, ille Filius. Et Deum Patrem non genuiſſe id quod eſt ipſe, quia non genuit patrem filij ſui, quod eſt ad illum ipſe. Quis enim non videat, iſta vocabula non in ſe ipſis demonſtrare naturas, ſed alterius ad alterum ſignificare perſonas? Libuit hæc omnia ex Auguſtino adferre, quia non ſolùm teſtatur ſacroſanctæ Trinitatis myſterium; ſed etiam ſubtiliter explicat, diſtinctionem perſonarum eſſe ex oppoſita relatione Filij ad Patrem, Patris ad Filium, & Spiritus ſancti ad vtrumque, non verò ex pluríficatione naturæ.

Chryſoſtomus præterea, tomo 2. Homilia 4. in cap. 3. Matthæi. Homilia 3. in Euangelium Marci. Homilia 10. in varios ex Mattheo locos, & in Marcum. Tom. 3. Homilia, ſeu ſermone contra Iudęos, Gentiles, & Hęreticos, & de illo Ioannis: *Nuptiæ factæ ſunt.* quem ſermonem his verbis claudit, poſtquam Chriſtum Dei Filium, & Deum eſſe, probàuerat. *Nos autem glorificemus Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, cui gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.* Serm. de ſacroſancta, & conſubſtantiali, viuificaque, ac inſeparabili Trinitate: & alibi ſępè. Theophilus Alexandrinus in prima Paſchali Epiſtola. Hieronymus ſępiſſimè Arianos conuincit. Cyrillus in libris ſeptem de Trinitate, contra Arianos: & in libris quatuordecim Theſauri: & in Commentarijs in Ioannem. Gaudentius in Epiſtola ad Paulum, & Tractatu ſeptimo in Exodum. Theodoretus in Epitome Diuinorum Decretorum: In Epiſtolas Pauli libr. 4. de hæreticorum fabulis, & lib. 2. ad Græcos, & alibi paſſim. Ruffinus in explicatione Symboli. Ioannes Caſſianus in libro de Incarnatione. Sanctus Leo Papa Primus, in epiſtola ad Flauianum, & alibi paſſim. Cerealis Epiſcopus, libro contra Maximinum, Arij ſectatorem. Proſper libro tertio De promiſſionibus & prædictionibus Dei, capite ſecundo, tertio, & quarto.

Circa annum 500. Quinta Synodus Generalis, Conſtantinopoli celebrata eſt, 165. Patrum, ſub Felice Quarto inchoata, Agapito Primo, & Siluerio, proſequuta, Vigilio autem ſummo Pontifice, & Iuſtiniano Seniore imperante, clauſa, circa annum Domini 523. in eaque damnati ſunt, Patris & Filij

&

& Spiritus ſancti conſubſtantialitatem negantes: & capit. 1. eadem trium diſtinctarum perſonarum Diuinitas colenda præcipitur; & cap. 11. Eunomius Ariuſque, Chriſti Diuinitatem inficiantes, anathematizantur.

Circa hæc tempora, doctrinæ & ſanctitatis radijs Fulgentius effulgens, ſicut & alij Patres, Diuinam Trinitatem confeſſus eſt, lib. de fide ad Petrum cap. 1. lib. ad obiectiones Arianorum, lib. ad Monimum, & libris ad Traſimundum. Ioannes Maſſentius in profeſſione fidei. Vigilius Tridentinus in diſputatione Athanaſij, Sabellij, Arij, & Photini; & lib. 4. & 5. contra Eutychen. Boetius Seuerinus in lib. de Trinitate, & alij.

Circa 600. ante Mahometi natiuitatem, vel certè antequam ſibi propheticum nomen vſurparet, vel antequam ex hac vita decederet, floruit Magnus ille Gregorius, qui paſſim ſacroſanctæ Trinitatis myſterium confitetur, & contra eam aliquo modo obloquentes, tamquam Hæreticos damnat; & lib. 20. Moralium cap. 9. in cap. 30. Iob, ſic loquitur: *Patres verò Hæreticorum dicimus eos videlicet, quos Hæreſiarchas vocamus: de quorum peruerſa prædicatione ſequentes ſunt populi in errore generati. Sancta ergo Eccleſia, cum canibus gregis ſui Hæreticorum patres ponere, dedignatur: quia inuentores errorum dijudicando reſpuit*, &c. Deinde: *Quia cum rectis prædicatoribus non adſcribit. Liquet enim, quòd Arius, Photinus, Macedonius, Neſtorius, Eutychius, Dioſcorus, Seuerus, multique his ſimiles, docendo atque ſuadendo, conati ſunt Patres videri: ſed errores eorum ſancta vniuerſalis Eccleſia, diſtricta veritate dijudicans, eos inter cuſtodes gregis ſui non numerat, quos, eiuſdem gregis vnitatem diſſipantes, damnat. De quibus, voce Pauli, Epheſijs dicitur: Scio, quia poſt diſceſſum meum ingredientur ad vos lupi graues, non parcentes gregi*. His ergo, eruditiſſimus ſanctiſſimuſque Eccleſiæ Doctor & Pontifex, tàm Diuinæ Trinitatis, quàm Chriſti Diuinitatis aut humanitatis, ſeu Perſonæ Chriſti inficiatores, inter Hæreticos reponit, damnatque; prout antiquioribus Eccleſiæ Patribus, ſacriſque Concilijs, damnati fuerant. Præter Gregorium Papam, circa eadem tempora, viguit etiam alter Gregorius, cognomento Turonenſis, qui eandem fidem in Diuinarum Perſonarum Trinitatem, & in Chriſti Diuinitatem, in ſuis libris profitetur: præſertim lib. 5. cap. 43. lib. 6. cap. 4. hiſtoriæ, & lib. 2. hiſtor. Francorum, cap. 3. inter cætera refert

refert euidentiſſimum Diuinæ omnipotentiæ miraculum, in Diuinarum Perſonarum Trinitatis aſſertionem, ſicut etiam in Verbi Dei Incarnationis. Iſidorus, eadem tempeſtate vigens, lib. de Trinitate edidit. Paulò poſt Venerabilis Beda eamdem fidem in Diuinam Trinitatem profeſſus eſt, in vniuerſis ſcripturarum ſuarum paginis, præcipuè in Commentarijs ſuper Boetium de Trinitate. Et Ioannes Damaſcenus pariter lib. 1. de fide Orthodoxa, cap. 2. 6. & 8. & per totum.

Hac etiam tempeſtate celebratum eſt Concilium Pariſienſe Primum, Pelagio Primo ſummo Pontifice, anno 567. & anno ſequenti 568. Concilium Aurelianenſe, Ioanne Tertio Papa, & in eis eadem ſacroſanctæ Trinitatis fides conclamata eſt; & denuò Eutychetis aliorumque Hæreticorum deliramenta anathematizata.

Tempore ipſius Mahomet, circa annũ D. 670. celebratum eſt Sextum Generale Concilium, Conſtantinopoli, Agathone Summo Pontifice: in quo Hæretici, vnam tantùm voluntatem in Chriſto aſſerentes, damnati fuerunt; & rurſus ſacroſanctæ Trinitatis myſterium ab vniuerſis celebratum.

Circa hæc tempora, Alchorani machinationem Mahomet moliebatur: & tunc in Alchorano سورة التوبة cap. *De Pœnitentia*, ſeu, vt alijs placet, *De gladio*, longiùs poſt initium, dixit: Chriſtianos, Filium Dei Chriſtum aſſerere, & cap. 1. cui titulum præfixit *De Vacca*, column. ſeu pagina mihi 8. ante medium; & cap. 4. cui titulus eſt *De Menſa*, pag. 13. poſt initium, quinque pag. ante finem, dixit: Chriſtianos, veram profiteri fidem, & Paradiſi gloriam adipiſci. Inſuper, capite *De Iona*, poſt medium, versùs finem, vna aut altera pag. à fine, dicit de Scripturis, & Scripturarum ſenſibus, Chriſtianos eſſe conſulendos, vt ſupra diximus. Ergo, vſque ad hæc Mahometi tempora, Chriſtiani veram Chriſti legem profitebantur, veram vtique fidem, vera Diuina myſteria credebant: Verum Scripturis ſenſum dabant, ita vt, tamquam fideles, Paradiſi gloriam aſſequerentur; & poſſet vnuſquiſque de veritate eos conſulere, ſepoſito omni deceptionis metu. Aliàs enim ſi falſa & non vera tunc credidiſſent, & prædicaſſent; nec illos iuſſiſſet conſulendos, nec Paradiſi gloriam, dicere potuiſſet, adeptu-

adepturos. At ex ſupradictis,& ex ſerie, quam texuimus,ſpiritualis ſanctorum Patrum genealogiæ, conſtat, omnes ſuprà numeratos, quoad doctrinam & fidem referri per ſanctos Apoſtolos, tamquam ad primum fontem, caput, originem, & ſtirpem; ad Chriſtum: Cùm omnes alij, aliud dogma ſectantes, ab eorum fide diuerſum; non ad Chriſtum, ſed ad diuerſos Hæreſiarchas referantur. Ergo illorum fides vera erat. Ergo omnes prædicti ſancti Patres vera locuti ſunt, in his præcipuè, quæ ad Chriſtianæ fidei myſteria pertinent; vt ſalui dici poſſint, & fideles. At omnes, trium diſtinctarum Perſonarum eamdem Diuinitatem confitentur, tam ſingillatim, quàm in vnum ad ſacra Concilia conuenientes, vt ex dictis conſtat. Ergo,reuera in Deo diſtinctarum Perſonarum Trinitas adoranda & colenda eſt.

Quòd ſi hac tempeſtate Mahometus adueniens, in Deum ponens os ſuum,Trinitatis myſterium negare auſus eſt:Hoc inter cæteras eius blaſphemias, & mendacia,& contradictiones ſupra recenſitas, reponendum eſt. Cùm tam celebre myſterium, à Chriſto 600. poſt annos, in vniuerſa Chriſti Eccleſia conclamatum & celebratum, auſus ſit inficiari. Hæc autem eius inficiatio, non à Chriſto, ſed à Diabolo eſt; non Chriſtum habet authorem, ſed Hæreſiarchas ſupra memoratos, Arium, Macedonium, Sabellium, & cæteros, qui in Chriſti Eccleſia noua figmenta,in locum veritatis, ſubſtituere tentauerunt,& inter Chriſti ſemina,zizania ſerere conati ſunt.

Eamdem fidem,quam ſancti Patres, ante Mahometi tempora docuerãt, docuerũt & Patres & ſancti viri, qui poſt illa tẽpora,vſq. ad hanc noſtrã tempeſtatem floruerunt; ſummi Pontifices,ſacra Cõcilia,& vniuerſa Catholica Chriſti Eccleſia. Vnde ſi vera antiquiores illi Patres profitebantur de diuinarum perſonarum Trinitate: reuocari in dubium minimè poteſt,vniuerſam Chriſti Eccleſiam,eadem profitentem hiſce noſtris temporibus,habere cum illis communem cauſam, & veritatem communem: præſertim cum in Diuinis non accidat mutatio pro tẽporis diuerſitate, & Filij perſona humanam naturam non poſt Mahometi tempora ſibi copulauerit;ſed ante omnes recenſitos Patres & ante Apoſtolorum prædicationem. Quare nulla poteſt præſumi facta mutatio in fidei obiecto, quæ iam celebrata fuerat die Incarnationis,in Chriſti humanitate, ante 1630. annos

nos ab hac noſtrà tempeſtate. Vnde ſi Catholica modò Eccleſia eadem loquatur, quæ priùs, ante Mahometi tempus poſt Chriſtum, loquebatur, vera loquitur, tam de Diuina Incarnatione, quàm de Diuinarum Perſonarum Trinitate.

Poſt Mahometum, anno circiter 780. celebratum eſt à 350. Epiſcopis, Adriano Primo Summo Pontifice, Conſtantino & Irene Imperantibus, Nicænum Concilium ſecundum, quod fuit Vniuerſale ſeptimum, & ſacroſancta Trinitas ab vniuerſis adorata. Inſuper ſacrarum Imaginum conuitiatores damnati & anathematizati.

Floruerunt poſt hanc tempeſtatem Theophylactus, Haymo, Rabanus, Ambroſius Ansbertus; & Conſtantinopoli 8. Generale Concilium 383. Epiſcoporum, anno 870. Adriano Secundo Summo Pontifice, Baſilio Auguſto, celebratum eſt, poſt ſacroſanctæ Trinitatis confeſſionem.

Deinde effulſit clariſſimum Angliæ lumen Anſelmus, & in lib. de Trinitate, eiuſdem Trinitatis myſterium pluries confitetur. Hoc idem eodem tempore proſecutus eſt Gilsbertus, in lib. de Altercatione Eccleſiæ & Synagogæ.

Deinde floruit candidiſſimum Bernardi lilium, & de ſuæ mentis promptuario, vocis & calami miniſterio, mellicos promens ſenſus; ipſe tàm ſibi, quàm nobis, & flos extitit, & apis; vt dum fauos componeret, iurè mellifluus diceretur. Hic flos, hic apis, hic fauus, ſemper veræ fidei mella, & veritatis dulcedinem de ſua mente promebat; & tam Chriſti Diuinitatem, quàm Diuinarum Perſonarum Trinitatem aſſerebat; ſed ex multis hoc modicum, ex cap. 8. lib. 5. De conſideratione ad Eugenium, libet referre: *Igitur* (inquit mellifluus Pater) *inter omnia quæ rectè vnum dicuntur, arcem tenet unitas Trinitatis, qua tres Perſonæ una ſubſtantia ſunt. Secundo loco, illa præcellit, qua è conuerſo tres ſubſtantiæ (ideſt Diuinitas, anima, & corpus) una in Chriſto Perſona ſunt.* Et poſt pauca: *Cùm dico unum, non me Trinitatis turbat numerus, qui eſſentiam non multiplicat, non uariat, nec partitur. Rurſum, cùm dico tria, non me arguit intuitus unitatis, quæ illa quæcumque tria ſeu illos tres, nec in confuſionem cogit, nec in ſingularitatem redigit.* Sic Bernardus ibi, & alibi repetit ſepiſſimè.

Ggg Ricar-

Ricardus de Sancto Victore hac tempeſtate libros 6. edidit de Trinitate.

Anno Domini circiter 1123. Calliſto Secundo Summo Pontifice, Romæ celebratum eſt Concilium Lateranenſe, cui 900. Epiſcopi adfuerunt, ſacroſanctā Dei Trinitatem confitentes.

Fuit autem erudititiſſimis viris florentiſſima hæc ætas; ita vt, ad inſtar Veris inter cætera anni tempora, in Eccleſia effulſerit; tunc enim floruit Alexander Alenſis, Albertus Magnus; egregium Theologiæ lumen ſanctus Thomas Aquinas, & efferuens charitatis ignis Bonauentura, perinde ac duo illi Iſaiæ Seraphim eodem tempore alter alterum: hic inter Minores, ille inter Prædicatores: ante trium Diuinarum Perſonarum ſolium: Sanctus, Sanctus, Sanctus, inuicem clamantes, & Patris & Filij & Spiritus ſancti, diſtinctarum Perſonarum eamdem Deitatem celebrantes, & tàm vocis quàm calami miniſterio, eos, qui impoſſibilitatem obijcerent, conuincentes.

Anno 1311. Concilium, Viennæ, 300. Epiſcoporum, Clemente V. Summo Pontifice, celebratum eſt, vnde extant Decreta, quæ Clementinæ dicuntur, præcipuè Clementina vnica de Summa Trinitate & fide Catholica: vbi tàm Chriſti Diuinitas, quàm ſacroſancta Trinitas, celebratur. Similiter & in reliquis Concilijs, tam Florentino, quod poſtea anno 1439. Eugenio IV. Summo Pontifice celebratum eſt, 141. Patrum, Quàm in Lateranenſi, quod cœpit anno 1512. & clauſum eſt anno 1517. Quàm etiam in Concilio Tridentino, anno 1545. inchoato, clauſo autem paulò ante hanc noſtram tempeſtatem, anno 1563. In his omnibus Concilijs, & in compluribus alijs quæ breuitatis cauſa ſiluimus, ab omnibus Patribus ſupra memoratis, & innumeris alijs, quos prætermiſimus, & ab vniuerſa Chriſti Eccleſia, à Chriſti eius capitis vſque ad hæc noſtra tempora, ſacroſanctæ Trinitatis myſterium perſeueranti fide creditum, & reuerenti, vt par eſt, cordis affectu veneratum fuit; ſicut & nos quoque colimus, veneramur, & adoramus. Et quamuis pluries, per viros perditos, huius veritatis fidem Diabolus de mundo tollere ſit conatus; iuxta ipſius Chriſti promiſſum, præualere non potuit: ſic enim prædixit Chriſtus; & voluit, ſicut & vult, Eccleſiam ſuam tentationibus & perſecutionibus exponi, non tamen

vinci;

vinci; illas ſentire, non tamen illis ſubiacere; illas pati & ſuſtinere, illis non tamen ſuccumbere. Vt Matthæi cap. 16. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.*

CAPVT V.

Probatur, ad hominem contra Mahometanos, ex eorum libris.

Habemus ergo, in Diuinis, eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, ex ſacris Scripturis & ſanctorum teſtimonijs. Addendum verò eſt, hoc, etiam Mahometi tempore, tam fuiſſe apud omnes celebre, vt & in Alchorano etiam Mahomet appoſuerit. Dicit enim cap. 1. cui titulus eſt *De Vacca*, tamquam Deo loquente, ſimilia verba.

وَلَقَدْ آتَيْنَا مُوسَى الْكِتَابَ وَقَفَّيْنَا مِن بَعْدِهِ بِالرُّسُلِ وَآتَيْنَا
عِيسَى بْنَ مَرْيَمَ الْبَيِّنَاتِ وَأَيَّدْنَاهُ بِرُوحِ الْقُدُسِ ۞

Ideſt: *Et iam miſimus ad Moyſem librum, & miſimus poſt eum Apoſtolos, & dedimus Ieſu Chriſto filio Mariæ euidentiſſima ſigna, & confirmauimus eum Spiritu ſancto.* Item cap. 3. cui titulus eſt *De mulieribus*, versùs finem.

إِنَّمَا الْمَسِيحُ عِيسَى بْنُ مَرْيَمَ رَسُولُ اللَّهِ وَكَلِمَتُهُ أَلْقَاهَا إِلَى
مَرْيَمَ وَرُوحٌ مِنْهُ ۞

Ideſt: *Ieſus Chriſtus eſt Apoſtolus Dei, & Verbum Dei, quod miſit ad Mariam, & Spiritus ex Deo*. Idem repetit capite *de prohibitione*, in fine. Ex quibus conſtat, Alchoranum ipſum, quamuis nolentem, Trinitatis veritatem confiteri, fuiſſe coactum. Dicit enim: Deum, Dei Verbum, & Dei Spiritum, ac proinde confitetur, Patrem, Verbum, & Spiritum ſanctum. Aliàs etiam de Spiritu ſancto mentionem facit Alchoranus; & quamuis alibi neget Trinitatem, hoc eſt etiam inter cætera eius mendacia numerandum, quibus nec ſibi conſtare, ſupra probauimus. Mirum autem eſt, quòd tantus Trinitatis inficiator, nec potuerit rem omnem adæquatè inficiari; ita vt propter myſterij celebritatem tunc temporis, ne impoſtura eius deprehenderetur, coactus ſit confiteri, vt ſub tam celebri veritate ſua fucaret mendacia.

Negauit autem Mahomet Dei filium, quia non percepit myſterium. Putabat enim, Dei filium confitentes ad eum modum accipere, ſicut filius ex feminæ conſortio in creatis naſcitur. Propterea arguit ſic in Alchorano, capite *De Brutis*, circa medium, pag. mihi 141.

أَنَّى يَكُونُ لَهُ وَلَدٌ وَلَمْ تَكُنْ لَهُ صَاحِبَةٌ ۝

Ideſt: *Quomodo eſt illi filius, cùm non ſit illi uxor?* Putabat igitur, Filium Dei ex vxore dici natum; quod quidem dici nequit. Itaq. ſi de rei veritate edoctus fuiſſet, quonam ſcilicet modo Dei filius naſcatur, forſitan crediđiſſet.

Ita etiam & author libri Camus, ſi percepiſſet, Diuinæ generationis myſterium, ſpiritualiter, & ſine feminæ conſortio, perfici; verba illa Dei ex Pſalmo 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quæ ipſe adfert in dictione ولد & nos infra agentes de Chriſti Diuinitate cap. 1. referemus, propriè intellexiſſet de vera generatione, & non nouam ſignificationem de verbo ولد excogitaſſet.

CAPVT

CAPVT VI.

Oſtenditur Diuinarum Perſonarum realis diſtinctio.

NEc poſſunt Mahometani reſpondere: Verbum & Spiritum ſanctum, vel ſignificare eamdem & vnicam Diuinā perſonam cum Patre, ſicut reſpondebat Sabellius. Nec alio modo: Verbum, aut Spiritum ſanctum, non eſſe Deum; ſed aliquid ad Deum pertinens, ſpecialiter, ſuper cæteras creaturas. Quia contra vtramque reſponſionem faciunt diuina Scripturarum teſtimonia.

Et primò quidem, dici non poteſt, eamdem perſonam eſſe Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, & vnam eamdémque perſonam, propter effectuum diuerſitatem, dici modò Patrem, modò Filium, modò Spiritum ſanctum. Quia diuinæ Scripturæ teſtantur, vnam perſonam procedere ab alia, & non ſolùm ſignificant effectuum diuerſitatem: Dicit enim Filius Ioa. c. 8. num. 42. & ſecundùm textum Arabicum ſect. 21. *Dixit ergo eis Ieſus: Si Deus pater veſter eſſet, diligeretis vtique me: Egò enim ex Deo proceſſi*. Et Prou. 8. n. 22. Dei ſapientia ſic loquitur: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*. Vbi pro, poſſedit, habet textus Hebræus קנני *Canani*, quod propriè ſignificat acquirere per generationem; quæ acquiſitio & poſſeſſio eſſe nequit, niſi rei aliquo modo diſtinctæ à ſuo poſſeſſore. Deinde, ad ſignificandum, proceſſionem talem non eſſe creaturæ, ſed ante omnem creationem, & ab æterno, ſtatim ſubdit: *Antequam quicquam faceret à principio. Ab æterno ordinata ſum, antequam terra fieret. Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram: ante colles ego parturiebar: adhuc terrā non fecerat, &c. Quando præparabat cælos aderam. Cum eo eram cuncta componens.* Hæc verba loquitur ibi diuina & creatrix Sapientia, oſtendens, ſe à Deo ab æterno proceſſiſſe. & 24. Eccleſiaſtici eadem Sapientia idem repetit num. 5. ſic dicens: *Ego ex ore Altiſſimi prodiui primogenita, ante omnem creaturam.*

Spi-

Spiritum ſanctum à Patre & Filio procedere.

SImiliter Spiritus ſanctus, dicitur à Deo procedere,Ioa. 15. ſeu,ſecundum textum Arabicum,ſect. 35. *Cum venerit Paraclitus,quem ego mittam vobis à Patre,Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*. Ergo,tàm Filius,quàm Spiritus ſanctus, procedit à Patre.

Rurſus,Spiritus ſanctus non ſolùm à Patre,ſed etiam à Filio, in Scripturis dicitur,procedere.Io.16. & in tex. Arab. ſect. 35. *Ille me clarificabit* (ideſt Spiritus ſanctus, de quo ibi loquitur Chriſtus)*quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*. Et paulò ante: *Non à ſeipſo loquetur,ſed quæcumque audiet loquetur*. & Io.cap.15 ſeu ſect.35. *Cum venerit Paraclitus,quem ego mittam vobis.* & cap.16.ſeu ſect. 35. *Si autem abiero mittam eum ad vos.* Vnde conſtat,Spiritum ſanctum etiam à Filio procedere: aliàs enim non potuiſſet Chriſtus dicere, Spiritum ſanctum de ſuo accipere. *De meo accipiet*. Et quamuis non dixerit meam eſſentiam, aut naturam, aut ſubſtantiam, aut ſapientiam, &c. nihilominus iam conſtat eruditis viris, in Deo non eſſe partem & partem, & qui accipit partem accipit totum, cùm ſit ſimpliciſſima, eſſentia Diuina: vnde idem eſt dixiſſe, *De meo accipiet*, ac ſi dixiſſet,meam ſubſtantiam accipiet. Dixit autem, *De meo*, ad ſignificandum, non accipere Spiritum ſanctum à Filio filiationem, ſed eſſentiam tantummodo: Filius enim, ſecundùm modum noſtrum concipiendi, conſtituitur ex filiatione & eſſentia Diuina, hanc communicat Spiritui ſancto, non illam.

Similiter, & ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, non poſſet dicere ipſe Filius, Spiritum ſanctum à ſe mittendum. Quia miſſio, aut eſt per Imperium, prout mittuntur à Dominis ſerui: aut per conſilium, vt mitti dicuntur à ſapientioribus imperiti, ægroti à medico, ab aduocato clientes: aut eſt miſſio per naturalem productionem,prout germen & flores emitti dicuntur ab arbore vel radice. Alio modo non poteſt quis mitti, niſi ad aliquod genus harum trium miſſionum reducatur. At Spiritus ſanctus non poteſt mitti à Filio tamquam

ſeruus

ſeruus: Quia, poſito quod ſit Deus, prout in præſenti diſcurſu ſupponimus, & infra oſtendemus ſuo loco, non poteſt alicuius dici ſeruus. Nec dici poteſt, mitti tamquam imperitus à ſapientiore, quia Deus nullum habet ſe ſapientiorem. Ergo miſſio Spiritus ſancti à Filio, intelligenda eſt ſecundùm productionem. Sic omnes ſancti Doctores, qui Mahometi tempora præceſſerunt, & à quibus cæteri omnes acceperunt. Præcipuè Auguſtinus libr. 4. de Trinitate cap. 19. & 20. & ſeqq. Vbi dicit, *Filium mitti, eſſe filium naſci*. Similiter, & *Spiritum Sanctum mitti, eſſe Spiritum ſanctum procedere*. Quare ſi à Filio mittitur Spiritus ſanctus, vtique à Filio procedit.

Conſtat ergo, Filium procedere à Deo Patre, & Spiritum ſanctum procedere ab vtroque. Ergo, non poteſt dici: Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, eſſe diuerſa nomina eiuſdem Diuinæ Perſonæ. Idque tali diſcurſu demonſtratur. Quicquid ab aliquo procedit, eſt neceſſariò ab eo diſtinctum; Filius procedit à Patre; Ergo eſt à Patre neceſſariò diſtinctus.

Maior patet: Quia nihil poteſt procedere à ſemetipſo, & eſt repugnantia in terminis, quia proceſſio de ſe dicit poſitionem diſtincti eſſe, ſeu modi, vel alicuius rei, non enim poteſt eſſe proceſſio nihili. Ergo aliquid diſtinctum debet per proceſſionem eſſe, Ergo hoc erit à producente diſtinctum. Minor patet ex Scripturis vbi ſupra. Ergo Filius eſt diſtinctus à Patre, & nulla ratione dici poteſt eadem perſona cum Patre.

Similiter, Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio, vt ex allegatis Scripturis conſtat. Ergo eſt à Patre & Filio diſtinctus. Ergo Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, non ſunt eadem perſona, ſed tres diſtinctæ perſonæ.

CAPVT

CAPVT VII.

Probatur, Dei Filium verum Deum eſſe.

NEc dici poteſt, Filium, & Spiritum ſanctum, non eſſe Deum, ſed Creaturas; quia repugnat Diuinis teſtimonijs.

Et primò, quod pertinet ad Filium, nulla ratione dici poteſt, ipſum non eſſe Deum, quia filiatio vera non poteſt eſſe inter ea, quæ ſunt diuerſæ naturæ: nec enim poteſt leo hominis eſſe filius, aut bouis, aut vrſi, vel alterius viuentis; ſed neceſſariò, leo, leonis eſt filius, non alterius. Filius ergo Dei non poteſt eſſe niſi Deus, aliàs enim non poſſet dici Filius Dei, non habens naturam Dei. Ergo, Filius Dei, Deus eſt.

Nec poteſt dici, eſſe Filium Dei, per creationem, vel adoptionem, vel alio modo; quia eiuſmodi filij, veri filij dici non poſſunt, ſed metaphoricè. At Filius Dei, qui talis proponitur in Scripturis, verus Filius dicitur, vt 1. Ioan. 5. in fine. *Scimus quoniam Filius Dei uenit, & dedit nobis ſenſum, ut cognoſcamus uerum Deum, & ſimus in uero Filio eius.* Et ad tollendam omnem difficultatem, ſubdit ſtatim ibidem Ioan. *Hic eſt uerus Deus, & uita æterna.* Igitur, abſque alio diſcurſu, patet ex Scripturis, verum Filium non ſolùm eſſe, vnde ex conſequenti poſſit inferri. ergo eſt Deus: verùm etiam & ipſa propoſitio clarè habetur, Filium Dei eſſe verum Deum, & vitam æternam; ita vt nullus relinquatur dubitationi locus, Filium Dei eſſe Deum.

Præterea probatur, Dei Filium eſſe Deum, ex omnibus Scripturis, & auctoritatibus ſanctorum Doctorum, ſupra allegatis, c.4. ſect.4. & ex infra allegandis, ad probandum Chriſtum eſſe Deum.

Ergo, Filius Dei Deus eſt.

CA-

CAPVT VIII.

Ex Sacris Scripturis probatur, Spiritum ſanctum eſſe verum Deum.

ET quod pertinet ad Spiritum ſanctum: ſimiliter nec dici poteſt, illum non eſſe Deum, quia repugnat Diuinis ſcripturarum teſtimonijs, ex quibus patet, Deum eſſe, tàm in Nouo, quàm etiam in Veteri Teſtamento.

Primò, lib. 2. Regum, c. 23. Scriptura ſic loquitur: *Hæc ſunt uerba Dauid nouiſſima. Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam. Dixit Deus Iſrael mihi, locutus eſt fortis Iſrael, dominator hominum, iuſtus dominator.* Ecce quomodo illum, quem Spiritum Domini nominauerat, ſtatim, Deũ Iſrael eſſe, teſtatur.

Pſalmo 138. num. 3. *Quo ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam?* & Sap. primo num. 3. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia, ſcientiam habet vocis.* Ergo Spiritus ſanctus eſt immenſus, & implet omnia. At ſolius Dei eſt immenſitas, & ipſe ſolus omnia continet, vt etiam Alchoranus fatetur, cap. 3. *De Mulieribus*, pag 98.

وكان الله بكل شىء محيطا ۞

Ideſt: *Et eſt Deus circumdans omnia.*

Cap. 33. lib. Iob, habetur de Spiritu ſancto, quod ſit creator: *Spiritus Dei fecit me.* & Pſalm. 32. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis uirtus eorum.* Pſalm. item 103. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.* At ſolius Dei eſt creatiua potentia, Deus ſolus eſt Creator. Ergo Spiritus ſanctus eſt Deus.

Ex Nouo etiam Teſtamento clariſſimè etiam conſtat, Spiritum ſanctum eſſe Deum.

Matthæi vltimo: *Baptizantes eos in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Vbi Chriſtus Spiritum ſanctum Patri &

Filio minimè copulaſſet, ſi etiam Deus non eſſet. Præterea Baptiſmus regenerat hominem in nouam creaturam, conſtituit ipſum Dei filium, adoptione, cùm de peccato transferat ad gratiam. At ſolùm ad Deum pertinet conferre gratiam, & hominem ſanctificare. Ergo Spiritus ſanctus, qui, ſimul cum Patre & Filio, Baptiſmi gratiam confert, Deus eſt. Et, ſi Baptiſmi gratiam non conferret, non benè In nomine Spiritus ſancti, ſicut In nomine Patris & Filij, Baptiſmus conferretur. Sic diſcurrit ſanctiſſimus & eloquentiſſimus Doctor, Gregorius Nazianzenus, longè ante Mahometi tempora, Oratione V. de Theologia.

Primæ ad Corinth. cap. 6. *Iuſtificati eſtis in Nomine Domini Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.* Ergo ſanctificatio habetur etiam per Spiritum ſanctum. Hoc autem tam clarum eſt, apud eos qui aliqualem habent Scripturarum notitiam, vt & ipſe Mahomet in Alchorano etiam fateatur, Spiritum ſanctum eſſe ſanctificationis authorem. Capite enim primo, cui titulus eſt *De Vacca*, loquens de Chriſto Domino, Mariæ filio, ſic inquit.

وَأَيَّدْنَاهُ بِرُوحِ الْقُدُسِ ۞

Ideſt: *Sanctificauimus eum Spiritu ſancto*. Idem habetur capite 4 Alchorani, cui titulus eſt المايدة ideſt, cap. *De menſa*, circa finem capitis, vna ferè altiùs pagina; & cap. *De altercatione*. المجادلة prope finem, fatetur idem Alchoranus, Sanctos omnes à Spiritu ſancto ſanctitatem accipere. Et in fine capitis *De probibitione*, idem patet. Ex quibus colligitur, Spiritum ſanctum dici ſanctificatorem, etiam apud Mahometanos. Ergo, ſicut affirmant, illum eſſe ſanctificatorem, debent pariter & ipſum Deum fateri.

Chriſtus ipſe in Euangelio aſſerit, ſe perpetrare miracula virtute Spiritus ſancti, dicens Matthæi ſect. 35. ſeu cap. 12 num. 28. *In Spiritu Dei eijcio Dæmonia*. At miracula perpetrare Diuinæ eſt ſolius omnipotentiæ, vt Alchoranus etiam fatetur: Ergo

Ergo Spiritus ſanctus, cùm ſit omnipotens, eſt etiam Deus.

Primæ ad Corinth. 6. *Membra veſtra Templum ſunt Spiritus ſancti*. At habere templum ſolius eſt Dei. Ergo Spiritus ſanctus, cui membra noſtra ſunt templum, Deus eſt. Præterea eadẽ membra, dicit Apoſt. 1. Cor. 12. 27. eſſe membra Chriſti: *Vos eſtis corpus Chriſti & membra de membro*. Ergo Spiritus ſanctus Deus eſt, cui, tamquam templum, Chriſti membra famulantur: aliàs enim non benè Dei membra, loco templi alicui creaturæ deſeruirent.

Præterea, dare & diſtribuere ſupernaturalia gratiæ dona, ad libitum: non ſolùm gratiam ſanctificantem, ſed etiam dona illa quæ dicuntur gratis data, nempè miraculorum, prophetiæ, diſcretionis ſpirituum, ſermonis ſcientiæ, ſermonis ſapientię, &c. ſolius Dei eſt. At primæ ad Corinth. cap. 12. talis poteſtas de Spiritu ſancto, dicitur: dicit enim Apoſtolus: *Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto. Diuiſiones verò gratiarum ſunt, idem autem Spiritus. Et diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus. Et diuiſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ: alij autem ſermo ſcientiæ, ſecundum eumdẽ Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alij gratia ſanitatum in vno Spiritu: alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens ſingulis, prout vult.* Ecce quomodo ſanctus Apoſtolus, omnia, quæ ſolus Deus donare poteſt, & pro ſua diſpenſare voluntate, clariſſimè teſtatur, Spiritum ſanctum ad libitum diſpertiri. Et infra eodem cap. talia diſpertientem dona, Deum apertiſſimè nominat: *Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtute, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarũ, interpretationes ſermonum.* Prius ergo dixit, diſpenſatorem talium donorum, pro ſua voluntate, Spiritum ſanctum eſſe; deinde dicit, eſſe Deũ, vt ex allegatis eius verbis clariſſimè patet.

Et quidem, ſi benè præællegata ex Alchorano verba perpendantur, colligemus, hoc idem ſignificari, dum dicitur, *Chriſtum confirmatum fuiſſe, & roboratum, per Spiritum ſanctum.* Quia ſcilicet, dum Chriſtus omnia gratuita Dei dona, factis, in ſe oſtenderet collecta: nunc prædicens futura, nunc cordium

inſpiciens cogitationes, nunc ſanitates perficiens, &c. per Spiritum ſanctum accepiſſet. Ergo Alchoranus ipſe, tantam virtutem Spiritus ſancti, fatetur. At tanta vis ſoli Deo conuenit; nec enim creatura de ſe poteſt talia. Ergo Spiritus ſanctus Deus eſt. Similiter loquitur ſanctus Paulus capit. 2. ad Hebræos ſcribens, num. 4. *Conteſtante Deo ſignis, & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus ſancti diſtributionibus ſecundùm ſuam voluntatem.*

Præterea in libro Actuum Apoſtolorum cap. 5. num. 3. expreſsè dicitur Spiritus ſanctus Deus; vbi cuidam fraudanti de pretio agri, quem vendiderat, vt pretium in commune conferret, ſic inquit Petrus: *Anania cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto, & fraudare de pretio agri? Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Sic mendacium, dixit, factum Spiritui ſancto, non homini aut alteri creaturæ, ſed Deo fuiſſe factum. Quod non eſſet benè dictum, niſi Spiritus ſanctus eſſet Deus.

Ex vtroque ſimul Teſtamento probatur etiam apertiſſimè Spiritus ſancti Diuinitas.

Iſaia 6. Dicit Dominus exercituum Iſaiæ: *Vade, & dices populo huic, audite audientes, & nolite intelligere; & videte viſionem, & nolite cognoſcere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua; & oculos eius claude: ne fortè videat oculis ſuis & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum.* Hic verò locus repetitur in Nouo Teſtamento lib. Actuum Apoſtolorum cap. vltimo, versùs finem, num. 25. *Cùmque inuicem non eſſent conuenientes, diſcedebant, dicente Paulo vnum verbum: quia benè Spiritus ſanctus loquutus eſt per Iſaiam Prophetam ad patres noſtros dicens: Vade ad populum iſtum, & dic ad eos, aure audietis, & non intelligetis;* & cætera, prout in Iſaia leguntur. Vnde conſtat, quòd ille qui dicitur Deus exercituum in Iſaia, dicitur Spiritus ſanctus in Actibus Apoſtolorum. Ergo re vera Spiritus ſanctus eſt Deus.

Omnes autem Prophetæ ſæpiſſimè replicabant, dum ſermonem ad populum haberent: *Hæc dicit Dominus Deus.* Sanctus autem Petrus, Chriſti Apoſtolus, & Apoſtolorum præpoſitus epiſt. 2. cap. 1. dicit, Spiritum ſanctum Prophetis dictaſſe, & præcepiſſe præcipienda, & ab ipſis dicenda. Ait enim num. 21. *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophe-*

tia:

tia: ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines. Et Zacharias, qui tantoperè etiam in Alchorano commendatur cap. 2. primi libri, cui titulus eſt, De familia Amrani, & lib. 3. cap. 1. cui titulus eſt, De Maria, poſt ſuſceptum filium nomine Ioannem, ex vxore ſterili & ſene, benedicens Deum, ſic loquutus eſt, poſtquam aliquo tempore permanſerat mutus, & in hęc verba linguam ſoluit: *Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ. Sicut loquutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt, Prophetarum eius.* Ecce quomodo, promiſcuè, is qui loquutus eſt per os Sanctorum Prophetarum, hic dicitur Spiritus ſanctus, & ibi Deus, in ſacris Scripturis. Ergo Spiritus ſanctus eſt Deus.

Probatur inſuper, quia Spiritus ſanctus in Scripturis numquàm dicitur eſſe, vel factus, vel creatus, vel creatura: & tamen de Spiritu ſancto plerumque ſermo eſt, tam in Veteri, quàm in Nouo Teſtamento. Ergo Spiritus ſanctus non eſt creatura; at præter creaturas aliud non extat, ſed nec extare poteſt, niſi Creator & Deus. Ergo Spiritus ſanctus eſt Creator & Deus, cùm non ſit creatura. Et quidem in Cantico trium puerorum apud Danielem cap. 3. Pſalmo 102. & 148. omnes creaturæ ad Deum laudibus celebrandum conuocantur; & certè niſi de vniuerſis ſingillatim concedatur, negari non poteſt, eis locis creaturarum præcipuas ad laudem excitari. Vnde fit mentio de Angelis eius: *Benedicite Angeli Domini Dominum. Laudate eum omnes Angeli eius.* De hominibus: *Benedicite filij hominum Domino. Reges terræ & omnes populi, Principes, & omnes Iudices, iuuenes, & virgines, ſenes, cum iunioribus laudent nomen Domini, quia exaltatum eſt nomen eius ſolius.* Quibus verbis vult Propheta, ſolum Deum eſſe laudibus celebrandum: cæteros omnes eſſe celebrantes. Inſuper & inanimata etiam inuitantur: *Benedicite Sol & Luna*, &c. *Et laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes ſtellæ & lumen; cæli cælorum & aquæ omnes; ignis, grando, nix, ſpiritus procellarum; Montes, colles, ligna fructifera, &c.* Item: *Beſtiæ, & vniuerſa pecora, ſerpentes, & volucres, & dracones.* Et nullibi ad Deum laudandum Spiritus ſanctus conuocatur. Ergo, vel dicendum eſt, quòd ſacræ Scripturæ in omnibus his locis negligant Spiritus ſancti laudationem, tamquam aliquid minus Angelis, hominibus, ſole, luna, Beſtijs, &c. quod nulla ra-

la ratione dici poteſt: nam Spiritus ſanctus etiam ſuper homines, & Angelos, & ſuper vniuerſa creata, in Scripturis commendatur. Et Mahometani coguntur ex Alchorano, fateri, Spiritum ſanctum ſuper vniuerſas eſſe creaturas, dignitate & virtute: vt conſtat ex ſupra allatis ex cap. 1. 4. & 58. Alchor. vbi dicit, ſanctiſſimos viros Spiritus ſancti virtute roborari. Ergo dicendum, ideo ſacras Scripturas de eo mentionem non facere illis locis, nec illum ad Deum laudandum inter creaturas conuocare; quia ipſe eſt ille Deus, qui ab omnibus eſt celebrandus, non autem ſicut creatura celebraturus; Creator, non creatura: Deus, non autem Angelus, aut homo: ſicut enim eis locis non inuitatur Deus Pater, nec Deus Filius, ad ſe laudandum; ita, & propter eamdem rationem, non excitatur Spiritus ſanctus, quia cum Patre pariter & Filio erat laudandus, non cum creaturis laudaturus.

Eadem ratione, ab Apoſtolo, in epiſt. ad Coloſſenſ. cap. primo recenſentur creaturarum præcipuæ: Throni, Dominationes, Principatus, & Poteſtates. & tamen nec mentio fit de Spiritu ſancto.

Apoſtolorum Princeps, Petrus, etiam enumerat epiſt. prima, cap. tertio, Angelos, Poteſtates, cæteraſque creaturarum præcipuas: neque meminit Spiritus ſancti. Et quidem, vt ex contextibus patet, ſi Spiritus ſanctus eſſet creatura, fuiſſet in omnibus illis locis inter cæteros connumerandus, & tamen non connumeratur.

E contra verò, in eiſdem ſacris Scripturis, tàm veteris quàm noui Teſtamenti, frequẽter cum Patre & Filio Spiritus ſanctus pariter connumeratur. Ergo eſt, non creatura, ſed Deus; pari ratione, ſicut Pater & Filius. Matth. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.* Ecce in nouo Teſtamento, quonam modo Patri & Filio connumeratur. & Pſalmo 32. num. 6. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Ecce quomodo etiam in veteri Teſtamento, ſimiliter Patri & Filio Spiritus ſanctus etiam copulatur.

CAPVT

CAPVT IX.

Spiritus ſancti Diuinitas, Sanctorum Patrum auctoritate, probatur.

HAec perpendentes, ſanctiſſimi & eruditiſſimi Patres, & Catholicæ Eccleſiæ Doctores, etiam longè ante Mahometi tempora, diuinis conuicti teſtimonijs, Spiritus ſancti diuinitatem, cum Patris & Filij diuinitate, confeſſi ſunt, & celebrarunt.

Baſilius lib. de Spiritu ſancto, cap. 18. Iuſtinus lib. de Recta fidei confeſſione, in principio. Epiphanius in Ancorato, ſub initium; præcipuè verò Ioann. Chryſoſtomus, tomo 5. homilia in illud Apoſtoli dictum, primæ ad Corinthios. Cum autem ſubiecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe Filius ſubijcietur. poſt medium, eodem modo diſcurrit, ſicut ſupra diſcurrimus, ſuper illud Pſalmi 148. & Danielis tertij, & Coloſſenſes primi; quibus locis, præcipuæ creaturarum ad laudes Dei excitantur; non verò Spiritus ſanctus. Dicit enim ibi Chryſoſtomus. *Sermo hic eſt de creatura, non de increata natura, non de adorabili dignitate. Et vt diligentem ac exquiſitum veritatis ſermonem accipias, conſidera quomodo beatus Dauid, inducens laudantium creaturarum chorum, dicit: Laudate Dominum de cælis, laudate eum in ſummis, & reliqua: Angeli, virtutes, cæli cælorum, & aquæ quæ ſuper cælos. Nullam Spiritus mentionem facit, increatam naturam, creaturæ non connumerat. Tres Pueri, qui in camino induxerunt & ipſi creaturarum chorum, non recordati ſunt Spiritus ſancti. Item & Paulus, &c.* vt ſupra diſcurſum eſt.

Idem Chryſoſtomus tomo 3. hom. de Ioanne Baptiſta, ante medium, ſic ait: *Spiritus ſanctus non eſt factus. Spiritus enim ſanctus, qui fecit omnia, non eſt factus à Domino. Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum: Vides quia duo ſunt qui fabricant, dimitto Patrem, quia de Patre nulla dubitatio eſt, licèt in iſto verſiculo tres perſonæ demonſtrentur. Quando enim dicitur Verbo Domini cæli firmati ſunt, nominat Dei Verbū, ideſt, Deum Patrem & Filium, &c. & Spiritu oris eius omnis*

vir-

Spiritum ſanctum à Patre & Filio procedere.

SImiliter Spiritus ſanctus, dicitur à Deo procedere, Ioa. 15. ſeu, ſecundum textum Arabicum, ſect. 35. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*. Ergo, tam Filius, quàm Spiritus ſanctus, procedit à Patre.

Rurſus, Spiritus ſanctus non ſolùm à Patre, ſed etiam à Filio, in Scripturis dicitur, procedere. Io. 16. & in tex. Arab. ſect. 35. *Ille me clarificabit* (ideſt Spiritus ſanctus, de quo ibi loquitur Chriſtus) *quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*. Et paulò ante: *Non à ſeipſo loquetur, ſed quæcumque audiet loquetur*. & Io. cap. 15 ſeu ſect. 35. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis*. & cap. 16. ſeu ſect. 35. *Si autem abiero mittam eum ad vos*. Vnde conſtat, Spiritum ſanctum etiam à Filio procedere: aliàs enim non potuiſſet Chriſtus dicere, Spiritum ſanctum de ſuo accipere. *De meo accipiet*. Et quamuis non dixerit meam eſſentiam, aut naturam, aut ſubſtantiam, aut ſapientiam, &c. nihilominus iam conſtat eruditis viris, in Deo non eſſe partem & partem, & qui accipit partem accipit totum, cùm ſit ſimpliciſſima, eſſentia Diuina: vnde idem eſt dixiſſe, *De meo accipiet*, ac ſi dixiſſet, meam ſubſtantiam accipiet. Dixit autem, *De meo*, ad ſignificandum, non accipere Spiritum ſanctum à Filio filiationem, ſed eſſentiam tantummodo: Filius enim, ſecundùm modum noſtrum concipiendi, conſtituitur ex filiatione & eſſentia Diuina, hanc communicat Spiritui ſancto, non illam.

Similiter, & ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, non poſſet dicere ipſe Filius, Spiritum ſanctum à ſe mittendum. Quia miſſio, aut eſt per Imperium, prout mittuntur à Dominis ſerui: aut per conſilium, vt mitti dicuntur à ſapientioribus imperiti, ægroti à medico, ab aduocato clientes: aut eſt miſſio per naturalem productionem, prout germen & flores emitti dicuntur ab arbore vel radice. Alio modo non poteſt quis mitti, niſi ad aliquod genus harum trium miſſionum reducatur. At Spiritus ſanctus non poteſt mitti à Filio tamquam

ſeruus:

ſeruus: Quia, poſito quod ſit Deus, prout in præſenti diſcurſu ſupponimus, & infra oſtendemus ſuo loco, non poteſt alicuius dici ſeruus. Nec dici poteſt, mitti tamquam imperitus à ſapientiore, quia Deus nullum habet ſe ſapientiorem. Ergo miſſio Spiritus ſancti à Filio, intelligenda eſt ſecundùm productionem. Sic omnes ſancti Doctores, qui Mahometi tempora præceſſerunt, & à quibus cæteri omnes acceperunt. Præcipuè Auguſtinus libr. 4. de Trinitate cap. 19. & 20. & ſeqq. Vbi dicit, *Filium mitti, eſſe filium naſci*. Similiter, & *Spiritum Sanctum mitti, eſſe Spiritum ſanctum procedere*. Quare ſi à Filio mittitur Spiritus ſanctus, vtique à Filio procedit.

Conſtat ergo, Filium procedere à Deo Patre, & Spiritum ſanctum procedere ab vtroque. Ergo, non poteſt dici: Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, eſſe diuerſa nomina eiuſdem Diuinæ Perſonæ. Idque tali diſcurſu demonſtratur. Quicquid ab aliquo procedit, eſt neceſſariò ab eo diſtinctum; Filius procedit à Patre; Ergo eſt à Patre neceſſariò diſtinctus.

Maior patet: Quia nihil poteſt procedere à ſemetipſo, & eſt repugnantia in terminis, quia proceſſio de ſe dicit poſitionem diſtincti eſſe, ſeu modi, vel alicuius rei, non enim poteſt eſſe proceſſio nihili. Ergo aliquid diſtinctum debet per proceſſionem eſſe, Ergo hoc erit à producente diſtinctum. Minor patet ex Scripturis vbi ſupra. Ergo Filius eſt diſtinctus à Patre, & nulla ratione dici poteſt eadem perſona cum Patre.

Similiter, Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio, vt ex allegatis Scripturis conſtat. Ergo eſt à Patre & Filio diſtinctus. Ergo Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, non ſunt eadem perſona, ſed tres diſtinctæ perſonæ.

CAPVT

CAPVT VII.

Probatur, Dei Filium verum Deum eſſe.

NEc dici poteſt, Filium, & Spiritum ſanctum, non eſſe Deum, ſed Creaturas; quia repugnat Diuinis teſtimonijs.

Et primò, quod pertinet ad Filium, nulla ratione dici poteſt, ipſum non eſſe Deum, quia filiatio vera non poteſt eſſe inter ea, quæ ſunt diuerſæ naturæ: nec enim poteſt leo hominis eſſe filius, aut bouis, aut vrſi, vel alterius viuentis; ſed neceſſariò, leo, leonis eſt filius, non alterius. Filius ergo Dei non poteſt eſſe niſi Deus, aliàs enim non poſſet dici Filius Dei, non habens naturam Dei. Ergo, Filius Dei, Deus eſt.

Nec poteſt dici, eſſe Filium Dei, per creationem, vel adoptionem, vel alio modo; quia eiuſmodi filij, veri filij dici non poſſunt, ſed metaphoricè. At Filius Dei, qui talis proponitur in Scripturis, verus Filius dicitur, vt 1. Ioan. 5. in fine. *Scimus quoniam Filius Dei uenit, & dedit nobis ſenſum, ut cognoſcamus uerum Deum, & ſimus in uero Filio eius.* Et ad tollendam omnem difficultatem, ſubdit ſtatim ibidem Ioan. *Hic eſt uerus Deus, & uita æterna.* Igitur, abſque alio diſcurſu, patet ex Scripturis, verum Filium non ſolùm eſſe, vnde ex conſequenti poſſit inferri. ergo eſt Deus: verùm etiam & ipſa propoſitio clarè habetur, Filium Dei eſſe verum Deum, & vitam æternam; ita vt nullus relinquatur dubitationi locus, Filium Dei eſſe Deum.

Præterea probatur, Dei Filium eſſe Deum, ex omnibus Scripturis, & auctoritatibus ſanctorum Doctorum, ſupra allegatis, c. 4. ſect. 4. & ex infra allegandis, ad probandum Chriſtum eſſe Deum.

Ergo, Filius Dei Deus eſt.

CA-

CAPVT VIII.

Ex Sacris Scripturis probatur, Spiritum ſanctum eſſe verum Deum.

ET quod pertinet ad Spiritum ſanctum: ſimiliter nec dici poteſt, illum non eſſe Deum, quia repugnat Diuinis ſcripturarum teſtimonijs, ex quibus patet, Deum eſſe, tàm in Nouo, quàm etiam in Veteri Teſtamento.

Primò, lib. 2. Regum, c. 23. Scriptura ſic loquitur: *Hae ſunt uerba Dauid nouiſſima. Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam. Dixit Deus Iſrael mihi, locutus eſt fortis Iſrael, dominator hominum, iuſtus dominator.* Ecce quomodo illum, quem Spiritum Domini nominauerat, ſtatim, Deũ Iſrael eſſe, teſtatur.

Pſalmo 138. num. 3. *Quo ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam?* & Sap. primo num. 3. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia, ſcientiam habet vocis.* Ergo Spiritus ſanctus eſt immenſus, & implet omnia. At ſolius Dei eſt immenſitas, & ipſe ſolus omnia continet, vt etiam Alchoranus fatetur, cap. 3. *De Mulieribus*, pag 98.

وكان الله بكل شيء محيطا

Ideſt: *Et eſt Deus circumdans omnia.*

Cap. 33. lib. Iob, habetur de Spiritu ſancto, quod ſit creator: *Spiritus Dei fecit me.* & Pſalm. 32. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis uirtus eorum.* Pſalm. item 103. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.* At ſolius Dei eſt creatiua potentia, Deus ſolus eſt Creator. Ergo Spiritus ſanctus eſt Deus.

Ex Nouo etiam Teſtamento clariſſimè etiam conſtat, Spiritum ſanctum eſſe Deum.

Matthæi vltimo: *Baptizantes eos in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Vbi Chriſtus Spiritum ſanctum Patri &

Filio minimè copulaſſet, ſi etiam Deus non eſſet. Præterea Baptiſmus regenerat hominem in nouam creaturam, conſtituit ipſum Dei filium, adoptione, cùm de peccato transferat ad gratiam. At ſolùm ad Deum pertinet conferre gratiam, & hominem ſanctificare. Ergo Spiritus ſanctus, qui, ſimul cum Patre & Filio, Baptiſmi gratiam confert, Deus eſt. Et, ſi Baptiſmi gratiam non conferret, non benè In nomine Spiritus ſancti, ſicut In nomine Patris & Filij, Baptiſmus conferretur. Sic diſcurrit ſanctiſſimus & eloquentiſſimus Doctor, Gregorius Nazianzenus, longè ante Mahometi tempora, Oratione V. de Theologia.

Primæ ad Corinth. cap. 6. *Iuſtificati eſtis in Nomine Domini Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.* Ergo ſanctificatio habetur etiam per Spiritum ſanctum. Hoc autem tam clarum eſt, apud eos qui aliqualem habent Scripturarum notitiam, vt & ipſe Mahomet in Alchorano etiam fateatur, Spiritum ſanctum eſſe ſanctificationis authorem. Capite enim primo, cui titulus eſt *De Vacca*, loquens de Chriſto Domino, Mariæ filio, ſic inquit.

وَأَيَّدْنَاهُ بِرُوحِ الْقُدُسِ

Ideſt: *Sanctificauimus eum Spiritu ſancto.* Idem habetur capite 4. Alchorani, cui titulus eſt المائدة ideſt, cap. *De menſa*, circa finem capitis, vna ferè altiùs pagina; & cap. *De altercatione*. المجادله prope finem; fatetur idem Alchoranus, Sanctos omnes à Spiritu ſancto ſanctitatem accipere. Et in fine capitis *De probibitione*, idem patet. Ex quibus colligitur, Spiritum ſanctum dici ſanctificatorem, etiam apud Mahometanos. Ergo, ſicut affirmant, illum eſſe ſanctificatorem, debent pariter & ipſum Deum fateri.

Chriſtus ipſe in Euangelio aſſerit, ſe perpetrare miracula virtute Spiritus ſancti, dicens Matthæi ſect. 35. ſeu cap. 12 num. 28. *In Spiritu Deijcio Dæmonia.* At miracula perpetrare Diuinæ eſt ſolius omnipotentiæ, vt Alchoranus etiam fatetur: Ergo

Ergo Spiritus ſanctus, cùm ſit omnipotens, eſt etiam Deus.

Primæ ad Corinth. 6. *Membra veſtra Templum ſunt Spiritus ſancti*. At habere templum ſolius eſt Dei. Ergo Spiritus ſanctus, cui membra noſtra ſunt templum, Deus eſt. Præterea eadē membra, dicit Apoſt. 1. Cor. 12: 27. eſſe membra Chriſti: *Vos eſtis corpus Chriſti & membra de membro*. Ergo Spiritus ſanctus Deus eſt, cui, tamquam templum, Chriſti membra famulantur: aliàs enim non benè Dei membra, loco templi, alicui creaturæ deſeruirent.

Præterea, dare & diſtribuere ſupernaturalia gratiæ dona, ad libitum: non ſolùm gratiam ſanctificantem, ſed etiam dona illa quæ dicuntur gratis data, nempè miraculorum, prophetiæ, diſcretionis ſpirituum, ſermonis ſcientiæ, ſermonis ſapientię, &c. ſolius Dei eſt. At primæ ad Corinth. cap. 12. talis poteſtas de Spiritu ſancto, dicitur: dicit enim Apoſtolus: *Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto. Diuiſiones verò gratiarum ſunt, idem autem Spiritus. Et diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus. Et diuiſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ: alij autem ſermo ſcientiæ, ſecundùm eumdē Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alij gratia ſanitatum in vno Spiritu: alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult.* Ecce quomodo ſanctus Apoſtolus, omnia, quæ ſolus Deus donare poteſt, & pro ſua diſpenſare voluntate, clariſſimè teſtatur, Spiritum ſanctum ad libitum diſpertiri. Et infra eodem cap. talia diſpertientem dona, Deum apertiſſimè nominat: *Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtute, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarū, interpretationes ſermonum.* Prius ergo dixit, diſpenſatorem talium donorum, pro ſua voluntate, Spiritum ſanctum eſſe; deinde dicit, eſſe Deū, vt ex allegatis eius verbis clariſſimè patet.

Et quidem, ſi benè præallegata ex Alchorano verba perpendantur, colligemus, hoc idem ſignificari, dum dicitur, *Chriſtum confirmatum fuiſſe, & roboratum per Spiritum ſanctum.* Quia ſcilicet, dum Chriſtus omnia gratuita Dei dona, factis, in ſe oſtenderet collecta: nunc prædicens futura; nunc cordium

inſpiciens cogitationes, nunc ſanitates perficiens, &c. per Spiritum ſanctum accepiſſet. Ergo Alchoranus ipſe, tantam virtutem Spiritus ſancti, fatetur. At tanta vis ſoli Deo conuenit; nec enim creatura de ſe poteſt talia. Ergo Spiritus ſanctus Deus eſt. Similiter loquitur ſanctus Paulus capit. 2. ad Hebræos ſcribens, num. 4. *Conteſtante Deo ſignis, & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus ſancti diſtributionibus ſecundùm ſuam voluntatem.*

Præterea in libro Actuum Apoſtolorum cap. 5. num. 3. expreſsè dicitur Spiritus ſanctus Deus; vbi cuidam fraudanti de pretio agri, quem vendiderat, vt pretium in commune conferret, ſic inquit Petrus: *Anania cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto, & fraudare de pretio agri? Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Sic mendacium, dixit, factum Spiritui ſancto, non homini aut alteri creaturæ, ſed Deo fuiſſe factum. Quod non eſſet benè dictum, niſi Spiritus ſanctus eſſet Deus.

Ex vtroque ſimul Teſtamento probatur etiam apertiſſimè Spiritus ſancti Diuinitas.

Iſaia 6. Dicit Dominus exercituum Iſaiæ: *Vade, & dic populo huic, audite audientes, & nolite intelligere, & videte viſionem, & nolite cognoſcere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua; & oculos eius claude: ne forte videat oculis ſuis & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum.* Hic verò locus repetitur in Nouo Teſtamento lib. Actuum Apoſtolorum cap. vltimo, versùs finem, num. 25. *Cùmque inuicem non eſſent conſentientes, diſcedebant, dicente Paulo vnum verbum: quia benè Spiritus ſanctus locutus eſt per Iſaiam Prophetam ad patres noſtros dicens: Vade ad populum iſtum, & dic ad eos, aure audietis, & non intelligetis;* & cætera, prout in Iſaia leguntur. Vnde conſtat, quòd ille qui dicitur Deus exercituum in Iſaia, dicitur Spiritus ſanctus in Actibus Apoſtolorum. Ergo re vera Spiritus ſanctus eſt Deus.

Omnes autem Prophetæ ſæpiſſimè replicabant, cùm ſermonem ad populum haberent: *Hæc dicit Dominus Deus.* Sanctus autem Petrus, Chriſti Apoſtolus, & Apoſtolorum præpoſitus epiſt. 2. cap. 1. dicit, Spiritum ſanctum Prophetis dictaſſe, & præcepiſſe præcipienda, & ab ipſis dicenda. Ait enim num. 21. *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophe-*

tia : ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines. Et Zacharias, qui tantoperè etiam in Alchorano commendatur cap. 2. primi libri, cui titulus eſt, De familia Amrani, & lib. 3. cap. 1. cui titulus eſt, De Maria, poſt ſuſceptum filium nomine Ioannem, ex vxore ſterili & ſene, benedicens Deum, ſic loquutus eſt, poſtquam aliquo tempore permanſerat mutus, & in hęc verba linguam ſoluit: *Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ. Sicut loquutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt, Prophetarum eius.* Ecce quomodo, promiſcuè, is qui loquutus eſt per os Sanctorum Prophetarum, hic dicitur Spiritus ſanctus, & ibi Deus, in ſacris Scripturis. Ergo Spiritus ſanctus eſt Deus.

Probatur inſuper, quia Spiritus ſanctus in Scripturis numquàm dicitur eſſe, vel factus, vel creatus, vel creatura: & tamen de Spiritu ſancto plerumque ſermo eſt, tam in Veteri, quàm in Nouo Teſtamento. Ergo Spiritus ſanctus non eſt creatura; at præter creaturas aliud non extat, ſed nec extare poteſt, niſi Creator & Deus. Ergo Spiritus ſanctus eſt Creator & Deus, cùm non ſit creatura. Et quidem in Cantico trium puerorum apud Danielem cap. 3. Pſalmo 102. & 148. omnes creaturæ ad Deum laudibus celebrandum conuocantur; & certè niſi de vniuerſis ſingillatim concedatur, negari non poteſt, eis locis creaturarum præcipuas ad laudem excitari. Vnde fit mentio de Angelis eius: *Benedicite Angeli Domini Dominum. Laudate eum omnes Angeli eius.* De hominibus: *Benedicite filij hominum Domino. Reges terræ & omnes populi, Principes, & omnes Iudices, iuuenes, & virgines, ſenes, cum iunioribus laudent nomen Domini, quia exaltatum eſt nomen eius ſolius.* Quibus verbis vult Propheta, ſolum Deum eſſe laudibus celebrandum: cæteros omnes eſſe celebrantes. Inſuper & inanimata etiam inuitantur: *Benedicite Sol & Luna*, &c. *Et laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes ſtellæ & lumen; cæli cælorum & aquæ omnes; ignis, grando, nix, ſpiritus procellarum; Montes, colles; ligna fructifera; &c.* Item; *Beſtiæ, & vniuerſa pecora, ſerpentes, & volucres, & dracones.* Et nullibi ad Deum laudandum Spiritus ſanctus conuocatur. Ergo, vel dicendum eſt, quòd ſacræ Scripturæ in omnibus his locis negligant Spiritus ſancti laudationem, tamquam aliquid minus Angelis, hominibus, ſole, luna, Beſtijs, &c. quod nul-

la ratione dici poteſt : nam Spiritus ſanctus etiam ſuper homines, & Angelos, & ſuper vniuerſa creata, in Scripturis commendatur. Et Mahometani coguntur ex Alchorano, fateri, Spiritum ſanctum ſuper vniuerſas eſſe creaturas, dignitate & virtute: vt conſtat ex ſupra allatis ex cap. 1. 4. & 58. Alchor. vbi dicit, ſanctiſſimos viros Spiritus ſancti virtute roborari. Ergo dicendum, ideo ſacras Scripturas de eo mentionem non facere illis locis, nec illum ad Deum laudandum inter creaturas conuocare; quia ipſe eſt ille Deus, qui ab omnibus eſt celebrandus, non autem ſicut creatura celebraturus; creator, non creatura : Deus, non autem Angelus, aut homo: ſicut enim eis locis non inuitatur Deus Pater, nec Deus Filius, ad ſe laudandum; ita, & propter eamdem rationem, non excitatur Spiritus ſanctus, quia cum Patre pariter & Filio erat laudandus, non cum creaturis laudaturus.

Eadem ratione, ab Apoſtolo, in epiſt. ad Coloſſenſ. cap. primo recenſentur creaturarum præcipuæ: Throni, Dominationes, Principatus, & Poteſtates. & tamen nec mentio fit de Spiritu ſancto.

Apoſtolorum Princeps, Petrus, etiam enumerat epiſt. prima, cap. tertio, Angelos, Poteſtates, cæteraſque creaturarum præcipuas: neque meminit Spiritus ſancti. Et quidem, vt ex contextibus patet, ſi Spiritus ſanctus eſſet creatura, fuiſſet in omnibus illis locis inter cæteros connumerandus; & tamen non connumeratur.

E contra verò, in eiſdem ſacris Scripturis, tàm veteris quàm noui Teſtamenti, frequẽter cum Patre & Filio Spiritus ſanctus pariter connumeratur. Ergo eſt, non creatura, ſed Deus; pari ratione, ſicut Pater & Filius. Matth. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*. Ecce in nouo Teſtamento, quonam modo Patri & Filio connumeratur. & Pſalmo 32, num. 6. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*. Ecce quomodo etiam in veteri Teſtamento, ſimiliter Patri & Filio Spiritus ſanctus etiam copulatur.

CAPVT

CAPVT IX.

Spiritus ſancti Diuinitas, Sanctorum Patrum auctoritate, probatur.

HAec perpendentes, ſanctiſſimi & eruditiſſimi Patres, & Catholicæ Eccleſiæ Doctores, etiam longè ante Mahometi tempora, diuinis conuicti teſtimonijs, Spiritus ſancti diuinitatem, cum Patris & Filij diuinitate, confeſſi ſunt, & celebrarunt.

Baſilius lib. de Spiritu ſancto, cap. 18. Iuſtinus lib. de Recta fidei confeſſione, in principio. Epiphanius in Ancorato, ſub initium; præcipuè verò Ioann. Chryſoſtomus, tomo 5. homilia in illud Apoſtoli dictum, primæ ad Corinthios. Cum autem ſubiecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe Filius ſubijcietur. poſt medium, eodem modo diſcurrit, ſicut ſupra diſcurrimus, ſuper illud Pſalmi 148. & Danielis tertij, & Coloſſenſes primi; quibus locis, præcipuæ creaturarum ad laudes Dei excitantur; non verò Spiritus ſanctus. Dicit enim ibi Chryſoſtomus. *Sermo hic eſt de creatura, non de increata natura, non de adorabili dignitate. Et vt diligentem ac exquiſitum veritatis ſermonem accipias, conſidera quomodo beatus Dauid, inducens laudantium creaturarum chorum, dicit: Laudate Dominum de cælis, laudate eum in ſummis, & reliqua: Angeli, virtutes, cæli cælorum & aquæ quæ ſuper cælos. Nullam Spiritus mentionem facit, increatam naturam, creaturæ non connumerat. Tres Pueri, qui in camino induxerunt & ipſi creaturarum chorum, non recordati ſunt Spiritus ſancti. Item & Paulus, &c.* vt ſupra diſcurſum eſt.

Idem Chryſoſtomus tomo 3. hom. de Ioanne Baptiſta, ante medium, ſic ait: *Spiritus ſanctus non eſt factus. Spiritus enim ſanctus, qui fecit omnia, non eſt factus à Domino. Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum: Vides quia duo ſunt qui fabricant, dimitto Patrem, quia de Patre nulla dubitatio eſt, licèt in iſto verſiculo tres perſonæ demonſtrentur. Quando enim dicitur Verbo Domini cæli firmati ſunt, nominat Dei Verbũ, id eſt, Deum Patrem & Filium, &c. & Spiritu oris eius omnis*

vir-

virtus eorum. Ergo manifeſtè in iſto Pſalmi verſiculo demonſtratur, quod Pater & Filius & Spiritus ſanctus omnium creatores ſunt. Hæc Chryſoſtomus. Et alibi ſæpiſſimè, præſertim in homilia, quæ agit de Spiritu ſancto, clariſſimè fatetur, & oſtendit Spiritus ſancti diuinitatem.

Sanctus Auguſtinus lib. 1. de Trinitate cap. 6. referens illud Apoſtoli 1. Corint. 6. Neſcitis quia membra veſtra Templum ſunt Spiritus ſancti, ſic loquitur: *Quid inſanius magiſque ſacrilegum eſt, quàm vt quiſquam dicere audeat, membra Chriſti Templum eſſe creaturæ?* Et poſt pauca: *Si autem quæ membra ſunt Chriſti Templum ſunt Spiritus ſancti, non eſt creatura Spiritus ſanctus; quia cui corpus noſtrum templum exhibemus, neceſſe eſt huic eam ſeruitutem debeamus, qua non niſi Deo ſeruiendum eſt, quæ Græcè appellatur* λατρεία. *Vnde conſequenter dicit: Glorificate ergo, & portate Deum in corpore veſtro.* Sic Auguſtinus. Et libr. 1. contra Maximum cap. vltimo, ſimiliter diſcurrit, & Tomo 2. Epiſt. 66. ante medium: *Non ſicut in principio fecit Deus cælum & terram, ita in principio fecit Verbum; ſed in principio erat Verbum. Spiritus quoque ſanctus, non ſicut creatura ex nihilo eſt factus; ſed ſic à Patre procedit, vt nec à Patre, nec à Filio ſit factus, Hæc Trinitas vnius eſt, eiuſdemque naturæ, atque ſubſtantiæ.*

Verùm, ſi omnes ſanctorum Patrum, & Eccleſiæ Doctorum, per ſingulas afferrem ſingulorum ſententias: paginas implerem innumeras, ac penè infinitas. Omnes enim ſancti Patres, ſancti Doctores, & vniuerſa ſanctorum Concilia Chriſtianorum, qui Chriſti fidem integram, prout à Chriſto per Apoſtolos acceperant, ſeruauerunt; quos & ipſemet Alchoranus fatetur, recta via inceſſiſſe, ſalutiſque terminum feliciter adeptos eſſe, cap. 1. & 4. Alchorani. Inſuper & fideles eſſe Scripturarum interpretes, vt conſtat ex cap. *De Iona* versùs finem, & ex Gloſſis ſuper illud. Omnes, inquam, hi ſancti viri, quorum ſanctitas & fidelitas tam celebris fuit, vt etiam Alchorani auctor inficiari non potuerit: non ſolùm corde crediderunt, nec ſolùm ore confeſſi ſunt; ſed & ſcriptis mandarunt, Diuinæ Trinitatis Myſterium: non ſolùm Patris, & Filij; ſed & Spiritus ſancti quoque Diuinitatem celebrantes.

Irenæus,

Irenæus, Ignatius, & præter eos Athanaſius. in Epiſt. præcipuè ad Serapionem. Baſilius lib. 3. & 5. in Eunomium. Item lib. de Spiritu ſancto ad Amphilochium. Didimus libris duobus de Spiritu ſancto. Epiphanius hæreſi 74. Gregorius Nazianzenus libr. 5. de Theologia. Gregorius Nyſſenus libr. ad Euſthatium, quòd Spiritus ſanctus ſit Deus. Cyrillus Hieroſolymitanus, Cathec. 16. & 17. Cyrillus Alexandrinus libr. 13. & 14. Theſauri, libr. 7. de Trinitate, & libr. quo peculiariter agit de Spiritu ſancto. Ambroſius tribus libris de Spiritu ſancto. Hilarius libris duodecim de Trinitate. Item Auguſtinus libro primo de Trinitate cap. 6. vbi ſupra, & libro primo contra Maximum, in fine: &, in vniuerſum, omnes ſancti Patres, & Doctores, vniuerſa Concilia, & omnes Catholici, qui integram fidem, prout à Chriſto per Apoſtolos accepimus, ſeruauerunt, & ſeruauimus, & vſque ad hæc tempora, Deo cooperante, ſeruamus.

Propoſitis ſatisfit difficultatibus.

PLeraque à te obiecta contra hoc ſacroſanctum Myſterium, Scripturarum auctoritate, & explicatione, facilè ex dictis ſoluuntur.

SECTIO I.

Satisfit difficultati primò propoſitæ.

AD illud, quod primò obijcis, nomina quæcumque in huius myſterij explicatione, eſſe tantùm nomina ſine re, & à nobis gratis vſurpata; nempe tam nomen Verbi, quàm nomen Filij, ſapientiæ, generationis, &c.

Dei Filius, Dei Verbum in ſacr. Script. dicitur.

Reſpondeo, non fuiſſe à nobis efficta, & gratis vſurpata. Nam primò: quoad nomen Verbi, conſtat ex Diuinis ſacrarum Scripturarum teſtimonijs, inde à nobis fuiſſe deprompta. Ioannis 1. de Dei Filio ſic loquitur Scriptura: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Et infra: *Et Verbum caro factum eſt: & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre*. Et inferiùs eodem cap. *Ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei*. Et Hieremiæ cap. 17. num. 15. *Vbi eſt Verbum Domini? veniat*. Et pſalmo 32. num. 6. *Verbo Domini cæli firmati ſunt*. Ergo ex ſacris Scripturis Verbum Dei habemus.

Miror autem, Mahometanos talia obijcere, cùm & Alchoranus ipſe cap. 3. cui titulus eſt, *De mulieribus*, versùs finem; Chriſtum Mariæ Filium, Dei Verbum eſſe fateatur, dicens:

إِنَّمَا الْمَسِيحُ عِيسَى بْنُ مَرْيَمَ رَسُولُ اللّٰهِ وَكَلِمَتُهُ أَلْقَاهَا إِلَى مَرْيَمَ وَرُوحٌ مِنْهُ ۞

Ideſt : *Chriſtus Ieſus, Filius Mariæ, eſt Verbum Dei, quod ad Mariam immiſit , & Spiritus ex Deo procedens*. Verbum autem Dei eſſe etiam Filium Dei, & à Deo genitum, fatetur etiam auctor libri Camus , inter Mahometanos celeberrimus, in dictione ولد , vbi ſic inquit, verba ex Pſalmo ſecundo allegàns :

انت ابنى وانا ولدتك قول الله عز وجل لعيسى بن مريم ۞

Ideſt: *Filius meus es tu*; *Ego genui te* . *Sunt verba Dei excelſi dicta Ieſu Chriſto Filio Mariæ* . Ergo idem eſt, qui Dei Verbum, & Dei Filius nuncupatur, Ieſus Chriſtus . Nomina ergo, non ſolùm à Scripturis, ſed etiam ab antiquiſſimis Mahometanis Chriſto tributa, non ſunt à nobis efficta .

Ratio etiam ſuadet Dei filium, Dei verbum eſſe, & dici poſſe.

Ratione etiam patet, benè Dei Filium Dei Verbum eſſe, & nuncupari. Filium enim Dei, non dicimus ad inſtar viuentium ſenſibilium naſci, ſicut germen ex ſemine, aut ab animali animal, aut ex homine hominem, mulieris & viri conſortio. Sed, vt ſupra explicatum eſt, ex Diuino intellectu, dum Deus ſemetipſum intelligens, ſui Imaginem intra ſemetipſum efformat; quæ Imago, mentis Verbum dicitur. Hoc etiam in nobis, dum aliquid intelligendo cognoſcimus, & rei intellectæ imaginem in noſtro intellectu efformamus; & illa imago, verbum noſtræ mentis dicitur, & verbum eius rei, quam repræſentat. Vnde Verbum Diuinum, duplici ratione, Dei Verbum dicitur. Primò, quia eſt à mente Dei. Secundò, quia repræſentat ipſum Deum.

Quamuis autem nomen verbi grammaticè, in nobis dicatur de voce articulata, aliquid ſignificante; nihilominus primò & principaliter, interior mentis conceptus verbum dicitur: ſecundariò autem ipſa vox ſignificatiua: quod patet; nam non omnes voces verba dici poſſunt, voces enim inarticulatæ, & mentis conceptum nullum ſignificantes, voces quidem dicuntur, non tamen verba. Rurſus, etiam voces articulatæ, ſi à ratione & mente non proueniant, quamuis articulatæ & de ſe materialiter ſignificantes, nec etiam propriè verba dici poſſunt: vt patet in voce aliqua, ad inſtar humanæ, prolata ab animali rationis experte, exempli gratia à Pſyttaco, ſi proferat hanc vocem, verbi gratia, lapis. Si accipiatur illa vox materialiter, quatenus illas articulationes habet, poterit dici verbum, quia ſignificat conceptum, nempe petræ ſeu ſaxi. Formaliter tamen nihil ſignificat; quia Pſyttacus, dum (lapis) dicit, non importat ſecum aliquem conceptum, neque lapidis, neque alterius rei, cùm mente careat: &, quoad ſignificatum, non magis Pſyttaco proferendum eſſet hoc verbum, lapis, quàm aliud quodcumque verbum; quia omnia reſpectu Pſyttaci nihil ſignificant. Propterea, dum canit Pſyttacus quaſcumque humanas voces, non dicimus propriè loqui, aut verba proferre. Hoc enim proprium eſt rationis & mentis; nec poteſt rationis expertibus conuenire.

Ex his ergo conſtat, primò & principaliter proli mentis nomen verbi conuenire. Verbo autem ore prolato non, niſi quatenus ad mentis conceptum referatur. Sequitur etiam ad rationem verbi non ſufficere tantùm, ſignificare; ſed etiam requiri, à mente ſeu à ratione prouenire: nam, ſicut voces nihil ſignificantes, ſeu inarticulatæ, verba non dicuntur, quia nihil ſignificant: ita etiam & voces articulatæ, & materialiter ſignificantes, verba propriè non dicuntur; quia à ratione non proueniunt, vt patet in exemplis allatis de vocibus inarticulatis, & de Pſyttaco humanam vocem referente.

Patet ergo, Dei Filium iurè Dei Verbum dici; cùm ſit conceptus Diuinæ mentis; & omnia, quæ ad Verbi rationem requiruntur, in ipſo perfectiſſimo modo reperiantur: ſignificat enim, cùm Deum ipſum repræſentet: & eſt à ratione, quia eſt per Diuinum intellectum. Ergo non gratis, ſed iurè, &

Scripturarum authoritate, Verbum Dei dicimus.

Propter eaſdem rationes, Dei ſapientiam eumdem Filium nuncupamus.

Primò, quia Scripturæ ſic loquuntur, Prou. c.8. *Sapientia clamitat, &c.* Et, inter cætera, hæc loquitur ibi Diuina ſapiētia: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum; antequam quicquam faceret, à principio. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram. Ante colles ego parturiebar. Quando præparabat cælos, aderam. Cum eo eram cuncta componens.* Et Eccleſiaſtici 24. eodem ferè modo Diuina Sapientia loquitur. In quibus verbis animaduertendum eſt, Hebræum textum habere קנני *Canani*, quod propriè ſignificat poſſeſſionem, ſeu adeptionem rei per generationem, ita vt idem ſit, *Dominus poſſedit me*, ac Dominus generauit me, ſeu me obtinuit generando. Idque magis explicatur per ſequentia, dum ſubdit, ſe conceptam & natam. Quod autem non loquatur de creatura, ſequitur, *Antequam quicquam faceret.* & ad maiorem explicationem, quod loqueretur de Sapientia Diuina, quæ eſſet etiam creatrix, adiungit propterea illa verba: *Cum eo eram cuncta componens.* *Dei Filius dicitur Dei Sapientia.*

Hic autem obſeruandum eſt, quomodo Sapientia ſibi tribuat omnia, quæ in generatione & partu reperiuntur. Non enim ſiluit conceptum, dum inquit: *Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram.* Nec ſiluit partum, dum inquit: *Ante colles ego parturiebar.* Et ne quaſi in fieri imperfectus Filius videretur, quaſi non ſtatim ab æterno perfectè excluſus, illicò addit: *Quando præparabat cælos aderam.* Inſuper robur & potentiam Diuinam ſignificans, ſubiungit. *Cum eo eram cuncta componens.* Quia ſcilicet, Diuinus partus, omnia quæcumque in creato partu reperiuntur, partus perfectionem indicantia, ipſe etiam continet; ſecluſis tamen imperfectionibus. Et quidem ad perfectionem partus pertinet in creatis, vt concipiatur, vt excludatur de ventre: deinde adſit præſens, iam excluſus: & tandem, vt ad perfectam ætatem, & ad robur, à ſua natura requiſitum, perueniat, & iuxta robur operetur. Hæc omnia ad partus perfectionem faciunt, vt ſimilis in natura, & robore, & etiam operatione, ſe parien- *Diuinæ Sapientiæ conceptus & partus.*

rienti, naſcatur. Tamen imperfectio quædam perſpicua eſt in creatis, ſucceſſio temporis, quæ neceſſaria eſt, ad hoc vt genitori & parienti ſimilis omninò, quoad omnia, efficiatur. Fœtus enim creatus, dum primò concipitur, non habet adhuc perfecta organa, ſed paulatim perficitur; homo, exempli gratia, vſque ad decimum menſem: deinde, poſt organa completa, vt poſſit à concipiente eſſe disiunctus, excluditur, & à matre ſeparatur: ita vt aliud ſit eſſe conceptum, & aliud eſſe excluſum, nec poteſt vtrumque ſimul eodem tempore fieri. Deinde, poſt partum, incipit augeri, & creſcere; ita vt non poſſit operationes parentum illico exercere, niſi per augmentum ætatis, & temporis ſucceſſiones. Hanc ergo imperfectionem à ſe reijcit Diuina Sapientia, & ſimul, & ſemel, ab inſtanti æternitatis, non ſolùm ſe dicit conceptam, ſed etiam natam; nec ſolùm naſci, quaſi in fieri excluſionis, ſed perfectè excluſam; & propterea adiungit tunc, dum conciperetur, & naſceretur, ſe adeſſe. Inſuper, & ad ſignificandam integritatem totius perfectionis, & illicò omne robur ſui Patris obtinuiſſe, nec temporis ſucceſſione paulatim acquiſiuiſſe; propterea addit, ſe cum Patre omnia compoſuiſſe, & creaſſe, dicens: *Cum eo eram cuncta componens*. Vnde patet, benè ab initio nos præfatos eſſe, & benè ſanctæ Eccleſiæ Patres & Doctores nos inſtituiſſe; ex creatis ad increatorum cognitionem, eſſe mentis aciem eleuandam, conſideratis perfectionibus, relictis imperfectionibus. Certum namque eſt, Deo, ſicut nullam ineſſe imperfectionem, ita omnem adeſſe perfectionem: & ex locis Scripturarum, mox ſupra allegatis, colligitur, talem eſſe etiam ipſarum Scripturarum morem, cùm Diuinæ Sapientiæ, à Patre genitæ, omnia tribuant, ad perfectum partum pertinentia, & quæ imperfectionem ſapiunt, relinquant.

Non ergo gratis, Sapientiam, Dei Filium, nominamus, cùm ſacræ Scripturæ, Sapientiam, à Deo conceptam & natam, loquantur. Præterea cũ ex ſupradictis conſtet, Dei Filiũ, eſſe Dei Verbum: Verbum autem producitur à mente intelligente: mẽs autem intelligens dicitur Sapiens: Quid ergo mirum, ſi Verbum Dei, à Deo expreſſum per intellectionem, dum ſemetipsũ cognoſcit & eſt ſui ſapiens, dicatur Sapientia? Conſtat inſuper,

etiam

etiam in humanis; Exempli gratia: Quod iuſtè fit, interdum dici iuſtitiam: quod fortiter, dici fortitudinem: quod virtuosè, dici virtutem: ſic effectibus, nomen cauſæ tribuendo. Cum ergo Deus ſapienter, ſeu per ſapientiam, Verbum in ſemetipſo exprimat, quia exprimit per intellectionem, rectè Sapientia dici poteſt, ad eum modum, quo aliquid ſapienter excogitatum dicitur alicuius ſapientia. Quare benè Apoſtolus Paulus, primæ ad Corinth. 1. Chriſtum, Dei ſapientiam nominat. Qui enim Dei verbum rectè dicitur, Dei ſapientia, etiam rectè dici poteſt. Dicitur etiam propter eamdem rationem lux, ſplendor, &c. prout de ſapientia hæc metaphoricè dici poſſunt: ſicut enim lux & ſplendor nobis materialia manifeſtant, ita ſapientia, ſpiritualiter omnia detegit, & reddit clara & aperta. Vnde Apoſtolus, ad Hebræos ſcribens, cap. 1. eumdem Chriſtum vocat ſplendorem, & lucem, ſicut & ipſe Chriſtus in Euangelio, *Ego ſum lux*.

SECTIO II.

Satisfit difficultati, ſecundò propoſitæ.

Sapientia Dei Eſſentialis, & Notionalis.

AD illud autem, quod contra hæc obijcis, ſapientiam in Deo non eſſe quid diſtinctum à Deo, ſed ipſummet Deum per ſuam eſſentiam eſſe ſapientem: aliàs enim, inquis, ſapientia eſſet Deo accidentalis, & veluti ſuperueniens; vnde ſequeretur in Deo non eſſe perfectionem ſapientiæ, cum eſſet Filius diſtinctus à Deo.

Ad hoc, inquam, reſpondeo, ſapientiam eſſe eſſentialem Deo, non accidentalem, & eſſe ipſammet eſſentiam Dei. Nihilominus notandum eſt, in Deo ſapientiam dici dupliciter; vno modo eſſentialiter, alio modo dici etiam perſonaliter, ſeu notionaliter; & vnum non excludere aliud; ſed vnum conſequi ad alterum: nam Pater, cognoſcendo ſeipſum, filium generat. Qui dicitur Patris ſapientia, non quidem quaſi Pater aliàs non ſit in ſe ſapiens per ſuam eſſentiam; ſed quia Pater, ſuam ſapientiam exercendo, Verbum producit: Hoc autem ex diuina tantùm nouimus atteſtatione: ſic enim ipſe in Scripturis ſuis teſtatur. Nec eſt, cur illis aſſenſum denegemus. & eò minus, cùm etiam creatum intellectum, intelligendo, verbum rei intellectæ in ſe exprimere, aſſeramus. quare igitur eiuſmodi fœcunditatem diuinæ intellectioni minimè tribuemus?

Quando deinde obijcis; ergo ſapientia Dei eſt extra ipſum Deum, ſeu, ergo ſapientia eſt diſtincta à Patre, & Pater non eſt eſſentialiter intelligens, ſeu ſapiens; Negatur conſequentia, quia, quamuis Filius, qui eſt ſapientia genita Patris; ſit diſtinctus perſonaliter à Patre; eſt tamen eadem eſſentia Patris & Filij; nec enim Filius aliquid habet, quod non habeat Pater, niſi tantùm illud eſſe genitum; & ſicut filius eſt eſſentialiter ſapientia, ita Pater eſt eſſentialiter ſapiens: Et quamuis Sapientia, ſeu Verbum, non ſit accidens, quod, ſicut in creaturis, recipiatur in ipſo intellectu Patris, & informet illum (quia hoc argueret imperfectionem) non propterea Pater non eſt dicendus ſapiens & intelligens; quia ſapere & intelligere, non eſt per receptionem in Deo, ſed per eſſentiam, vt etiam in tuo libro fateris.

Eſt

Eſt namque diſparitas, inter diuinum intellectum & creatũ: intellectus enim creati non intelligunt eſſentialiter: accidit enim illis intelligere: & propterea dum intelligunt, ſimul intellectionem recipiunt. Vnde non ſolùm eliciunt intellectionem, ſed etiam ſimul recipiunt quod producunt; ita, vt informati qualitate illa ſpirituali, quæ eſt formalis expreſſio obiecti cogniti, reddantur per talem informationem intelligentes, ad eũ modum, quo per albedinem paries formaliter fit albus. Igitur propter indigentiam, ſeu defectum, quia non ſunt per eſſentiam intelligentes, producunt in ſe formam, per quam intelligentes reddantur, cum illa careant. Diuinus autem intellectus, & diuinum Verbum, omni carentes imperfectione, nec ille recipit, nec iſtud exigit recipi: diuinum quidem Verbum non exigit recipi, quia eſt ſubſtantia, & non accidens: Diuinus autem intellectus non indiget huiuſmodi receptione, quia intelligit per ſuam eſſentiam. Creaturæ autem non intelligunt per ſuam eſſentiam, vt diximus, & propterea formam, per quam intelligant, recipiunt. Deus verò producit quidem Verbum, quia hoc eſt de intrinſeca & naturali fœcunditate diuinæ intellectionis, prout ex ſacris Scripturarum teſtimonijs conſtat: Non verò Deus producit Verbum, vt per illud fiat formaliter intelligens, ſicut creaturæ. Cum autem forma, per quam Deus intelligit, ſit ſuamet diuina eſſentia, non exigit formam diſtinctam, nec Verbum, per quod fiat intelligens formaliter. Hoc autem ſic etiam apertè demonſtratur, quòd nempè, ſi Deus non eſſet formaliter intelligens per ſuam eſſentiam, nec poſſet reddi formaliter intelligens per Verbum: quia forma Verbi eſt eadem forma cum forma Patris; eadem enim eſt eſſentia vtriuſque: Vnde ſi eſſentia Patris non eſſet forma faciens intelligere formaliter, nec etiam eſſet talis forma Verbi; ponimus enim eamdem formam eſſe. In creaturis verò non ſic, ſed alia forma eſt naturæ ipſarum; Exempli gratia, Angeli aut hominis, & alia forma eſt verbum ipſorum, quod eſt accidens, cum ipſorum forma ſit ſubſtantia: & ita poſſunt habere effectum formalem intelligendi per verbum, quod nequeunt per propriam ſuimet naturam, ſeu formam. Deus verò Pater, ſi per ſuam eſſentiam non intelligeret; nec etiam intelligeret per eſſentiam Filij: Productio autẽ Filij, non eſt ex indigentia, ſed ex diuinæ intellectionis fœcunditate. Ergo, non per hoc, quod dicimus, Filium Dei, diſtinctum

à Patre, eſſe Sapientiam Patris, non inquam, per hoc dicimus, Deum Patrem non eſſe eſſentialiter, ſicut intelligentem, ita & ſapientem; quia ſapientia dupliciter dicitur in Diuinis, vno modo notionaliter ſeu perſonaliter, ſignificando Verbum, ſeu terminum productum per intellectionem, qua Pater eſt ſapiens: alio modo dicitur eſſentialiter, intelligendo ſapientiam, qua Pater ſe cognoſcit; non per aliam formam, niſi tantùm per ſuammet eſſentiam. Vnde ſapientia eſſentialiter, eſt ſola ipſa eſſentia Diuina, vt omnes Philoſophi, rectè Diuina perpendentes, fatentur, & tu ipſe in tuo libro fateris. Sapientia verò, quam non niſi ex ſacris Scripturis agnouimus, eſt ſapientia genita, & producta à Patre, tamquam Verbum ſuæ Diuinæ intellectionis, quod tamquam ſapientiæ terminus, tamquam aliquid per Diuinæ ſapientiæ exercitium reſultans, dicitur ſapientia; & ſapientia Patris, quia à Patre generatur. Quam ſapientiam genitam, ſeu Dei Verbum, cùm ex vna parte ſacra volumina tam clarè teſtentur, & ex alia parte, in noſtro intellectu nos etiam, intelligendo, verbum rei intellectæ exprimamus; non eſt cur Diuinis authoritatibus in ea re aſſenſum denegantes, per Dei intellectionem etiam exprimi ſeu gigni non credamus.

Filius & Spiritus ſanctus quamuis ſapientes, non tamen Verbū dicuntur producere.

Ex his aliam humanus intellectus, nequiens Diuina capere, & tamen anhelans percipere, naturali quadam inſita ſciendi cupiditate, incurrit difficultatem: nempe, quonam modo Filius & Spiritus ſanctus dicantur etiam intelligere & ſapere, cùm non producant verbum? vel è contra; ſi ſapientes ſunt, ſicut & Pater, etiam Filius & Spiritus ſanctus; quanam ratione ſuum etiam verbum vterque non producit?

Hanc difficultatem facilè etiam enodabimus, ſola explicatione: nempe animaduertendo, Patrem, dum ſemetipſum intelligit, producere Verbum adæquatum ſuæ Diuinæ intellectionis, per quam, quæcumque ſunt in Deo cognoſcibilia, omnia cognoſcit, in priori illo originis, ita vt nihil vlteriùs remaneat cognoſcendum: exprimit igitur per cognitionem omnium adæquatam, adæquatum etiam Verbum. Ipſum verò Verbum non accipit nouam entitatem, ſed eamdemmet entitatem, quam habet Pater, eamdem eſſentiam, eamdem voluntatem, & eumdem intellectum, vnde accipit eamdem intellectionem: nec poteſt per ipſum intellectum aliam nouam intellectionem

elicere, quam non eliciat Pater. Nam, ſicut habet eumdem numero intellectum, ita etiam habet eamdem numero intellectionem, quæ, cùm ſit adæquata, non poteſt eſſe alia & alia; ſed neceſſario eſt vna indiuiſibilis, pluralitas enim intellectionum arguit imperfectionem intellectionis, quæ non ſit potens per vnicum actum ſufficere ad cognitionem adæquatam: & propterea in intellectu Diuino non poteſt poni, niſi vnica tantùm intellectio. Vnius tamen actionis (vt humano more loquamur ad explicationem) non poteſt eſſe niſi vnus terminus adæquatus; ſic & intellectionis vnius, non poteſt eſſe, niſi vnicum Verbum adæquatum. Ergo intellectionis Filij non poteſt eſſe aliud Verbum, niſi Verbum illud idem intellectionis Paternæ, quia intellectio Filij eſt eadem intellectio. Et ita benè eſt ſapiens & intelligens Filius, quia accipit intellectum actu intelligentem à Patre, non tamen verbum producit: ſed intellectio (cùm ſit idem cum Diuina eſſentia) in Patre eſt Verbum producere, in Filio verò illud ipſum intelligere eſt intelligi & Verbum produci, non verò Verbum producere; imo implicat, Verbũ per eam intellectionem producere, quia illius intellectionis ipſum eſt terminus productus. Vnde ad eamdem intellectionem Pater & Verbum, diuerſo ſeu oppoſito modo, comparantur; nempe Pater, vt principium eliciẽs: Filius verò ſeu Verbum, vt terminus productus: & ſicut implicat, terminum eſſe principium eius actionis, per quam producitur; ita implicat, Verbum per intellectionem producere. Itaque per illam intellectionem, qua Deus eſt eſſentialiter ſapiens, Pater Verbum producit, & Filius ſeu Verbum producitur. Et ita ex parte Patris eſt veluti agere, facere; ex parte verò Filij eſt veluti fieri; quæ ſunt correlatiua oppoſita. Et ex tali explicatione etiam colligitur, diſtinctionem ſolùm eſſe in relatiuis; in cæteris verò ad inuicem non relatiuis, ſicut & in abſolutis, eſſe identitatem. Et propterea, quamuis Filius dicatur & ſit intelligens per eamdem intellectionem & ſapientiam Patris; cùm illa Patris intellectio producat etiam Verbum, non tamen ipſum dicitur Verbum producere; quia intelligere eſt quid abſolutum in Diuinis, & dum communicatur intellectus iam intelligens & ſapiens, communicatur etiam ipſa ſapientia & intellectio. Producere verò eſt relatiuum, & dum Pater producit Filium, communicat illi quidem omnia;

non autem poteſt illi communicare illud producere; eſt enim implicantia in terminis, quia ſi Filius per illam productionem producitur & eſt productus, non poteſt per eamdemmet productionem eſſe productor; nec poteſt communicari illi ſuummet producere actiuè; ſed dum Pater eſt producere Filij actiuè, neceſſariò erit Filius ſuummet produci paſſiuè, & nulla ratione poteſt eſſe ſuummet producere actiuè. Quare, quamuis omnia Filio à Patre communicentur, neceſſariò incommunicatum remanere neceſſe eſt ex parte Patris illud agere, illud producere: & loco illius productionis actiuè, neceſſariò ponenda eſt in Filio produci, ſeu productio paſſiuè. Vnde benè dicimus, Filium eſſe intelligentem & ſapientem; non verò verbum producentem, ſed eamdem ſapientiam, quæ in Patre eſt Verbum producens; in Filio eſſe Verbum produci.

Similis diſcurſus tollit difficultatem circa Spiritum ſanctum, qui eadem ratione dicitur ſapiens & intelligens, ſicut Filius; ſed ſuo modo, nempe accipiendo intellectionem Diuinam, Diuinamque Sapientiam; non quidem per intellectum, ſicut Filius, à ſolo Patre; ſed, vt ſupra diximus, à Patre ſimul & Filio per voluntatem: ſicut enim accipit Diuinam eſſentiam, ita etiam accipit Diuinam intellectionem & ſapientiam. Itaque cùm Spiritus ſanctus accipiat intellectum ſapientem & intelligentem, eadem numero intellectione & ſapientia dicitur ſapiens, ſicut Pater & Filius; nec tamen nouum Verbum producit, quia non elicit nouum actum intellectionis & ſapientiæ. Cùmque ipſa intellectio & ſapientia, vt diximus, ſit idem quod Diuina eſſentia, & Diuina Sapientia, in Patre, ſit Verbum producere; & in Filio Verbum produci: Spiritus autem ſanctus eamdem intellectionem accipiat per voluntatem, illa intellectio, in Spiritu ſancto, erit ſpirari, ſeu Diuinus amor. Spiritus enim ſanctus, omnia Diuina, omnem Deitatem, accipit per ſolam ſpirationem, per actum Diuinæ charitatis, quo Deus ſemetipſum diligit. Et proportionali modo, ſicut diximus de Patre reſpectu Filij, & de Filio reſpectu Patris, in productione per intellectum: ita dicendum eſt, de Patre ſimul & Filio ex vna parte, reſpectu Spiritus ſancti ex altera: & de Spiritu ſancto reſpectu Patris & Filij: ſcilicet, Patrem & Filium omnia communicare Spiritui ſancto, exceptis tantùm relatiuis.

Quare Spiritus ſanctus accipit à Patre & Filio omnem Deitatem, omnem intellectionem, Sapientiam, Amorem, &c. Nec enim poteſt communicari vnum, non communicato alio; quia Deus eſt ſimpliciſſimus, & vbicumque vna eius formalitas adeſt, vel aliquid Diuinum, quantumuis minimum & ſimpliciſſimum, ibi neceſſariò vniuerſa Deitas reperitur & tota Diuinitas. Tamen relationes, impoſſibile eſt, communicari; quia dicunt oppoſitionem ad inuicem, & inuoluunt contradictionem; ita vt, ſi ſit vna relatio, non poſſit eſſe relatio oppoſita in eodem. Ita, cùm Spiritus ſanctus procedat vt Amor, tamquam terminus Diuinæ volitionis, ſeu amationis, qua ſemetipſum amat, non poteſt eſſe principium eliciens talis actus amoris; ſed ipſe erit Amor elicitus. Vnde Pater & Filius, dum ſimul per eamdem Diuinam voluntatem actum amoris eliciunt & Amorem producunt, qui eſt Spiritus ſanctus, communicant Spiritui ſancto ſeu Diuino amori, omnem Deitatem; ita tamen, vt nullo modo poſſint illi communicare cõmunicationem iſtam actiuam ſeu productionem; quia ſi Spiritus ſanctus per illam producitur, non poteſt eſſe productor; ſed Pater & Filius erunt productor; ipſe verò Spiritus ſanctus productus; & in Patre & Filio, cæteris omnibus communicatis, remanebit incommunicata relatio Spiratoris, & in Spiritu ſancto (loco illius) erit oppoſita relatio, ſpirati. Propter eamdem rationem, neque Spiritui ſancto communicantur illæ relationes, generantis, & geniti; quia ſunt relationes ad inuicem, inter Patrem & Filium; & Spiritus ſanctus non intelligitur eſſe in priori illo originis; & cùm neque Verbum producat, neque accipiat Diuinitatem per intellectionem, non poteſt habere, neque relationem Paternitatis, neque Filiationis; quia relatio Paternitatis importat primò intelligere, non habere intellectionem ab alio ſecundùm originem communicatam: Relatio Filij importat procedere per intellectionem, non per volitionem; at Spiritus ſanctus procedit, non per intellectionem & vt Verbum; ſed per voluntatem, ad cuius actum neceſſariò præſupponitur intellectio: nihil enim volitum, quod non ſit præcognitum. Idcirco non communicantur illi relationes, quæ neceſſariò, prioritate originis, ante

ipſum

ipſum Spiritum ſanctum præſupponuntur; & in priori originis perficiuntur. Igitur ſicut Filius, eadem numero intellectione & ſapientia, dicitur ſapiens, qua talis dicitur Pater, quia recipit intellectum cognoſcentem, communicatum per intellectionem; nec tamen Verbum nouum producit, nec illud prius dicitur producere: Ita Spiritus ſanctus accipiens eamdem intellectionem & ſapientiam, ſeu intellectum diuinum in actu, per voluntatem, ſicut accipit totam Deitatem, dicetur quidem ſapiens, & intelligens, abſque eo quòd Verbum nouum producat, cum non ſit eius noua intellectio: nec Verbum illud dicitur producere, cum accipiat intellectum, prout in actu poſitum, iam in priori originis intelligentem & cognoſcentem.

Et per hæc reſpondetur etiam ad illam obiectionem, qua pluralitatem aſtruere conaris filiorum, ex noſtra poſitione, cum Filius & Spiritus ſanctus, noua Verba non producant.

SECTIO III.

Satisfit difficultati tertiò propoſitæ.

OBijcis præterea ad probandam filiorum multiplicitatem: non eſſe maiorem rationem de ſapientia, quàm de cæteris Dei attributis, vt filij nuncupentur: ſi enim ſapientia Dei eſt Filius Dei, pari modo dici poterit Filius omnipotentia, bonitas, iuſtitia, miſericordia, &c. Vnde plures filij omnino eſſent Deo tribuendi, ſi tribueretur vnus. Certè, ſi non omnes filij, ſaltem Spiritus ſanctus dicendus etiam eſſet Filius.

Non datur in Diuinis, niſi vnicus Filius

Ad hæc reſpondeo, tam auctoritate ſcripturarum, quàm ratione. Auctoritate quidem ſcripturarum, quæ non niſi vnicum Deo tribuunt Filium, Prouerbiorum 30. num. 4. *Quod nomen eſt eius, & quod nomen Filij eius, ſi noſti?* Pſalm. 2. *Filius meus es tu; ego hodie genui te.* Et in Nouo Teſt. ſæpiſſimè vnus Dei Filius dicitur, & numquam verum Filium plurali numero loquuntur. Quamuis etiam plerumque plures adoptiuos Filios dicant, ex modo autem loquendi clariſſimè ſignificant, quotieſcumque in plurali numero Dei filios nominant, ſenſum eſſe metaphoricum, ſeu adoptionis: quando verò in ſingulari loquuntur, ſignificare Naturalem & Verum, non adoptiuum, & metaphoricum. Ioann. 1. Poſt quam locutus erat de Dei Verbo, quod eſt verus Dei Filius, ſtatim ſubdit de adoptione plurium filiorum, dicens Euangeliſta. *Quot quot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Deinde ſtatim vnigenitum Dei Filium nuncupat: *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti.* Et poſt pauca iterum Vnigenitum dicit: *Deum nemo vidit vnquam: Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.* Quibus Sancti Euangelij teſtimonijs ſatis clare patet, filios plures eſſe adoptiuos, & ea ratione tales fieri, ſi verum Filium ſuſcipiant, & in Vnigenitum Filium credant. Itaque talis illorum filiatio ex libertate dependet ipſorum, ſi Filium Vnigenitum & naturalem velint ſuſcipere, & in illum credere: alias enim Filij eſſe nequirent. Vnde patet, non eſſe filiationem natura-

turalem. Vnius tantùm, naturalis filiatio dicitur, eius ſcilicet, qui Vnigenitus nuncupatur I. Ioann. in fine: Vnus filius dicitur verus, quamuis in eadem epiſtola plures filij numerentur, & patet, eodem modo ſermonem eſſe de adoptiuis. Quando verò filium verum dicit, in ſingulari numero loquitur. Vnde dicit: *Scimus, quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, vt cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio eius. Hic eſt verus Deus.* Similiter, plura Scripturarum loca afferri poſſunt ad idem probandum; ſed hæc ſufficiunt, ne fruſtra longiorem ſermonem protrahamus.

Ergo vnum Filium, non plures, ex Scripturis, benè confitemur.

Ratio etiam, poſt Diuinæ reuelationis lumen incedens, non plures eſſe filios, ſed vnicum tantummodo, ſic aſtruit ex dictis: Primò, nec omnipotentiam, nec iuſtitiam, nec miſericordiam, aut aliud Diuinum attributum, importare Filij generationem in Diuinis; niſi tantùm ſapientiam ſeu intellectionem. Quia in Deo, vt diximus, cùm ſit naturæ ſpiritualis, duæ tantùm potentiæ (vt humano more loquamur ad claritatem & perſpicuitatem) reperiuntur operatiuæ ſeu productiuæ ad intra, Intellectus & voluntas. Cætera autem attributa, vel non dicunt operationem, vt eſt Immenſitas, Infinitas, Pulchritudo, &c. Vel, ſi ſunt operatiua, non important operationem intra ipſum Deum; ſed ad extra, in creaturis: ſic Omnipotentia, non habet reſpectũ ad aliquid factibile intra Deum; ſed omnis reſpectus eſt ad creaturas; ideo enim dicitur Deus omnipotens, quia creaturas eſt potens producere: & dum actu exercet omnipotentiam, producit aliquam creaturam, non verò efficit aliquid Deitatis, ſeu intra ſemetipſum. Similiter miſericordia & iuſtitia, Deo, reſpectu creaturarum, tribuuntur; cũ propter peccata punit, vel propter pœnitentiam parcit; & ſic de cæteris attributis. Soli, intellectus & voluntas (vt patet etiã in nobis, & in Angelis) ſunt ſpirituales potentiæ, immanenter operantes, & ad intra operatiuæ: intellectus, producendo per intellectionem verbum; & voluntas, producendo amorem. Sic in Deo, ſoli, intellectus & voluntas, ad intra, producunt: intellectus Verbum, quũ eſt Filius; & voluntas Amorem, qui eſt Spiritus ſanctus. Vnde ad ſummum duo poſſent dici filij; ſed tamen Spiritus ſanctus, reuera nõ eſt filius, nec talis dici poteſt, ratio-

ne,

ne, quæ ſuperiùs aſſignata eſt: Vbi oſtendimus, ſolùm Verbum, quod per intellectum procedit, procedere per generationem, nõ verò Spiritum ſanctum; quia intellectus operatio, de ſua formali ratione, intendit ſimilitudinem obiecti cogniti: Voluntatis autem operatio non eſt cum tali expreſſione, de ſua formali ratione; nec obiecti ſimilitudinem intendit, ſed ſolùm in obiectum ſuo amore rapitur, & ad illud inclinatur, ſeu propendet. Is verò Filius dicitur, vt diximus, qui ex vi ſuæ proceſſionis ſimilis in natura procedit.

Spiritus ſanctus nõ poteſt Dei Filius nũcupari.

Sed inſtas iterum, ad probandum, Spiritum ſanctum etiam eſſe Filium: quia per ſuam proceſſionem Spiritus ſanctus non procedit diſſimilis, ſed etiam procedit ſimilis; dicimus enim, non ſolùm Filium eſſe Deum, ſed etiam Spiritum ſanctum eſſe Deum. Vnde procedit ſimilis in natura per ſuam proceſſionem. Ergo pari ratione erit dicendus Filius.

Reſpondeo, Spiritum ſanctum procedere quidem ex vi ſuæ proceſſionis, ſimilem in natura, quia non procedit niſi Deus; nihilominus hæc ſimilitudo in Spiritu ſancto, non eſt ex vi ſuæ proceſſionis formaliter, vt talis proceſſio eſt; ſed veluti materialiter: non enim actus voluntatis, vt actus voluntatis eſt, habet illi communicare eſſentiam diuinam; ſed tãtùm, ea ratione, eſſentiam diuinam illi communicat, in quantùm dat illi eſſe diuini amoris: & vbicumque aliquid diuinum reperitur, ibi propter diuinæ eſſentiæ ſimplicitatem, totam neceſſe eſt reperiri diuinitatem; nec enim diuinitas habet partem, & partem; ita vt poſſit dari pars, & non totum: cùm ergo Spiritus ſanctus producatur vt diuinus amor, formaliter; veluti per concomitantiam, ſeu propter identitatem Diuini amoris cum diuina eſſentia, accipit omnem eſſentiam. At poſito hoc impoſsibili, quod eſſet diſtinctio inter Diuinum amorem & diuinam eſſentiam; Spiritus ſanctus eſſet quidem diuinus amor, non autem diuinam obtineret eſſentiam. Aliter autem Verbum, procedens per intellectum, quod etiam, poſita tali impoſsibili conditione; nempe, quòd intellectio eſſet diſtincta à diuina eſſentia, nihilominus adhuc obtineret, ex vi illius intellectionis, omnem diuinam eſſentiam; quia ille actus habet exprimere de ſua formali ratione obiectum ſuum: Talis autem intellectionis obiectum, eſt omnis diuina eſſentia. Ergo exprimit, de ſe formaliter, omnem Diuinam eſſentiam:

& ita, Verbum etiam Deus eſſet. Vnde patet, Verbum duplici ratione procedere, ex vi ſuæ proceſſionis, Deum: vna communi, ſicut etiam & procedit Spiritus, veluti materialiter & ratione identitatis: quia, ſicut Spiritus ſanctus accipit omnem Diuinam eſſentiam, eo quia eſſentia Diuina eſt idem quod Diuinus Amor: ita Filius accipit omnem eſſentiam Diuinam, quia intellectio eſt idem cum ipſa eſſentia, & non poteſt communicari vnum, non communicato alio, & hoc propter identitatem. Hæc autem communicatio non facit filiationem. Alia autem ratio eſt, qua Filius Diuinitatem omnem accipit, & qua eſt Filius; quia intellectio, per quam procedit, eſt, de ſe formaliter, expreſſiua totius Diuinitatis; quod non obtinet proceſſio Spiritus ſancti: & propterea non eſt Filius ſicut eſt perſona per intellectum procedens. Et hoc eſt, quod ſignificatur in definitione generationis ſupra poſita: *Eſt origo viuentis à viuente, per principium coniunctum, tendens in ſimilitudinem naturæ*. Quia ſcilicet ſimilitudo debet eſſe intenta per ipſam productionem, formaliter ex vi ſua, non materialiter tantùm, ad hoc vt dici poſſit generatio; & terminus, qui producitur, ſit Filius.

Ad maiorem claritatem affero exemplum, de Eua, producta ex Adami coſta, & de Abel, nato ex Adami ſemine. Cur Abel filius fuit Adæ non autem Eua, cùm vterque originem duxerit ex ſubſtantia Adami, & vterque ſimilis in natura proceſſerit, homo ex homine? Certè nulla alia rationabilis diſparitas aſſignari poteſt, niſi quia Abel proceſſit, ex vi ſuæ proceſſionis formaliter, ſimilis in natura; virtus enim ſeminis humani humanam naturam intendit, & ad illam producendam ordinatur. Eua autem producta eſt ex coſta, in qua non erat virtus, quæ humanam prolem intenderet; ſed per accidens fuit, vt ex ea formaretur homo: poterat enim ex ea etiam formari vermis, potiùs quàm homo. Ex hoc exemplo faciliùs patet diſparitas, inter proceſſionem Verbi per intellectum, quod procedit ad inſtar Abel: Et proceſſionem Spiritus ſancti per voluntatem, ad cuius inſtar eſt proceſſio Euæ. Non ergo plures ſunt filij, ſed vnus tantùm.

Nec gratis, Dei Verbum, Filium nuncupamus, cùm ſic ſacra Scripturarum teſtimonia loquantur: nec mirum erit, ſi Dei ſapientiam, dicimus Dei Filium; quia Dei ſapientia, & Dei Verbum,

bum, non eſt tamquam ſapientia & verbum creatum. Si enim intellectus noſtri, vel etiam Angelici, verbum, filius dici non poteſt, ideo eſt, quia verbum tam humani quàm Angelici intellectus, nō eſt ſubſtantia, nec ſimilis in natura, Angelo aut homini: verbum enim hominis non eſt homo; verbum Angeli non eſt Angelus; ſed Angelus & homo ſunt ſubſtantia, ipſorum verba ſunt accidentia. Diuinum verò Verbum eſt ſubſtantia, ac proinde ſubſiſtens; eſt idem ac Deus, eamdem naturam Patris obtinens, & propterea, cùm ſimilis in natura procedat, ex vi ſuæ proceſſionis, omnia requiſita ad perfectam generationem obtinens, verè naſcitur Filius, & verè Filius dici poteſt.

Vnde in ſacris Scripturis, vt ſupra tetigimus, quæcumque ad Filij perfectionem requiruntur, de illo dicuntur. Conceptio: *Non dum erant abyſſi & ego iam concepta eram*. Partus: *Ante colles ego parturiebar*. Inſuper, quia in animantium generatione reperitur potentia actiua in patre, quæ dicitur generare; potentia paſſiua in matre, quæ dicitur concipere, ducta paritate, Patri ſoli, quia ſolus eſt in Filij productione, & ſine alterius conſortio Filium producit, tribuuntur vtraque, tam patris quàm matris propria. Generatio Pſalmo 2. *Filius meus es tu: ego hodie genui te*. Conceptio vbi ſupra: *Non dum erant abyſſi, & ego iam concepta eram*. Et vtrumque ſimul Pſal. 109. *Ex vtero ante luciferum genui te*.

Reliqua omnia quæ in fœtibus perfectionem dicunt, Diuinę etiam proli poſſunt applicari, ſicut & in cæteris Scripturæ locis tribuuntur, quæ nos breuitatis cauſa prætermittimus.

Ergo, non gratis effinximus nomina, Filij, Verbi, Generationis, &c. ſed ex Scripturis accepimus, & iurè retinemus.

SECTIO IV.

Satisfit difficultati quartò propoſitæ.

Verbum procedit per cognitionē adæquatā omniū, quæ in Deo reperiuntur, nec tamen ſequitur circulus.

OBijcis præterea: non poſſe dari Verbum diſtinctum in Diuinis: quia hoc Verbum, ſeu expreſſio Diuinæ eſſentiæ; vel eſt per ſcientiam omnium eorum quæ ſunt in Deo, vel non. Si eſt, cum ſcientia, ſequitur circulus; quia, ad hoc vt ſit talis ſcientia, debet præſupponi obiectum adæquatum talis ſcientiæ. At talis ſcientiæ obiectum eſt etiam, inter cætera, ipſummet Verbum, quia Verbum eſt aliquid in Deo. Ergo ante ipſam ſcientiam debet ſupponi ipſum Verbum. Ex alio capite, ad hoc vt ſit Verbum, debet eſſe talis ſcientia, cuius, Verbum eſt terminus. Ergo modò præſupponitur Verbum, modo præſupponitur ſcientia. Vnde ponitur circulus, & neutrum eſſe poſſet.

Si autem productio Verbi non eſt per ſcientiam adæquatam omnium quæ in Deo ſunt, ſequitur proceſſus in infinitum: quia, dum ſupereſt aliquid vlteriùs cognoſcendum, poteſt dari alia ſcientia, & ſic aliud Verbum, & alius Filius. Poſito hoc ſecundo filio, hic eſt etiam cognoſcibilis, ergo per aliam ſcientiam, ergo erit aliud Verbum, & alius Filius: qui etiam eſt cognoſcibilis per aliam ſcientiam, & ſic in infinitum infiniti naſcentur filij, ſicut nouæ ponuntur ſcientiæ, cùm ſemper ponantur noua obiecta cognoſcibilia.

Reſpondeo, nec ſequi circulum, nec cauſari proceſſum in infinitum. Pro cuius intelligentia duplicem poſſumus viam oſtendere.

Prima eſt, concedendo, expreſſionem Verbi eſſe cum ſcientia omnium quæ ſunt in Deo; non ſolùm proceſſionis ipſius Verbi; ſed etiam proceſſionis Spiritus ſancti. Nec obſtat, quòd proceſſio vtriuſque non ſupponatur in illo priori originis; quia, ad hoc vt aliquid cognoſci poſſit, & ſcientiæ ſit obiectum, ſufficit vt coexiſtat tempore cum ipſa ſcientia, & non requiritur vt præſupponatur. Prioritas autem originis non tollit coexiſtentiam temporis: Inter ea enim quæ coexiſtunt,

ſimul poteſt eſſe mutua prioritas vel poſterioritas: ſicut in creaturis, prioritas naturæ non dicit prioritatem temporis. Exempli gratia: Sol eſt prior natura, quàm lux ab ipſo emanans; tamen eodem tempore exiſtit, nec Sol tempore lucem præit. Et in creatione animæ rationalis, in inſtanti temporis, quo creatur, habet etiam potentiam intellectiuam, quæ tamen eſt origine poſterior. Et Angelus, dum creatur, habet potentiam intellectiuam, in inſtanti ſuæ creationis; & poteſt, non ſolùm ſuam ſubſtantiam, ſed etiam ſuum intellectum cognoſcere; nihilominus potentia intellectiua Angeli eſt, natura, poſterior ſubſtantia. Hæc autem poſterioritas non tollit, quin poſſit Angelus in eodem inſtanti ſuæ creationis vtrumque cognoſcere, tam ſuam ſubſtantiam, quàm potentiam intellectiuam ab illa pendentem. Inſuper & nos plerumque, per eamdem cognitionem, non ſolùm obiectum cognoſcimus, ſed etiam nos cognoſcere animaduertimus; ita vt eadem cognitio ſit etiam cognitio reflexa ſui ipſius. Ergo obiectum cognoſcendum, ſufficit, ſi eodem tempore coëxiſtat; nec requiritur, vt in priori originis ſeu naturæ, præſupponatur. Sic, in Diuinis omnia coæterna ſunt, & quamuis in inſtanti æternitatis ſit Filius Patre poſterior ſecundùm originem, & Spiritus ſanctus poſterior vtroque; hæc tamen poſterioritas non impediet, quo minus Pater poſſit cognoſcere Filium, & Spiritum ſanctum, ſibi coæternum. Ergo, circulus, ad hoc, eſt impertinens; & non tollit, Verbi expreſſionem procedere ab adæquata ſcientia omnium quæ in Deo reperiuntur. Nec ſequitur proceſſus in infinitum, quia illo vnico actu omnia cognoſcuntur, & exprimuntur, & non ſuperſunt aliqua cognoſcenda.

Secunda via, qua, ſublimiores ingenio, in huius difficultatis ſolutionem incedunt, eſt. Concedendo, Verbi expreſſionem eſſe per cognitionem eorum tantummodo, quæ præſupponuntur in illo priori originis, ante proceſſionem Verbi: & non per cognitionem eorum, quæ ſequuntur in inſtanti poſteriori originis: ſcilicet, procedere per cognitionem totius eſſentiæ diuinę, per cognitionem fœcunditatis ipſius, qua naturaliter petit, per intellectum communicari Filio, per voluntatem communicari Spiritui ſancto; & ſic per cognitionem diuinæ eſſentiæ, tribus ſuppoſitis communicabilis, non communicatæ; prout in actu exercito, ſed in actu ſignato. Quod quidem negari non poteſt in

ipſa

ipſa diuina eſſentia reperiri etiam, prout abſtrahit à ſecundo & tertio originis inſtanti. Quare Pater, cognoſcendo diuinam eſſentiam, eiuſq. communicabilitatem, & omnia, quæ ſupponũtur ante actum exercitum originis Filij, producit Filium, exprimit Verbum.

Cum autem infertur: Ergo ſequitur circulus, neganda eſt conſequentia: quia ſcientia illa, per quam procedit Filius, præſupponit adæquatum ſuum obiectum; quod obiectum, non eſt proceſſio ipſa Filij, in actu exercito: ipſa enim eſt actus & expreſſio, non expreſſionis obiectum. Cum igitur omnia præſupponantur, non poteſt conſiderari circulus.

Nec ſequitur proceſſus in infinitum: quia, quantumuis Pater, in priori illo originis ſigno, non cognoſcat Verbi expreſſionem, prout in actu exercito, quia in illo priori non eſt cognoſcibilis, cùm non præſupponatur, ſed per illam cognitionem fiat; nihilominus cognoſcit, tã Verbum, quàm cætera, quæ origine poſt illud ſequuntur, in actu ſignato: adueniente tamen actu exercito, eadem indiuiſibilis cognitio, quæ prius erat cognitio rei, prout in actu ſignato, fit ſine vlla ſui mutatione, per variationẽ obiecti, per aduentum actus exerciti, fit inquam, cognitio eiuſdem rei, prout in actu exercito; quia in tantum priùs non cognoſcebatur, prout in actu exercito, in quantum non erat cognoſcibilis; & per aduentum exercitij, non eſt poſitio diuerſi obiecti, ſed eſt idem obiectum, diuerſo modo propoſitum; ad cuius cognitionem non requiritur noua cognitio, ſed eadem ſufficit. Hæc autem difficultas, non eſt peculiaris, propter Verbi proceſſionem; ſed etiam, abſtrahendo à proceſſione Verbi, in Dei ſcientia, eadem conſiderari poteſt. Nam Deus cognoſcit, ante omnem ſuæ voluntatis actum, factibilia omnia, omneſque poſſibiles creaturas: taliſque cognitio, ſcientia ſimplicis intelligentiæ dicitur; deinde, in ſequenti originis inſtanti, aduenit diuinæ voluntatis decretum, & ex factibilibus, ſeu poſſibilibus, aliqua creare decernit. Itaque, ex tunc, illa quæ prius erãt tantùm poſſibilia, incipiunt eſſe futura; ac proinde, quæ prius tantùm tamquam poſſibilia à Deo cognoſcebantur, poſt voluntatis decretum, incipiunt etiam cognoſci, vt futura: Vnde prius cognoſcebat poſſibilia, tamquam in actu ſignato; at, poſt voluntatis decretum, cognoſcit vt futura, tamquam in actu exercito. Quæri igitur poteſt, de noua hac ſcientia in Deo, adueniente

niente hoc nouo futuritionis modo, an ſit noua ſcientia, vel ſit eadem quæ prius. Certè nemo dixerit, rectè de diuinis differēs, diſtinctam ſcientiam eſſe ab illa ſimplicis intelligentiæ: & aliam ſcientiam eſſe ſcientiam viſionis, qua cognoſcit vt futura; & aliā ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, qua cognoſcit vt poſſibilia; ſed dicent omnes, benè de diuina ſimplicitate intelligentes, vnam eamdemque eſſe ſimpliciſſimam ſcientiam, & non eſſe mutationem aliquam ex parte ſcientiæ, ſed tantùm ex parte obiecti; quod prius erat tantùm poſſibile, idque correſpondet actui ſignato: deinde per poſitionem diuini decreti, fit in actu exercito, ſuo tempore exiſtens, quod eſt eſſe futurum. Difficultas ergo non eſt peculiaris, reſpectu diuinæ generationis, & productionis Verbi: ſiue enim ponamus Verbum per diuinam ſcientiam, ſiue non, difficultas eodem modo procedit in ſimilibus.

Reſpondetur ergo, ſicut reſponſum eſt; Verbum procedere per ſcientiam adæquatam omnium, eorum, quæ in Deo præſupponuntur cognoſcibilia in priori ſigno, nempe etiam per cognitionem proceſſionis, tàm ipſius Verbi, quàm etiam Spiritus ſancti: non tamen, prout in actu exercito, ſed in actu ſignato; & adueniente, in ſequenti originis inſtanti, proceſſione ipſa Verbi & Spiritus ſancti, non eſſe addendam aliam cognitionem, ſeu ſcientiam; ſed illam eamdem ſimpliciſſimam, omnia cognoſcere; tàm in actu ſignato, cùm obiectum eſſet cognoſcibile ſolùm prout in actu ſignato; quàm etiam in actu exercito, dum obiectum eſt in actu exercito cognoſcibile. Vnde non eſt addenda noua ſcientia, ac proinde neque nouum Verbum, neque alius Filius: nec ſequitur proceſſus in infinitum, nec etiam circulus.

SE-

SECTIO V.

Reſpondetur ad quintam difficultatem.

Ex eo quod Dei Filius obtinet naturã Patris, eamdẽ numero, nõ tollitur filiatio, ſed perfectiſſima eſt.

OBijcis inſuper, à nobis non benè Filium Dei nuncupari: quia dicimus Filium habere eãdem numero naturam cum Patre. Ergo non poteſt dici, neque Pater, neque Filius; quia debet inter Patrem & Filium eſſe diſtinctio, & non eſſe eadem numero natura, ſed eadem ſpecie; vt in creatis patet: poſita autem identitate naturæ, tollitur diſtinctio, & ita non poteſt dici, neque Pater, neque Filius; cum non appareat inter ipſos requiſita diſtinctio.

Reſpondeo: De ratione generationis, qua filius à patre procedit, non eſſe neceſſariam naturæ diſtinctionem, ſed ſufficere diſtinctionem perſonalem, ita vt alia perſona ſit pater, & alia filius: Identitas verò naturæ, non tollit generationem, ſed potiùs, quantò perfectior eſt, eò reddit generationem perfectiorem; nam generatio, de formali & intrinſeca ſui ratione, tendit in ſimilitudinem naturæ, ad Filio communicandam eamdem naturam Patris: vnde quantò magis communicat eamdem, eò perfectior dicenda eſt generatio; ita vt longè perfectior ſit generatio, quæ communicat Filio naturam Patris eamdem numero, quàm generatio, quæ non poteſt communicare niſi eamdem ſpecie. Eſtque tanto maior perfectio, vt communicatio eiuſdem naturæ, numero, ſoli Deo conueniat. In creaturis autem, propter defectum in infinitum à diuina perfectione, non poteſt hoc reperiri: & ita creaturarum generatio poteſt tantùm communicare naturam, eamdem ſpecie, non eamdem numero. Exinde infertur infinita diuinæ generationis perfectio, quæ communicat Filio naturam, in infinitum ſimilem naturæ Patris, quæ infinita ſimilitudo, non eſt niſi ipſamet identitas. Hæc tamen identitas naturæ non tollit diſtinctionem perſonæ, vt ex Scripturis ſupra probauimus, quæ teſtantur, Filium eſſe eiuſdem naturæ cum Patre, vt Ioan. ſect. 24. ſeu cap 10. num. 30. *Ego & Pater vnum ſumus*. Et pariter

ter à Patre procedere, vt Ioan. ſect. 21. ſeu cap. 8. num. 42. *Ego à Deo proceſſi*. In qua proceſſione, neceſſariò intelligenda eſt diſtinctio perſonalis, nam ly *Ego* perſonam importat, & ly *à Patre* etiam perſonam ſignificat; & certum eſt, à ſemetipſo nihil poſſe procedere, & neceſſariò ponenda eſt diſtinctio, inter procedentem & eum à quo eſt proceſſio. Hoc autem quamuis difficile appareat; cogitandum tamen eſt, myſterium eſſe Diuinum, & Deum non eſſe finitam naturam, ſicut creaturas. Vnde intellectus noſter, non mirum eſt, ſi cæcutiat, qui ſemper (dum reſpicit ad ea, quæ aliquam infinitatem inuoluunt) ſtatim ſuam agnoſcit hebetudinem. Sic, dum ſpatij imaginarij cogitat amplitudinem: ſic, dum ante mundi conſtitutionem cogitat æternitatem: ſic, dum poſt huius ſæculi finem, venturi cogitat perpetuitatem. Immo pleraque, quæ in proſpectu habet, & magis tractabilia ſunt (ſi infinitatem aliquam inuoluant) ſtatim humana cogitatio diſperditur, dum eius cognitionem aſſequi conatur. Quid tractabilius & craſſius corporea quantitate? Nihilominus, quia in ſui diuiſibilitate infinitatem quamdam inuoluit, propterea etiam Philoſophorum perſpicaciſſimi de illa concludere nequierunt. Vnde adhuc ſub Iudice lis eſt; an componentia ſint partes, vel puncta, vel vtraque ſimul. Et ita, ſi per ſingula diſcurramus, quæcumque aliquo modo infinitatem dicunt, à finita & limitata noſtri intellectus perſpicacitate vix percipitur, experientia teſte. Non ergo mirum, ſi infinitæ perfectionis naturam, eiuſque myſteria, nequeat penetrare. Credendum eſt igitur diuinis ſacrarum Scripturarum teſtimonijs, præcipuè dum nobis, quæ noſtram naturam excedunt, proponunt; nec enim ſunt contra naturam, ſed ſupra naturam. Et quidem intellectus noſtri, naturalibus aſſueti, non reperiunt in creaturis aliquid, in natura, alteri identificatum, niſi etiam ſit idem, ſuppoſito, hypoſtaſi, ſeu perſona. Hoc autem prouenit, in creatis, ex limitata natura ipſorum, quæ cùm certis terminis finita ſit, ſi eſt idem ſecundùm vnam rationem, eſt etiam idem ſecundùm omnem rationem. Itaq. principium illud naturale eſt: quæ ſunt idem vni tertio, ſunt etiam idem inter ſe. Principium autem naturale non poteſt concludere in ſupernaturalibus; hoc enim eſſet ordinem peruertere; & axiomata, quæ de naturalibus dicuntur, & ex ipſis de-

Mmm ſumpta

ſumpta ſunt, velle ad ſupernaturalia applicare. Vnde ſequeretur falſa concluſio, vt ſupernaturalia & diuina putarentur ſicut naturalia & creata; & infinitum, cenſeretur tamquam finitum, cùm inter illa nulla ſit proportio. His ergo conſideratis, non erit mirum, ſi in Deo, cuius natura infinitæ perfectionis eſt, reperiamus, quod in creaturis reperiri nequit; vt ſcilicet Filius, ſit idem cum Patre in natura, & non idem in perſona: illud enim axioma: Quæ ſunt idem vni tertio, ſunt idem inter ſe. eſt principium, vt diximus, deſumptum ex creaturis; in quibus, propter naturæ limitationem, benè procedit; at in Deo non ſufficit naturale principium, ſed requiritur ſupernaturale; cùm eius natura ſit ſupra naturam, & non ſit natura finita, ſed infinita.

Illud principium, Quæ ſunt idē, &c. quomodo habeat locum in diuinis.

Aliàs autem illud principium naturale, ſi benè explicetur, etiā vim habet in ſupernaturalibus. Nullum enim principium naturale, (niſi imperfectionem importet) non habet locum in diuinis. Quando ergo dicitur: Quæ ſunt idem vni tertio, ſunt idem inter ſe; Pater & Filius, idem ſunt cum eſſentia diuina: ergo Pater & Filius idem ſunt inter ſe: ergo idem ſunt in perſona. Ad argumentum & propoſitionem illam, ſic reſpondeo; Quæ ſunt idem vni tertio, ſunt idem inter ſe; ſi identitas cum illo tertio ſit adæquata, ſecundum omnem rationem; ita vt non ad plura ſe extendat vnum quàm aliud: tunc vera eſt propoſitio; tamen ſi ad plura vnum ſe extendat, quàm aliud, & non ſit identitas adæquata: tunc falſa eſt propoſitio. Do exemplum in formalitatibus, per intellectum, & prædicabilibus. Animal, eſt idem cum homine, leo eſt idem cum animali: hæ duæ propoſitiones veræ ſunt. Tamen conſequentia ſequitur falſa; nempe, Ergo leo eſt idem cum homine. Cōſequentiæ autem falſitas inde eſt; quia identitas præmiſſa, inter animal & hominem, non eſt adæquata; quia animal ad plura ſe extendit; nempe, non ſolùm ad hominē, ſed etiam ad irrationabilia. Vnde, propter identitatem inadæquatam, ſequitur falſa conſequentia. Hoc tamen exemplum eſt inter formalitates per intellectum.

Explicatur exemplo, ex anima rationali deſumpto.

Poſſumus tamen adducere aliud exemplum reale, prout accidit à parte rei; de anima rationali, quæ cùm ſpiritualis ſit, obtinet quamdam perfectionem ſuper omnia materialia, & propter eius aliqualem perfectionem, aliquid ſimile in ipſa reperitur. Certum eſt, ipſam animam rationalem, eſſe formaliter in-

diui-

diuiſibilem;informare tamen corpus diuiſibile; ita vt tota ſit in toto, & in qualibet parte, etiam indiuiſibili, corporis. His poſitis; ſi quis dicat: Anima rationalis Petri, eſt idem loco cum capite Petri: rurſus, eadem anima eſt idem loco cum pede Petri: ergo caput Petri eſt idem loco cum pede Petri. Falſa eſt conſequentia, quamuis præmiſſa ſint vera; quia non eumdem locum obtinet caput & pes; ſed pes eſt extra caput; ita vt, inter ipſorum locum, ſit locus intermedius corporis. Vnde ergo falſa eſt conſequentia? niſi, quia animæ & capitis, locationis identitas, non eſt adæquata: nam ſi caput extra ſuum locum non protenditur; anima tamen protenditur, & locatur non ſolùm cũ capite, ſed etiam cum buſto, brachijs, manibus, cæteriſque corporis partibus. Quòd ſi in rerum natura reperimus aliquid ſimile, propter aliqualem perfectionem animæ rationalis; quod declarat illud principium: Quæ ſunt idem vni tertio, &c. Quid ſuſpicandum eſt de diuinis myſterijs, & de diuina eſſentia, quæ in infinitum animæ rationalis perfectionem ſuperat? Quando ergo dicitur: perſona Patris eſt idem cum eſſentia diuina: rurſus, perſona Filij etiam eſt idem cum eſſentia diuina. Ergo perſona Patris eſt idem cum perſona Filij; conſequentia falſa eſt, quia identitas eſſentiæ diuinæ, tàm cum Patre, quàm cum Filio, non eſt adæquata: nam eſſentia diuina ad plura ſe extendit; & quamuis ſit idem cum Patre, extenditur etiam & communicatur Filio, ſicut & præterea communicatur Spiritui ſancto. Vnde ſicut, quia anima protenditur extra caput ad cæteras corporis partes, non valet conſequentia; ergo caput eſt idẽ loco cum pede, ita nec valet conſequentia: Ergo Pater eſt idẽ perſonâ cum Filio; quamuis tàm Filij perſona, quàm Patris, ſint idem cum eadem eſſentia: Quia identitas non eſt adæquata, & eſſentia diuina comparatur ad Patrem & ad Filium, ſicut etiã & ad Spiritum ſanctum, tamquam terminus communis. Sicut etiam & in alio exemplo de homine, leone, & animali: Animal comparatur tamquam terminus communis ad vtrumque. Quare, ſicut ibi identitas inadęquata, & communitas medij termini, non poteſt inferre extremorum identitatem; ita nec in diuinis; eſſentiæ identitas infert identitatem perſonæ.

Ex his ergo habemus, & Filium eſſe diſtinctum, & eamdem obtinere naturam: & ita, ex Catholicæ fidei poſitione, non tollitur Pater nec Filius: immo ponitur perfectiſſimus Filius, dum

procedens in perſona diſtinctus à Patre, tantam, per ſuam generationem, obtinet naturæ ſimilitudinem; vt non ſit ſpecifica tantùm, prout in creaturis, ſed etiam numerica, quæ ſoli diuinæ generationi, cùm infinitæ ſit perfectionis, poteſt conuenire.

SECTIO VI.

Reſpondetur ad ſextam & ſeptimam difficultatem.

AD illud quod de ſcientia addis, aliud non eſſe, niſi rem cognitam cum reſpectu ad intellectum. Reſpondeo, ſcientiam, in nobis, non vnicum tantùm habere reſpectum, ſed duos: vnum ad ſuum obiectum, cuius eſt notitia, quem fateris. Habere etiam, præter illum, alterum reſpectum ad intellectum, tamquã ad cauſam, à qua procedit: eſt enim ſapientia, ſeu ſcientiâ ab intellectu, tamquam illius actus. Et ita, quamuis ſcientia eſſentialis non ponat aliquam diſtinctionem in Deo, ratione reſpectus obiectiui; nihilominus negari non debet, ſcientiam notionalẽ facere diſtinctionem, prout importat reſpectum, tamquam effectus ad cauſam. Verbum enim Patris, à Patre emanat; quod eſt ſcientia, notionaliter ſumpta. Itaque, ſi ſapientia Dei eſt idem quod diuina eſſentia; cum hac tamen identitate, ponenda eſt diſtinctio, ratione illius reſpectus, procedentis ad eum, à quo procedit. Diſtinctio ergo ſolùm eſt in relatiuis. Nec debet negari talis diſtinctio, Verbi à Patre intelligente: Quia diuina eloquia illam teſtantur, vt ex ſupradictis conſtat. Quinimmo, ſi ex creata ſapientia & intellectione, de diuina ſapientia philoſophandum eſſet, connaturale eſt ſapientiæ, in nobis, vt ſit per intellectum, vt ſit ab intellectu; ergo, iuxta hanc ſimilitudinem, eſſet dicendum, quòd ad hoc, vt Deo tribueretur ſapientia, ponenda eſſet eiuſmodi ab intellectu emanatio,

eò tamen modo, vt nullam diceret imperfectionem, & omnem includeret perfectionem. Et ſic dicendum; nempe quòd Deus ſit eſſentialiter ſapiens, & ſimul etiam habeat talem fœcunditatem, vt producat notitiam intellectiuam, ſine qua, in nobis, non poteſt eſſe ſapientia: Ita vt Deo tribuamus fœcunditatem illam, quæ certè negari non poteſt dicere perfectionem; & excludamus illam, quam agnoſcimus in noſtra intellectione verbi indigentiam, quæ in intellectu creato indicat imperfectionem: vt Deo omnis perfectio (vt par eſt) ſine aliqua defectus nota, tribuatur. Et ita, cum Dei ſapientia eſſentiali, credamus perſonalem quoque ſapientiam; ne Diuinæ fœcunditati derogemus.

Eodem modo reſpondetur ad difficultates, quas proponis circa Spiritum ſanctum; non enim ex eo quòd Deus eſt eſſentialiter Charitas & Amor, propterea non producit Spiritum ſanctum, qui eſt Amor Dei, notionaliter ſumptus, & perſona diſtincta à Patre & Filio: ſicut enim de operatione intellectus, proportionali modo etiam philoſophandum eſt de operatione voluntatis; nam ſicut ſapientia non eſt, niſi per intellectum; ita & amor non eſt, niſi per voluntatem: ita vt, ſi intellectio, in creatis, eſt immanens ab intellectu emanatio, ita etiam & Amor eſt emanatio quędam, immanenter à voluntate procedẽs. Vnde ſi ex creatis licet ad increati numinis cognitionem, relictis tamen imperfectionibus, mentis aciem eleuare, poni debet in Deo, per ſui amoris exercitium, talis emanatio. In creatis autem, amoris proprium eſt emanare per voluntatem; eſt enim eſſentialiter voluntatis actus, voluntatis operatio. Ergo ſi in nobis non poteſt eſſe amor ſine tali operatione; operatio autem non poteſt eſſe ſine termini productione, eſſe non debet tam arduum humanæ menti, de Deo pari diſcurſu ratiocinari, ſegregatis tamen imperfectionibus. Itaque ſi in Deo ponimus amorem, negare non debemus, per amoris exercitium, eiuſmodi emanationẽ. Sed quia, naturali lumine, mens noſtra in Diuinis cæcutit, nec certò poteſt hoc aſſerere vel negare; ſinat ſe, tãquam cæcutientem, à Diuinis Scripturarũ teſtimonijs, tãquã à vidente fideliq; duce, manu trahi, & dirigi; ne, dum, nimium ſibi fidens, clarè intuentis ducatum reſpuit, in tenebris cadat.

Nec, quia amor procedit à Deo per voluntatem, ſequitur quòd amor Deo non ſit eſſentialis, quia amor dupliciter dici-

tur,

tur, ſicut diximus de ſapientia; vno modo eſſentialiter, alio modo notionaliter: notionaliter quidem importat terminum diſtinctum, productum per voluntatem; eſſentialiter autem ſignificat ipſammet Diuinam eſſentiam, qua talis terminus producitur. Et ſicut diximus de ſapientia, Patrem dici ſapientem, quamuis non recipiat Verbum ſuum, ſicuti intellectus creati; quia eſſe ſapientem non importat receptionem ſapientiæ in Deo, cùm ſit ſapiens per ſuammet eſſentiam formaliter, vt ſupra explicatum eſt: ita Diuina voluntas dicitur amare, quia eſt amans per Diuinam ipſam eſſentiam. Cùm ergo Pater & Filius amoris actum habeant per eſſentiam Diuinam, quæ eſt idem cum Diuina voluntate, benè amantes eſſentialiter dicuntur. In quo animaduertenda eſt diſparitas inter voluntatem creatam & voluntatem Diuinam, proportionali modo, ſicut diximus de diſparitate creati & increati intellectus. Nam creata voluntas, quia non eſt amor eſſentialiter, producit qualitatem illam ſpiritualem, quæ dicitur amor, ſeu terminus amoris, qua formaliter redditur amans. Vnde propter indigentiam producit, & id, quod producit, recipit, vt eo reddatur formaliter amans, cum ex ſe talis non ſit. Voluntas autem diuina eſt eſſentialiter amor, de ſe per ſuammet formam; ſeu, per ſuammet eſſentiam, diuinus amor eſt; & propterea non indiget receptione termini amoris, quo reddatur formaliter amans, quia eſt formaliter amans per propriam eſſentiam. Immo, niſi eſſet formaliter amans, per propriam eſſentiam, nec poſſet reddi formaliter amans per terminum amoris, ſeu Spiritum ſanctum; quia non eſt illius forma diuerſa, ſed prorſus eadem: nam Spiritus ſancti eadem natura eſt, quæ Patris ac Filij. Creata voluntas poteſt fieri formaliter amans per terminum ſui amoris, cùm non ſit per ſe amans, quia eſſentia eſt diuerſa: non enim amor hominis vel Angeli, eſt homo aut Angelus, ſicut amor Dei eſt Deus. Dices autem, ad quid ergo producitur in diuinis iſte terminus amoris, ſi non reddit formaliter Deum amantem? Reſpondeo, produci, propter naturalem connexionem, ſeu propter exuberantem diuinæ naturæ fœcunditatem, quam in ſacris paginis agnouimus; & quia amare, in creatis, non poteſt eſſe ſine termino, qui, vt amor, à voluntate procedat: cum enim amare, in nobis, ſit actus, ſit operatio immanens, eſſentialiter, non poteſt eſſe ſi-

ne

ne termino, immanenter producto; hoc enim eſt de intrinſeca & formali ſui ratione; ſicut etiam intelligere, in nobis, de intrinſeca ſui ratione eſt operatio immanens: quæ vtique eſſe in nobis non poſſunt, ſine termino immanenter producto. Ex hac igitur noſtri intellectus & voluntatis actuum cognitione; poſt acceptam de Dei Verbo & Amore, diuinam, ex ſacris Scripturis conteſtationem, poſt diuinæ reuelationis veſtigia, talibus mentis noſtræ greſſibus eſt incedendum; ſcilicet, vt cùm diuina eſſentia ſit rationalis naturæ, intellectu & voluntate prædita, de ſui intrinſeca natura habeat talem fœcunditatem; vt per intellectum Pater producat Verbum, & per voluntatem cum Patre Filius producat Amorem, qui eſt Spiritus ſanctus.

Dei Filius & Spiritus ſanctus, Dei vita dicuntur.

Hinc colliges, quàm benè, non ſolùm Filius, ſed etiam Spiritus ſanctus, Dei vita dicatur; quia viuentia dicuntur, in quantū poſſunt ſemetipſa mouere, virtute ſibi intrinſeca: ſic plantæ viuere dicuntur, vtique vita vegetatiua, quia germen ex virtute ſibi intrinſeca proferunt: ſenſibilia etiam dicuntur viuere, quia per intrinſecas potentias ſeipſa mouent, immanenter aliquid in ſeipſis efficientia, dum oculis vident, auribus audiunt, manibus tangunt, & vniuerſis ſenſibus, cæteras ſenſationes efficiunt. Ita viuentia dicuntur, vita rationali, homines, & Angeli; dum intelligendo vel amando, in ſeipſis, intellectionis vel amoris actum producunt. Cætera verò creata, viuentia non dicuntur, nec ſunt; quia non habent principium immanenter operatiuum, & ſeipſa mouere non poſſunt; ad ſummum enim extrinſeca mouent, per operationem tranſeuntem; vt etiam in igne, qui inter non viuentia, poſt cælos, principem locum obtinet, experimento comprobatur: qui per calorem, alterando ſubiectum extrinſecum, ignis formam in illud introducit; non autem in ſeipſo aliquid producit. Deus igitur viuens eſt, vtique, quia poteſt ſemetipſum mouere (largo modo dico, ad explicationem) in ſemetipſo immanenter aliquid producere; hoc autem non poteſt eſſe, niſi per intellectum & voluntatem; cum ſit ſpiritualis & rationalis naturæ: cùm ergo Verbum ſit terminus operationis intellectiuæ, Amor terminus volitiuæ; exercitium verò vitæ Dei in his operationibus conſiſtat, per quas Verbum & Spiritus ſanctus producuntur, propterea benè tam Filius quàm Spiritus ſanctus Dei vita dici poſſunt; ſicut dicere poſſumus vitam hominis eſſe intelligere, velle: vitam animalis

lis eſſe ſentire : & germen plantæ vitam eſſe ; ad eum modum, quo ſolemus, effectibus nomen tribuere cauſæ : Vita enim eſt principium omnium dictarum operationum.

SECTIO VII.

Explicantur quædam de Spiritu ſancto propoſita.

NEc Spiritus ſancti nomen ad placitum eſt vſurpatum, quia præter quam quòd ex Scripturis acceperimus, vt ſupra viſum eſt; cum per voluntatem procedat vt amor; Amor verò eſt veluti impulſus quidam, quo voluntas in obiectum fertur; impulſus autem eſt ſpiritus, vel ſaltem à ſpiritu : proptereà benè amor dici poteſt Spiritus. Sanctus verò, quia diuinus eſt. Eadem ratione dici poteſt pondus, Charitas, Amor, vt de ſe patet, non ergo nomina ad placitum ſunt vſurpata.

Quod inſuper addis de Spiritu ſancto, eſſe Gabrielem Archangelum : iam ſupra reiectum eſt, vbi probauimus, Deum eſſe, non Angelum aut Archangelum; quamuis ſupremum omnium. Dicere autem, Spiritum ſanctum eſſe ſubſtantiam ſubſtantiæ ſeparatæ (prout in tuo libro) vel facit ſenſum, quòd ſit ſubſtantia prima, quæ dat eſſe cæteris ſubſtantijs omnibus; & ſic verum eſt : at hoc modo fateris eſſe Deum. Vel hic terminus, ſubſtantia ſubſtantiæ, alio modo intelligitur; ſcilicet quòd ſit perfectiſſima inter omnes ſpirituales ſubſtantias : & intelligi poteſt dupliciter, vel ſubſtantia ſimpliciter perfectiſſima; & hoc modo etiam illum fateris Deum : vel non intelligis perfectiſſimam ſimpliciter, ſed ſecundum quid; nempe, inter ſubſtantias creatas, eſſe perfectiſſimam creaturarum omnium; & hoc dici non poteſt; quia ſupra probatum eſt, Spiritum ſanctum eſſe Creatorem, non creaturam.

Miror autem, tam multa diuerſa de Spiritu ſancto in tuo

libro

libro proferri: cùm dicas, Spiritum ſanctum eſſe Gabrielem Archangelum; deinde, eſſe ſupremum omnium Angelorum; deinde, eſſe ſubſtantiam ſubſtantiæ ſeparatæ; deinde tandem, Spiritum ſanctum eſſe Paraclitum, & Paraclitum eſſe Mahometum. Vnde, Spiritum ſanctum, modò aſſeris, eſſe ſpirituum ſpiritualiſſimum; modò è contra aſſeris, eſſe corporeum, quādo aſſeris, eſſe Mahometum; modò verò, eſſe Gabrielem Archangelum. Sic multiplicitas opinionum, & ſententiarum diuerſitas, oſtendit Mahnmeticā vanitatem. Nam veritas circa vnum obiectum (cùm vna ſit) ſua firmitate ſemetipſam declarat: prout Eccleſia Catholica, quę ſicut de cæteris, ita etiam de Spiritu ſancto, ſemper idem credit, ſemper idem prædicat; nec retractat aut deſtruit, quod aliquando aſtruit.

SECTIO VIII.

Soluitur difficultas, ex Dei ſimplicitate allata, contra pluralitatem Diuinarum perſonarum.

SEd obijcis præterea contra Diuinam Trinitatem, ad probandum, non poſſe dari in Deo perſonarum pluralitatem; quia ſequeretur in Deo aliqua compoſitio: talis namq. pluraſitas nòn eſt plurificatio Deorum, quià in omnibus tribus perſonis idem eſt Deus; ergo debet aſſignari illud, per quod fiat talis plurificatio, in quo nam conſiſtat; non enim conſiſtit in ipſa Diuina eſſentia, quæ vna indiuiſibilis eſt in omnibus. Ergo conſiſtet in indiuiduatione diuidente: ad eum modum, quo in homine, exempli gratia, Petro, habemus naturam humanam, quæ eadem eſt cum natura humana Pauli: habet præterea indiuiduationem ſuam Petrus, Petreitatem, qua à Paulo diſtinguitur: & Paulus & Petrus conueniunt quidem in natura; differunt verò per indiuiduantem differentiam, quæ conſtituit

Perſonarum Trinitas in Deo, nullam importat cōpoſitionem.

illos in eſſe perſonæ; Petrum in eſſe tali, vt non ſit Paulus; Paulum in eſſe tali, vt non ſit Petrus. Ad hoc autem requiritur compoſitio; at nulla compoſitio eſſe poteſt in Deo; ergo neque multiplicatio perſonarum.

Reſpondetur, multiplicationem perſonarum in Deo fieri ſine compoſitione; quia talis multiplicatio non eſt niſi per relationem; omnia enim quæcumque ſunt in Deo, idem ſunt, & vna ſimpliciſſima formalitas, vna ſimpliciſſima entitas; relatio autem aduenîens potens eſt facere diſtinctionem realem, quia realis relatio eſt, abſque eo quòd vllam faciat compoſitionem: quod hoc exemplo facilè explicatur. Si creetur Angelus, habemus in Angelo ipſam ſubſtantiam Angeli, & creationem Angeli: ſi quis petat; quid eſt iſta creatio in Angelo, facit ne compoſitionem, ita vt Angelus ſit vnum quid, & creatio ſit aliud, & ex creatione & Angelo componatur aliquid? Certè eruditiſſimus quiſque reſpondebit: creationem non facere compoſitionem; & ex parte Dei quidem certiſſimum eſt, nec etiam ex parte Angeli; ſed creationem aliud non eſſe, niſi ipſammet ſimplicem Angeli ſubſtantiam, cum reſpectu ad Creatorem, tamquam ad eum à quo eſt. Si rurſus quæratur: Quid importat hic reſpectus, hæc dependentia? Reſpondebit vtique, non aliam entitatem importare, niſi ipſummet Angelum: nam reſpectus ſeu relatio, non importat entitatem nouam, & non eſt aliquid ex ſe abſolutum, ſed eſt reſpectus rei alicuius; vnde eruditi dicunt, relationem non importare entitatem, prout ad aliud eſt; ſed prout eſt aliquid ad aliud. Itaque tota entitas eſt ipſum fundamentum relatum; relatio verò nouam non importat entitatem, ab eo diſtinctam; ſicut creatio Angeli non eſt quippiam diſtinctum ab Angelo, ſed eſt poſitio ipſa Angeli; & tota creatio importat totum Angelum, & totus Angelus totam creationem; ita vt nihil Angeli ſit (etiam ſimpliciſſimum) quod creationem non importet. Vnde patet, creationem in illa ſimpliciſſima parte Angeli non tollere ſimplicitatem, nec facere compoſitionem; cùm ſupponamus eius partem ſimpliciſſimam; ſi pars, & pars, de eo dici poteſt. His poſitis, dicimus, multiplicationem Diuinarum perſonarum eſſe per relationes; Filius enim non diſtinguitur à Patre; niſi quia Pater eſt generans, Filius verò eſt genitus: & Spiritus ſanctus non diſtinguitur à Patre & Filio, niſi per relationem; quia

Pater & Filius ſunt ſpirantes, Spiritus ſanctus eſt ſpiratus; ſeu ab ipſis per voluntatem, vt terminus amoris, procedit: eſſentia verò tam Patris, quàm Filij, quàm etiam Spiritus ſancti, eadem indiuiſibilis eſt: relatio autem in ſingulis perſonis, facit quidem diſtinctionem, non tamen compoſitionem; ſicut diximus, creationem Angeli facere quidem Angelum eſſe realiter creatum, non tamen facit illum eſſe compoſitum: ita Filius à Patre genitus, eſt quidem per generationem realiter genitus, non verò compoſitus: & Spiritus ſanctus eſt per ſpirationem realiter quidem ſpiratus & procedens, non autem compoſitus. Diuerſus ergo modus habendi eamdem ſimpliciſſimam Diuinam eſſentiam facit perſonarum diſtinctionem; nam Pater habet independenter ab omni alio Diuinam naturam. Filius habet per intellectum à ſolo Patre eamdem Diuinam naturam. Spiritus ſanctus habet ab vtroque eamdem ſimpliciſſimam naturam. Et ſicut, exempli gratia, ſi poneremus Angelum aliquem, per impoſſibile, à nullo factum nec creatum; deinde alium Angelum creatum; non eſſet maior ſimplicitas in Angelo illo, qui non habet reſpectum creationis ad aliquem, ac in alio qui per creationem refertur ad Deum. Vnde, habere vel non habere relationem, non aufert neque ponit ſimplicitatem. Et ſicut (ſi in Deo non eſſet, niſi vnica perſona) ſimplicitas Dei non reuocaretur in dubium: ita, poſitis tribus perſonis, ſola relatione diſtinctis, nec debet Diuina ſimplicitas in dubium reuocari.

SECTIO IX.

Soluitur difficultas propoſita contra æqualitatem Diuinarum Perſonarum.

Filius, non eſt minor nec inferior Patre, nec Spiritu ſancto.

OBijcis contra æqualitatem diuinarum perſonarum: Filium & Spiritum ſanctum habere Deitatem dependenter à Patre: Ergo, inquis, non poſſunt eſſe Patri, qui ex ſe habet diuinitatem, æquales: ſed Filius erit minor Patre; & Spiritus ſanctus minor vtroque, cùm ab vtroque deitatem accipiat.

Reſpondetur, eiuſmodi emanationem Filij à Patre, & Spiritus ſancti ab vtroque, non tollere æqualitatem, nec eſſe talem, quæ minoritatem faciat: quia Dei quantitas, & perfectio, non eſt, niſi ipſamet natura diuina, eſſentia ipſa; nec enim eſt quanta per aliquid diſtinctum; & Filio, & Spiritui ſancto, non communicatur alia natura; ſed eadem prorſus ſimpliciſſima Patris natura vtrique communicatur: & non poteſt eadem natura eſſe ſibimetipſi inæqualis: ſed; ſicut eſt eadem ſubſtantia, eadem natura, eadem eſſentia, ita erit eadem quantitas, eadem perfectio, & omnimoda æqualitas.

Quod ſi obijcias, inæqualitatem non eſſe ex parte naturæ; ſed ex parte perſonæ, ſecundùm illam rationem, qua Filius à Patre diſtinguitur, & Spiritus ſanctus ab vtroque; nam in Patre eſt Paternitas, quæ eſt reſpectus maioritatem indicans; & in Filio filiatio, quæ eſt reſpectus ſignificans minoritatem; nam paternitas eſt titulus cauſæ: filiatio eſt titulus effectus: ac omnis effectus, prout talis, non poteſt negari, quin minor ſit cauſa: ergo Filius eſt minor Patre.

Ad hoc reſpondeo: Patrem, in diuinis, non eſſe Filij cauſam, ſicut in creatis; nam in creatis per generationem noua natura numero diſtincta generatur, vnde pater dici poteſt cauſa, quia nouam ſubſtantiam producit: at in diuinis non producitur

tur noua natura; ſed eadem prorſus, quæ eſt in Patre, communicatur Filio: propterea Pater Filij cauſa dici non poteſt: & ſi in creaturis filiatio importat minoritatem, propter eam cauſam, non poteſt inferri minoritas in diuinis. Præſertim cùm Paternitas aliam perfectionem non importet, niſi ipſammet eſſentiam diuinam: & Filiatio aliam perfectionem non importat, niſi ipſammet eſſentiam diuinam: ita etiam & ſpiratio paſſiua Spiritus ſancti, aliam perfectionem non importat, niſi eamdemmet eſſentiam diuinam; & diſtinctio inter eos non eſt, niſi in relatiuis; & in eſſe ad aliud: quod eſſe ad aliud non importat perfectionem, prout eſt ad aliud, ſed tantùm importat perfectionem, prout aliquid eſt ad aliud. Vnde cùm in Patre habeamus duas rationes, nempe vnam relatiuam eſſendi ad; & alteram abſolutam, nempe naturam diuinam: tota perfectio eſt ipſamet natura diuina; illud verò eſſe ad, non eſt, niſi quidam reſpectus, qui non dicit aliquam diſtinctam perfectionem: itaque omnis perfectio, quæ eſt in Patre, alia non eſt, quam perfectio diuinæ naturæ. Hæc autem adæquatè reperitur in Filio, & in Spiritu ſancto; idcirco filiatio, & emanatio hæc, ſecundùm originem, in diuinis, non facit minoritatem, aut aliquam inæqualitatem.

Si rurſus inſtes: potentiam generatiuam, & actu generare, dicere aliquam perfectionem; at hæc perfectio in ſolo Patre reperitur, non in Filio, nec in Spiritu ſancto, qui non producunt alios Filios. Ergo Spiritui ſancto & Filio, hæc ſaltem perfectio deeſt.

Confirmatur magis, quia loco generationis actiuæ, quæ eſt in Patre, dicitque perfectionem: in Filio eſt generari paſſiuè, quod dicit aliquam indigentiam, & per conſequens, imperfectionem; ita pariter in Spiritu ſancto eſt ſpirari paſſiuè, quod etiam minoritatem importat, reſpectu ſpirationis actiuæ: Ergo, &c.

Reſpondetur: Potentiam generatiuam, ſicut & actu generare, dicere perfectionem; huiuſmodi tamen perfectio non deeſt Filio, nec Spiritui ſancto; quia potentia iſta non dicit aliquid à diuina natura diſtinctum: in Deo enim quicquid eſt aliud eſſe non poteſt, niſi ipſamet natura diuina, quam, ſicut Pater adæquatè habet, ita adæquatè etiam habet Filius

&

& Spiritus ſanctus? Quòd ſi Filius & Spiritus ſanctus actu non generent, non eſt, quia deſit illa potentia; ſed quia in priori originis, illa eadem potentia habet ſuum actum adæquatum. Quare cùm habeat actum adæquatum, non poteſt iterum ad actum reduci: In Deo enim non poteſt dari niſi vnus actus generatiuus: ſi enim plures poneret ſeu diuerſos actus, argueretur imperfectio in Deo, ſicut in creaturis, quarum potentia, cùm non poſſit per vnicum actum ponere adæquatum terminum, prouiſum eſt à natura, vt fiat per repetitos actus: taliſque repetitio arguit imperfectionem, tàm potentiæ generantis, quàm etiam & filij geniti; potentiæ, quæ non poſſit ſtatim ad actum ſe reducere; filij geniti, qui non poſſit omnem potentiæ capacitatem per ſe explere. At potentia generatiua Dei, cùm omnem excludat imperfectionem, vnico actu explet infinitam generandi fœcunditatem, omniſque potentia perficitur ab initio, & non relinquitur aliqua ex parte perficienda. Vnde duo ſequuntur, quòd tàm perfectio generantis ſit infinita, quæ ad actum reducit infinitam potentiam generatiuam, ſeu infinitam fœcunditatem; & ex alia parte, ſequitur etiam, quòd Filius genitus ſit infinitæ etiam perfectionis, cùm ſe ſolo expleat illam potentiam generatiuam; ita vt, cùm ſit Vnigenitus, ſit terminus adæquatus infinitæ fœcunditatis.

Exinde colligitur, relationem filiationis infinitam perfectionem importare in Filio, ſicut relatio paternitatis, infinitam quoque perfectionem importat in Patre. Ex quo patet diſparitas inter Deum à Deo genitum, & inter hominem ab homine generatum; quia homo genitus ab homine, non explet omnem potentiam generatiuam in homine, ſed ſemper relinquitur potentia ad alium generandum (niſi impedimentum aliunde proueniat) vnde non eſt terminus adæquatus ſuo principio, & propterea eiuſmodi dependentia importat minoritatem: licet propter aliam rationem ſuperius aſſignatam etiam minoritatem importet: ſcilicet, quia diuerſa natura producitur. In Diuinis vero eadem communicatur. Vnde homo generans hominem eſt cauſa hominis; Deus verò generans Deum nō eſt cauſa Dei, quia non producit nouum Deum, ſicut homo producit nouum hominem.

Igitur

Igitur cùm potentia generatiua Dei habeat ſuum adæquatum terminum, in priori originis, à Patre, non poteſt alium terminum habere à Filio, aut à Spiritu ſancto; nec tamen propterea dicenda eſt diuina natura impotens in Filio & Spiritu ſancto, quia ipſi, Filium non producunt; hoc enim non prouenit ex impotentia, ex non poſſe generare; ſed prouenit ex eo quòd iam generare intelligatur in priori originis ſigno. Quare potius eſt perfectio, quàm imperfectio. Imperfectio quidem eſſet, ſi carens termino, non poſſet producere terminum: at non poſſe producere, ex eo, quia iam produxit, hoc prouenit à perfectione potentiæ, quæ expeditior in hoc cognoſcitur, quæ aliàs remiſſior & debilior viſa eſſet, ſi non in priori originis adæquatum terminum habuiſſet. Vnde Filius & Spiritus ſanctus, quamuis non generent, non propterea carent aliqua perfectione.

Ex his etiam patet reſponſio ad confirmationem: quia generari, in diuinis, non importat, ſicut in creatis, dependentiam effectiuam; cùm non generetur noua natura: & non dicit Filij indigentiam; ſed potius dicit infinitam Filij perfectionem: cùm per hoc generari coæquetur infinitæ Patris fœcunditati, cuius eſt adæquatus terminus: & non importat aliquam dependentiæ imperfectionem, quia non dependet vt effectus à cauſa, ſed illi communicatur eadem ſimpliciſſima diuina natura, adæquatè. Itaque non poteſt conſiderari minoritas & maioritas; quia nihil eſt ſeipſo minor aut maior. Et ſicut in Patre, paternitas non dicit indigentiam diuinæ naturæ, ſed potius fœcunditatem & exuberantiam quamdam diuinæ perfectionis, quę poſſit naturam diuinam alteri ſuppoſito communicare: ita etiam in Filio, filiatio non dicit indigentiam, ſed actualitatem talis communicationis & exuberantię diuinę fœcunditatis: quæ exuberantia in actu poſita (vt patet) non dicit defectum & indigentiam, ſed perfectionem, & exuberantiam perfectionis. Nec, quia Filius accipit naturam à Patre; poteſt dici eſſe indigens, ex eo quòd accipiat, quia non eſt acceptio, niſi naturalis. Aliàs autem poſſemus dicere, in Patre etiam eſſe indigentiam; quia, ſicut non poteſt eſſe filius, niſi ſit pater; ita nec etiam

tiam poteſt eſſe Pater, niſi ſit Filius. Ergo non magis dependet in conſtitutione perſonæ Filius à Patre, quàm Pater à Filio: ſi ergo non dicimus propter eiuſmodi naturalem connexionem relationum, Paternitatis & Filiationis ad inuicem, indigentiam eſſe in Patre, nec etiam debemus ponere indigentiam in Filio: quia perſonalitas Filij non importat maiorem dependentiam à perſonalitate Patris, quàm perſonalitas Patris à perſonalitate Filij: talis enim dependentia (ſi dependentia dici poteſt) eſt mutua. Quòd autem Filius accipiat diuinitatem à Patre, & non Pater à Filio, hoc non eſt propter indigentiam Filij, ſed propter ipſius naturæ Diuinæ connaturalitatem, quæ petit, per ſui naturam, eſſe origine priùs in Patre, ſecundò in Filio, tertiò in Spiritu ſancto. Hæc autem prioritas non tollit, quin Filius, & Spiritus ſanctus, ſit etiam naturaliter Deus, ſicut Pater: ſicut enim Pater ab æterno, non electione, aut alia ratione; vel caſu, vel fortuitò; ſed neceſſariò & naturaliter eſt Deus, ita etiam & Filius neceſſariò & naturaliter eſt Deus; ſimiliter & Spiritus ſanctus: Nec enim liberè Pater producit Filium; ſed, ſicut ipſe neceſſariò Deus eſt, ita etiam & neceſſariò ſeu naturaliter Filium generat, & cum Filio, naturaliter & neceſſariò Spiritum ſanctum producunt. Et ita omnia naturaliter procedunt, & neceſſariò; ſcilicet, vt Pater habeat naturam Diuinam independenter ab omni alio, ſitque fons Deitatis; Filius eamdem naturam Diuinam obtineat per generationem, ſeu actum intellectus; & Spiritus ſanctus per voluntatem: nec magis ſit Deus vnus quàm alius, ſed omnes naturaliter & neceſſariò, æquè primò quoad tempus, æquè primò quoad omnia, poſito tantùm ordine originis, qui non tollit æqualitatem, vt ſupra explicatum eſt.

Quòd ſi rurſus inſtes, non poſſe negari aliqualem inæqualitatem; quia Pater habet naturam Diuinam à ſe, & independenter. Filius & Spiritus ſanctus habent ab alio. Habere à ſe eſt quid perfectius, vt conſtat ex ipſis terminis. Ergo Pater eſt Filio & Spiritu ſancto perfectior.

Reſpondeo, in tantum, habere ab alio, importare aliquam imperfectionem, in quantum ſignificat, habentem ab alio minus

nùs habere, vel non tam neceſſariò, vel non tam naturaliter, vel non tam eſſentialiter; ſicut is, qui habet à ſe. Filius autem & Spiritus ſanctus, quamuis habeant naturam Diuinam ab alio, non propterea minùs habent, nec minùs naturaliter, nec minùs eſſentialiter, nec minùs neceſſariò; ſed ſicut Pater naturaliter, & neceſſariò, eſt Deus, ita Filius & Spiritus ſanctus neceſſariò, & naturaliter, item & eſſentialiter, & æternaliter, ſicut Pater, eſt Deus. In creatis verò, habere ab alio, ſemper dicit imperfectionem, quia ſemper importat minùs habere: vel tempore, vt filius eſt poſterior patre; nec enim poteſt eodem tempore homini naſci filius, dum ipſe naſcitur: vel minùs propriè, vt dum pauper pecuniam accipit à diuite: vel minùs naturaliter, vel minùs neceſſariò, vt vita creata, dum ab increata vitam participat, &c. In Diuinis autem, nihil tale importat, illud habere ab alio; vnde nullam dicit imperfectionem. Ac proinde, inter Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, nullam facit inæqualitatem.

Et ex his patet, multiplicationem perſonarum, in Diuinis, non eſſe ex eo, quòd prima perſona non ſit ſibi ſufficiens, aut imperfecta; ſed propter exuberantiam perfectionis, & connaturalitatem ipſius naturæ Diuinæ, quæ de ſui natura petit in tribus ſubſiſtere ſuppoſitis, vt explicatum eſt.

Et per hæc patet ad omnia, quæ obijcis contra hoc Diuinum myſterium.

Cùm ergo impoſſibile & contra rationem non ſit hoc Diuinum myſterium, quamuis ſupra rationem; credendum eſt propter Diuina teſtimonia.

Conſtat itaque, in Deo non vnam dumtaxat eſſe perſonam, neque eſſe quaſi ſolitarium Deum: ſed in Deo eſſe Trinitatem perſonarum, quarum Secunda originem trahit à Prima, & Tertia ab Vtraque ſimul, nempe à Prima & à Secunda, tamquam ab vno. Secunda per intellectum à Prima. Tertia à Prima & Secunda ſimul, per voluntatem. Item deriuationem illam, per intellectum, eſſe Generationem; & conſtituere duas perſonas, nempe Genitorem & Genitum, ſeu Patrem & Filium. Deriuationem alteram, per voluntatem, conſtituere Spiritum ſanctum, qui & Diuinus Amor dicitur. Perfici tamen & eſſe eiuſmodi perſonarum Trinitatem, ſine vlla Diuinæ naturæ diuiſione, aut multiplicatione; ſine vlla perſonarum

compoſitione; eadem natura, ſimpliciſſima, vna, numero eadem, vnitate eſſentiali & numerica (non ſpecifica tantùm, prout in creatis eiuſdem ſpeciei ſuppoſitis) in ſingulis ſubſiſtente perſonis. Idque ex Diuinis Scripturarum teſtimonijs. Vnde, in hoc etiam redarguitur Mahometi perfidia; dum dicit, in Deo non eſſe nec Generationem, nec Genitum: non Patrem neque Filium. Conuincitur quoque falſa proferre, dum Spiritum ſanctum inter creata recenſet. En, contra eius mendacia, iam Diuina percepimus ex Scripturis Oracula: Deum vnum eſſe, ſubſtantia; Trinitatem, perſonis. Eſſe, in Deo, Patrem Deum, Filium Deum, & Spiritum ſanctum quoque eumdem Deum: Vnum, Verum, Optimum, rerum omnium Authorem, ſolum Increatum, omnia creantem, Verbo ſuo, in Spiritu ſancto; prout confitebatur Dauid, in Spiritu dicens, Pſal. 32. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*. Et in Euangelio Ioann. *Omnia per ipſum facta ſunt*, &c. & cum ipſis omnes Prophetæ, tàm Veteris, quàm Noui Teſtamenti paginæ, & exinde vniuerſi Eccleſiæ Dei Sancti, Patres, & Doctores; & cum eiſdem nos quoque, toto cordis affectu, toto mentis conamine, vniuerſis animi viribus, colimus, veneramur, adoramus; & tam vocis quàm calami miniſterio confitemur: optantes & cupientes; vt ſicut ipſe verè Deus, & Vnus & Trinus eſt, ita pariter ab vniuerſis, quæ ſua omnipotentia, ſapientia, bonitate condidit, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, vnus & idem Deus, puro mentis & cordis affectu, talis credatur, agnoſcatur, colatur, adoretur: Deumq. Subſtantia Vnum, Perſonis Trinum, omnis lingua confiteatur: eidemque, ſicut in cælis, ita pariter in terris, omne genu flectatur.

TRA-

TRACTATVS QVARTVS DE CHRISTI DIVINITATE

PRAEFATIO.

ALIVD precipuum, in quo à Chriſtianis diſſentiunt Mahometani, eſt diuina Verbi incarnatio, & Chriſti Ieſu, Mariæ Virginis filij, Diuinitas. Quamuis enim Chriſtum, inter Prophetas, ſupremo in loco reponant: & tàm miraculorum gloria, quàm ſanctitatis præſtantia, toto Orbi fuiſſe conſpicuum, fateantur: inſuper & eius Matrem, Virginem concepiſſe, Virginem peperiſſe, & Virginem in æuum permanſiſſe; & omnia, quæ infra Diuinitatem ſunt, tàm de Matre, quàm de Filio, palàm buccis concrepantibus celebrent; ita vt etiam illud, quod ſoli Deo uidetur tribuendum; ſcilicet, Nullius peccati labem incurrere potuiſſe, vtrique tribuant: tamen Deitatis formam Chriſto denegant. Scilicet, Regem, omni decore ſpectabilem, in Regio throno conſtituunt, ſceptrum in manibus tribuunt, Regiam Chlamydem induunt; illius tamen de capite Regni coronam eripiunt.

Hanc ergo vniuerſam operis ſummam, cenſere debemus, tunc eſſe plenè collectam; ſi Regem, tanto ſplendore illuſtratum, regali ſanctitatis Chlamyde indutum, in æterni Iudicis Throno collocatum, Diuinæ omnipotentiæ ſceptro munitum,

tum, & reliquis omnibus Regni inſignibus ornatum, Regio etiam Diuinitatis Diademate, oſtenderimus decoratum.

Vt igitur tàm abſconditum, tàm Diuinum, tàm ineffabile myſterium, Deificæ humanitatis, humanatæ Deitatis, aſtruamus: eaſdem Scripturas, quas de Diuina Trinitate conſuluimus, de veritate Diuinæ Incarnationis, & Chriſti Diuinitate interrogemus. Vt, qui per ſacra Dei teſtimonia Trinitatis myſterium agnouimus, per eadem hoc aliud, Diuinitatis Chriſti, myſterium agnoſcamus; vt, per vtriuſque fidem, ad vtriuſque ſcientiam, poſt huius ſæculi tenebras, perueniamus.

CAPVT I.

Diuina afferuntur teſtimonia, Chriſti Diuinitatem teſtantia.

TAm frequenter, Sacræ paginæ, Chriſti diuinitatem loquuntur; vt ferè nihil in eis ſit, quod ad tale teſtimoniũ non ordinetur: *Finis*, enim, *legis* (vt ad Romanos cap. 10. inquit Apoſtolus) *Chriſtus eſt*. Nos autem, ne ad pompam ſermonem facere videamur, cùm tantùm ad vtilitatem loquamur, pauca, ex multis, quæ ſufficiant, afferemus: & ſatis erit, pauca referre; quia etiam ſatis eſſet vnicum; tanta enim eſt diuina auctoritas, vt ei, ſemel etiam loquenti, omnis fides debeatur. Audiamus ergo in ſacris Deum paginis, non tantùm ſemel, ſed pluries, Chriſti diuinitatem aſſerentem.

Primò in Veteri Teſtamento, ſecundò in Nouo, tertiò in vtroque ſimul. Et præcipuè ipſiuſmet Chriſti, de ſe loquentis, teſtificationem attendamus: quæ, non ſolùm apud Chriſtianos, ſed etiam apud Mahometanos, irrefragabilis eſt.

SECTIO I.

Teſtimonia, de Chriſti Diuinitate, ex Veteri Teſtamento.

PSalmo ſecundo, qui de Chriſto intelligitur, non ſolùm à Chriſtianis, verùm etiam & à Iudæis, eorumque Rabbinis, & à Mahometanis. Et, inter Rabbinos, præcipuè à Rabbi Salomon, vt refert Galatinus lib. 3. cap. 7. illa verba: *Filius meus*

meus es tu: ego hodie genui te. De Chriſto intelliguntur, prout etiam Act. 4 & 13. & Paulus Apoſtolus, ſciens de Chriſto intelligi ab Hebræis, eo vtitur teſtimonio, ad eos ſcribens, cap. primo.

Mahometani etiam, de Chriſto intelligunt, vt patet in libro Camus, cuius Auctor, inter Mahometanos celeberrimus, in dictione ولد circa finem, ex illa radice deriuatorum, ſic inquit:

ومنه قول الله عز وجل لعيسى صلى الله عليه وسلم انت ابنى و انا ولدتك ۞

Ideſt: *Et ex eo dictum Dei omnipotentis & excelſi, ad Ieſum cui orationes Dei, & pax: Tu es Filius meus, & ego genui te*. Vnde, etiam Mahometani, locum hunc de Chriſto intelligunt, & Dei verba, dicta illa eſſe, teſtantur. Si ergo Deus Chriſto dicit, illum à ſe genitum, ſuumque eſſe Filium, quis audebit Deo loquenti non credere? quis diuinæ auctoritati fidem abrogare?

Scio quidem, verba illa, alio modo, ab eodem Auctore ibidē interpretari, dicit enim

اى ربيتك فقالت النصارى انت ابنى وانا ولدتك تعالى الله عن ذلك علوا كبيرا ۞

Ideſt: *Alui te: Dicunt verò Chriſtiani: Tu es Filius meus. & ego genui te. Excelſus eſt Deus a tali re longè altiùs*. Dat ergo nouum ſenſum verbo Arabico ولد, quod aliàs ſemper *parere*, & *generare*, ſignificat: vult tantùm in hoc vno Scripturarum loco, pro alere, ſeu pro ربى ideſt, *nutrire*, eſſe accipiendum, in quo ſenſu vix reperitur apud Auctores: extorquet ergo ſenſum, ad vim Scripturæ diffugiendam. Sed quamuis, de verbo Arabico, illi licentiam darèmus, vt, ad libitum, nouum ſenſum effingeret; non tamen licebit de verbo Hebræo, cùm Hebræus textus legat בני אתה אני היום ילדתיך Quæ verba

ba nullum aliud ſenſum facere poſſunt, niſi generandi, pariendi, gignendi filium. Et quidem Pſalmi per Dauid Prophetam fuerunt, non lingua Arabica, ſed Hebræa, dictante Spiritu ſancto, compoſiti. Vnde, quantumuis dicat de verbo Arabico ad placitum, redarguetur tamen ex textu originali Hebræo, qui nō dicit, *nutriui te*, vel *alui te*, ſed ילדתיך *genui te*, generaui, tāquā filium produxi; non verò, tamquam nutritius alui. Cùm ergo originalis vox ſignificet, *genui te*, translationes & verſiones aliarum linguarum non benè deriuantur ex Hebræo, niſi verbū veram generationem ſignificans in verſione reddant, & generationem dicant; non autem pro generatione nutritionem ſubſtituant: hoc enim eſſet, non verſionem facere, ſed nouam compoſitionem effingere. Præterea, illa Dei verba, ſi ſic intelligenda eſſent, prout author Camuſi effingit, non ſolùm Chriſto; ſed etiam vniuerſis hominibus applicari poſſent: & non magis dici poſſet, dicta eſſe de Chriſto, quàm de omnibus; quia omnia à Deo aluntur, & creata ſunt. Ergo, ſi Chriſto ſoli conueniunt, & non alteri; oportet vt aliqua peculiari ratione conueniant: quæ alia eſſe non poteſt, niſi vera filiatio, prout originarius textus Hebræus ſignificat.

Nec poteſt Mahometanus dicere, illa verba, peculiari ratione, Chriſto conuenire, propter excellentem diuinæ ſanctitatis participationem; quia etiam cæteris, excellentiſſimę ſanctitatis viris, tribuiſſent: & certè ipſi Mahometani primò dixiſſent conuenire Mahometo, quem putant (quamuis falsò) fuiſſe prophetarum ſanctiſſimum: & tamen numquam, verba illa Diuina Mahometo conuenire, aſſeruerunt; ſicut fatentur, ſoli Chriſto à Deo fuiſſe dicta. Ergo, non propter ſanctitatem, aut propter ſanctitatis excellentiam, quam Mahometani putant Chriſto cum ſanctis eſſe communem; ſed propter aliam peculiarem rationem, quæ alia non eſt, niſi vera Dei filiatio. Ergo Chriſtus reuera à Deo eſt genitus, & re vera eſt Dei Filius. At omnis verus Filius non poteſt eſſe, niſi eiuſdem naturę cum Patre: ergo, ſi Chriſti Pater eſt Deus, Chriſtus etiam eſt Deus.

Confirmatur magis, quia eodem Pſalmo ſequitur Propheta, in textu Hebræo: *Et nunc reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram: ſeruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.*

more. Deinde ſtatim ſubiungit נשקו בר פן יאנף ideſt: *Oſculamini Filium, ne quando ipſe Filius iraſcatur*. Quibus verbis clarè indicat Propheta, Filij iram eſſe verendam, ſicut iram Patris, inſuper & eſſe adorandum: talis enim ſenſus eſt illorum verborum, *Oſculamini filium*.

Iſaiæ 48. num. 12. *Audi me Iacob, & Iſrael, quem ego voco. Ego ipſe, & ego primus, & ego nouiſſimus, manus quoque mea fundauit terram, & dextera mea menſa eſt cælos*; Et deinde: *Accedite ad me, & audite hoc: non à principio in abſcondito locutus ſum: ex tempore, antequam fierent, ibi eram; & nunc Dominus Deus miſit me, & Spiritus eius. Hæc dicit Dominus Redemptor tuus ſanctus Iſrael*.

Verba proferentis talia indicant, proferentem eſſe Deum, vt patet; & tamen ſe miſſum dicit à Deo, & Spiritu Dei. Ergo, præterquàm quòd demonſtrent Diuinam Trinitatem; dum verba illa aſſerunt Deum miſſum, Deum mittentem, & Spiritum Dei ſimul mittentem; oſtendit etiam Chriſtum eſſe Deum. Talis enim miſſus nullus alius dici poteſt, niſi Chriſtus, & de nullo alio ſuſpicio venire poteſt: non de Moyſe, qui Deus certè eſſe non poteſt, & numquam talis eſt habitus, aut haberi potuit; nec de Mahometo, quia nec etiam ipſi Mahometani hoc aliquando vel crediderunt, vel credere potuerunt; ſed, ad ſummum putauerunt, eſſe Prophetam, quem iam ſupra impoſtorem eſſe, demonſtrauimus. Nec verba illa ab aliquo Propheta dicta eſſe, vel potuiſſe dici, præterquàm à Chriſto, conſtat, non ſolùm, quia ibi Iſaias dicit, verba illa eſſe Redemptoris; verùm etiam, quia ibi loquens, dicitur Creator & Deus: quæ non de alio homine, ſed de Chriſto tantummodo intelligi poſſunt, quem alia Scripturarum loca, ſingulariter, dicũt Dei eſſe Filium, & à Deo genitum. Cùm aliàs Scripturæ, de alijs, numquam talia loquantur, niſi metaphoricè; vt ex omnibus, quæ allegari poſſent, facilè patet, & infra in reſponſione ad argumenta, fuſiùs explicabimus.

Ergo, talia verba proferens eſt Redemptor, & ſanctus Iſrael, vtique Chriſtus, qui nos redemit ſuo pretioſo ſanguine, vt ex infra dicendis patebit. Dicit autem: Manum ſuam fundaſſe terram & cælos; eſſe primum, & nouiſſimum; quæ non alteri, niſi tantùm Deo conueniunt; ergo reuera Chriſtus eſt Deus.

Confir-

Confirmatur auctoritate Patrum, qui verba illa Iſaiæ de Chriſto intelligunt. Sic Origenes libro primo contra Celſum poſt medium. Euſebius lib.5. Demonſtrat. cap.6. Athanaſius Sermone De ſanctiſſima Deipara, poſt medium. Auguſt. lib. 20. De Ciuitate Dei, cap. vltimo, ſub initium. Chryſoſtomus De ſancto & adorando Spiritu, circa finem, Tomo 3. Hieronymus & Cyrillus ſuper hunc Iſaiæ locum. Ambroſius lib. 2. De fide cap.4. Hi, compluresque ſancti Doctores (omnes ante Mahometi tempora) ſic explicauerunt; & hunc locum, De Chriſti Diuinitate intelligendum, aſſeruerunt; eam fidem, quam à Chriſto, per Apoſtolos, Apoſtolorumque Diſcipulos, acceperant, integram incolumemque ſeruantes.

Iſaiæ 35. *Deus ipſe veniet, & ſaluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & ſoluta erit lingua mutorum*, &c. Miracula iſta omnia, & tam multa, nullus, niſi ſolus Chriſtus fecit, prout etiam ipſe Chriſtus Ioann. cap. 15. 24. ſeu ſect. 34. teſtatur, dicens: *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Hoc dixit aduerſus Hebræos illos, qui, tot viſis ſignis, in eum credere noluerunt; prout admirans inquit idem Ioan. cap. 12. num. 37. ſeu ſect. 29. *Et cùm tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum.* Inſuper & Chriſtus (vt ſignificaret Ioan. Baptiſtæ, illiuſque diſcipulis, ſe eſſe Chriſtum) reſpondit eius interrogationi, quæ habetur apud Matth. cap. 11. ſeu ſect. 30. *Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Et reſpondens Ieſus ait illis: Euntes renuntiate Ioan. quæ audiſtis & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes Euangelizantur*, &c. Quibus oſtendit Chriſtus, tunc illam Iſaiæ Prophetiam fuiſſe completam, ſeque eſſe illum, qui expectabatur, & ex ſignis talibus ſe protulit agnoſcendum: vbi patet, quàm aptè reſpondeant his, quæ per Iſaiam futura prædicuntur, ea quæ facta à Chriſto referuntur. Dixit Iſaias: *Tunc aperientur oculi cæcorum*. Et in Euangelio dicitur: *Cæci vident*. Sequitur Iſaias: *Tunc ſaliet ſicut ceruus claudus*. Et ſequitur Euangeliſta: *Claudi ambulant*. Dicit inſuper Iſaias: *Aures ſurdorum patebunt, ſoluta erit lingua mutorum*. Et in Euangelio, Marci 7. num. 37. ſeu

ſect. 23. dicitur de Chriſto: *Benè omnia fecit, & ſurdos fecit audire & mutos loqui*. Et innumera penè alia miracula à Chriſto facta eſſe, teſtantur; quæ etiam Alchoranus fatetur, capite ſecundo, & quarto, سن آل عمران, & سن المايدة idest, *De familia Amrani*, & *De Menſa*. Numquam aliàs talia, & tàm multa, viſa ſunt; ita, vt dicerent ex Iudæis plurimi, vt habetur Ioann. 7. num. 31. ſeu ſectione 18. *De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant: Chriſtus, cùm venerit, numquid plura ſigna faciet, quàm quæ hic facit?* Prophetæ verò in Veteri Teſtamento, miracula quidem perpetrarunt; ſed non illa omnia: non Moyſes, qui, nec dicitur, claudos erexiſſe, nec cæcorum oculos aperuiſſe, aut ſurdorum aures, aut muti linguam ſoluiſſe: nec Ioſue. Quamuis ille mare & terram aperuiſſet; & hic ſolem ſtare iuſſiſſet. Nec Elias, nec Eliſeus; quamuis vterque mortuum ſuſcitaſſet: nec Iſaias ipſe, aut alius. Inſuper & Iſaias in tempore futuro loquitur: *Veniet, & ſaluabit, aperientur, ſaliet, patebunt, &c.* Illa verò Moyſi, Ioſue, & cæt. præceſſerant, & poſt Iſaiam, non eſt viſus Propheta, qui illa omnia miracula perpetraret, niſi tantùm Chriſtus. Ergo de Chriſto intelligenda eſt prophetia. At dicitur ibi, eſſe Deus: ergo reuera eſt Deus. Dicit: *Deus ipſe veniet, & ſaluabit nos: tunc aperientur oculi cæcorum, &c.* Ergo, ille qui tunc aduenerat, cùm talia ſigna fierent, Deus erat: facta ſunt talia ſigna dum adueniſſet Chriſtus, & per Chriſtum: ergo Chriſtus eſt Deus.

Sic, de Chriſto, hunc locum exponunt ſancti Patres, qui ante Mahometi tempora viguerunt. Irenæus libr. 3. cap. 22. Cyprianus lib. ſecundo contra Iudæos, c. 7. Euſebius lib. 6. Demonſtrationum, c. 21. Auguſt. lib. ſeu orat. de quinque hæreſibus, cap. 6. Hieronymus, & Cyrillus, ſuper hunc locum Iſaiæ; item Cyrillus libro quarto in Ioan. cap. vigeſimo octauo. Athanaſius libr. de humanitate Verbi, poſt medium, & alij.

Iſaiæ 52. *Dicit Dominus, iugiter tota die nomen meum blaſphematur: propter hoc ſciet populus meus nomen meum in die illa; quia ego ipſe, qui loquebar, ecce adſum.* vbi Iſaias vtitur

no-

nomine ineffabili, quod ſoli Deo tribuitur, Iehouah. At Chriſtus eſt qui venit, ergo Chriſtus eſt Iehouah, ſeu Deus.

Iſaiæ 45. *Hæc dicit Dominus: Labor Aegypti, & negotiatio Aethiopiæ, & Sabbaim viri ſublimes ad te tranſibunt, & tui erunt: poſt te ambulabunt, vincti manicis pergent, & te adorabunt, teque deprecabuntur: tantum in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus. Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael, ſaluator.* Hæc verba loquitur Deus ad Saluatorem, quem dicit eſſe etiam Deum. Itaque habemus Deum loquentem, & Deum colloquentem, cui talia dicuntur: vnde duæ ſunt perſonæ, prima loquens, & ſecunda colloquens, ſeu audiens. Prima exprimitur, dum dicit Propheta: *Hæc dicit Dominus, &c.* Secunda, de qua dicitur, & cui dicitur: *Non eſt abſque te Deus, tu es Deus ſaluator, &c.* At Saluator, Chriſtus eſt; vt magis ex infra dicendis patebit: ergo Chriſtus eſt Deus. Tam euidens, viſum eſt Hieronymo, huius loci teſtimonium, vt, illud explicans, nullum eſſe ab eius vi effugium, dixerit.

Baruch, capite 2. *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius aduersùs eum. Hic adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illā Iacob dilecto ſuo: poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Hoc autem de nullo dici poteſt, niſi de Chriſto, qui incarnatus, & homo factus, inter homines conuerſatus eſt, cum eſſet Deus, & Dei Filius; vt ex cæteris Scripturarum locis habetur: ergo reuera Deus eſt. Vel aliàs dicendum eſſet, in poſterum expectandum Deum, vt Prophetia illa impleatur, ſi non adhuc dicatur impleta: vel certè concedendum eſt, fuiſſe iam impletam. non poteſt dici implendam, quia Mahometani hoc negant, cùm Alchoranus etiam bis repetat, vel pluries, capite *De Creatore*, circa medium, & cap. *De Brutis*, in fine, & capite مّن الزّخرف post initium, non vltra expectandum eſſe, Legatum à Deo mittendum, nec aliquid à Deo vlteriùs expectandum. & مّن المصابيح idest, capite *De Lampadibus*. poſt medium, ſic inquit:

ولا من خلفه تنزيل من حكيم حميد ۝

Ideſt. *Poſt Alchoranum*, de quo ibi loquitur, *non erit demiſſio à Deo ſapiente glorioſo.* æquè ac ſi dixiſſet: neque Propheta, neque Scriptura, in poſterum, à Deo in Orbem mittetur. Ergo dicendum eſt, Prophetiam illam Baruch fuiſſe iam impletam: at in nullo alio impleta dici poteſt, niſi in ſolo Chriſto. Ergo Chriſtus eſt Deus, qui cum hominibus conuerſatus eſt, & in terris viſus eſt, Incarnatus ex Virgine. Sic intelligunt hunc locum Sanctiſſimi & eruditiſſimi Patres, etiam ante Mahometi tempora. Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 5. Ambroſius lib. 1. De fide, cap. 2. Greg. Nazianz. oratione 4. De Theologia. Aug. lib. 18. de ciuit. Dei cap. 33. Theodoretus in hunc locum, Euſebius lib. 6. Demonſtrat. cap. 19. Hilarius lib. 5. De Trinitate, in fine. Baſilius lib. 4. in Eunomium, non longè à fine. Chryſoſtomus in oratione. *Quòd Chriſtus ſit Deus*. Cyrillus libro decimo in Iulianum. Et complures alij.

Zachariæ Secundo. *Hæc dicit Dominus exercituum: Poſt gloriam miſit me ad gentes, quæ ſpoliauerunt vos: qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. quia ecce ego leuo manum meam ſuper eos, & erunt prædæ his, qui ſeruiebant ſibi: & cognoſcetis, quia Dominus exercituum miſit me. Lauda, & lætare filia Syon; quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, dicit Dominus: & applicabuntur gentes multæ ad Dominum in illa die, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui: & ſcies, quia Dominus exercituum miſit me ad te.* locum hunc efficaciſſimum eſſe, teſtatur Euſebius lib. 5. demonſtrat cap. 25. & 26. Auguſtinus lib. 20. de Ciuit. Dei, c. vltimo. Hieronymus, & Theodoretus, in comment. huius Prophetiæ. Ambroſius lib. 2. de fide, cap. 3. Rupertus in hunc locum, & alij. Cùm enim repetatur, Dominum exercituum miſſum à Domino exercituum, clarè patet, duas diſtinctas perſonas Dominum exercituum nuncupari; neque enim eadem perſona poteſt ſemetipſam mittere, ſed ab altera mittitur, & ab altera miſſa dici poteſt, non à ſe. At hic Dominus exercituum, miſſus, nul-

nullus alius,niſi Chriſtus,dici poteſt. Ergo Chriſtus eſt Dominus exercituum.

Zachariæ 12. *Effundam ſuper Domum David, & ſuper habitatores Hieruſalem,Spiritum gratiæ, & precum; & aſpicient ad me, quem confixerunt*. His ergo dicit Zacharias, illum transfixum effuſurum Spiritum gratiæ: quod facere nemo poteſt, niſi Deus; nemo enim gratiæ Spiritum dare poteſt; niſi auctor omnium. At ille transfixus, non alius eſt, qui verba illa dicere poſſit, niſi Chriſtus: ergo Chriſtus eſt Deus. Minor de ſe patet; vnde Ioann. ſect. 42. ſeu cap. 19. dicitur, Prophetiam hanc tunc impletam fuiſſe, quando Chriſtus in cruce tranxfixus eſt. Alias enim nunquam Deus fuit transfixus, niſi quando Chriſtus fuit crucifixus. Ergo &c.

Plura ex Veteri poſſunt afferri; ſed allata ſufficiant: modò ad Nouum teſtamentum tranſeamus.

SE-

SECTIO II.

Afferuntur Diuina teſtimonia de Chriſti Diuinitate, ex Nouo Teſtamento.

PRimò, ex nouo Teſtamento hoc vnum ſufficeret teſtimonium, ad Chriſti diuinitatem Mahometanorum mentibus ſuadendam, ipſamet de ſe Chriſti teſtificatio; pluries enim teſtatur Chriſtus, ſe Deum eſſe verumque Dei Filium: cùm igitur Chriſtus omnino ſine peccato, imò & impeccabilis credatur, etiam ab ipſiſmet Mahometanis, ex Alchorano cap. 2. de familia Amrani, & cap. de Maria: mendacij ſuſpicionem in Chriſti verbis, omnino de ſuis ipſorum animis propulſare debent: aliàs enim, ſi mentitum aliquando dicant, non poſſunt illum dicere impeccabilem; præſertim cùm de tanta re ſit nobis ſermo, vt in ea mendacium, eſſet grauiſſimum, & peccatum, non mediocris prauitatis. Si enim Chriſtus, non exiſtens Deus, aliquando ſe Deum dicere auſus eſſet, tantum crimen perpetraſſet, quanta eſt diuinæ læſio Maieſtatis. Vnde ſi aliquando conſtet, Chriſtum, ſe Deum dixiſſe (ne in hominem impeccabilem blaſphemiæ & mendacij calumniam importent) re vera Deum eſſe, neceſſe eſt credant.

Quòd autem Chriſtus dixerit, ſe Filium Dei eſſe, ſeque Deum aſſeruerit, tam certum eſt, vt celeberrimum ſit, non ſolùm apud Chriſtianos, ſed etiam apud Iudæos. Et nos quidem credimus, tamquam Dei veritatem: Iudæi verò, tamquam impij hominis blaſphemiam execrantur; ſeque propterea tantis flagellorum ictibus, Diuina percutiente manu, aſſiduè flagellari, in tanta, tamque longa, tot ſæculorum captiuitate, tam miſerabili, per vniuerſi Orbis prouincias, premi ſeruitute & captiuitate, aſſerunt; quia vnus quidam Iudæus, tanto arrogantiæ faſtu tumeſcens, auſus eſt, in tam ſublime ſuperbum cacaput attollere, vt, ſe Deum Deique filium dicere, non exhorreſceret. Et quamuis, de tanto crimine, eorum parentes vltri-

ces pœnas,ipſum cruci affigendo,ſumpſerint: nihilominus (inquiunt Iudæi) adhuc tanti criminis nefas condignas pœnas non ſoluit, & propterea etiam de nobis pœnæ ſumuntur, cùm tantum ſcelus ex nobis proceſſerit. Verùm hoc, contra ipſoſmet Iudæos, facit; quia potiùs prœmium, quàm pœnam, meruiſſent, ſi Chriſtus in eo mentitus eſſet, cùm ipſi Chriſtum talia dicentem, tam diro tormentorum genere, puniuiſſent. At hoc contra Iudæos. Non facit contra Mahometanos, qui Chriſtum fatentur, non ſolùm non fuiſſe vlla criminis labe fœdatum, ſed etiam prorſus nec fœdabilem, & omninò fuiſſe impeccabilem, prout inquit Alchoranus, non longè ab initio cap. *De familia Amrani*. Ergo, certum eſt, apud nos & Mahometanos, Chriſtum, nulla ratione mentiri potuiſſe. Quòd ſi mentiri nequiens, ſe Deum Deíque Filium eſſe, teſtatur; cur eius non ſuſcipitur teſtimonium?

Sed, quod irrefragabilis eſt auctoritatis, audiamus ſacrarum Scripturarum teſtificationem, quòd Chriſtus, ſemetipſum Deum Deique Filium, aſſeruerit.

Matthæi 16. à num. 16. & infra, & in textu Arabico ſect. 50. Chriſtus Petri confeſſionem commendat, quòd eius Diuinitatem agnouiſſet; & Petro dicenti: *Tu es Chriſtus filius Dei viui*. Reſpondit Ieſus: *Beatus es Simon Bar Iona, quia Pater meus reuelauit tibi*. Ergo Chriſtus, tamquam veritatem à Deo conteſtatam, Diuinitatem ſuam, & Diuinam ſui filiationem, aſſeruit.

Ioannis ſect. 22. ſeu cap. 9. à num. 35. & infra, Chriſtus, ſe cæco à natiuitate, cui oculos aperuerat, non ſolùm, Dei eſſe Filium, ſignificauit; ſed etiam, tamquam Dei Filium, adorare permiſit. Verba ſacr. Textus hæc ſunt: *Audiuit Ieſus, quia eiecerunt eum, &c. Et cùm inueniſſet eum dixit ei: Tu credis in Filium Dei? Reſpondit ille & dixit: Quis eſt Domine, vt credam in eum? Et dixit ei Ieſus: Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum ipſe eſt. At ille ait: Credo Domine. Et procidens adorauit eum*. Ecce quomodo Chriſtus, ſe Dei Filium, dixit, & tamquam Deum, adorari ſe voluit.

Præterea, Chriſtus ſæpè Patrem ſuum dicit Deum, vt Matth. 10. à num 32. ſeu ſect. 28. *Confitebor eum coram Patre meo, qui in cælis eſt*. Quibus verbis oſtendit, Deum, peculiari ratione, ſuum Patrem eſſe. Et Matth. ſect. 32. ſeu cap. 11. num. 26.

& infra

& infra: *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo: & nemo nouit Filium niſi Pater; & Patrem quis nouit niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Vbi non eſt ſermo de filio hominis, qui facilè ab hominibus cognoſci poteſt; ſed de Filio Dei, quem ſoli Deo Patri, dicit, eſſe cognitum; & à cæteris, non, niſi ſe vel Patre reuelante, cognoſcibilem: dixit autem talem Filium ſe eſſe, cùm antea præmiſiſſet: *Omnia mihi tradita ſunt.* (vt ex contextu palàm eſt, veritatem, non calumniam aut quæſtionem inquirenti.) Eadem habentur Lucæ 10. à num. 21. & infra, & in textu Arabico ſect. 39.

Matth. 14. num. 33. ſeu ſect. 44. Adorabant eum quidam, dicentes: *Verè Filius Dei es.* Ipſe verò ſinebat ſe adorari. Quòd ſi Filius Dei non fuiſſet, vtique ſe adorari non permiſiſſet: Sicut Barnabas & Paulus Act. 14. ſe tamquam Deos coli minimè permiſerunt.

Matth. ſect. 75. ſeu cap. 22. à num. 41. & infra, & Lucæ ſect. 73. ſeu cap. 20. à num. 41. Chriſtus interrogauit Phariſæos, cuius filius Meſſias eſſet. Ipſi reſponderunt: *Dauid.* Chriſtus autem, vt eos doceret non ſolùm eſſe filium Dauid ſecundùm humanitatem, verùm eſſe aliquid amplius, nempe Deum, Deique Filium etiam; propterea ſubdit: *Quomodo ergo Dauid vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: ſede a dextris meis, &c.* Phariſæi verò neſcierunt reſpondere; quia neſciebant ipſum eſſe Deum: ignorauerunt reſponſionem, quia ignorabant Diuinitatem. Si enim ſciuiſſent, vtique reſponſionem dediſſent, dicentes: eſt filius Dauid ſecundùm humanitatem; quia verò etiam Deus eſt, propterea Dauid illum eumdem, quem alias dicit filium, dicere potuit & Dominum. Hoc ergo docere illos volebat Chriſtus illa interrogatione.

Matthæi 26. à num. 63. & in textu Arabico ſect. 93. Adiuratus Chriſtus, per Deum viuum, à Principe Sacerdotum, vt diceret: an ipſe eſſet Chriſtus Filius Dei. Reſpondit, ſe eſſe: Eamque reſponſionem, tamquam execrandam blaſphemiam, Summus Pontifex cum cæteris, exceperunt, dicentes: *Blaſphemauit.* Idem refertur Marc. 14. num. 61. & 62. & in textu Arab. ſect. 50.

Ioannis ſect. 4. in textu Arab. & in textu Latinò cap. primo à num. 47. & infra, Chriſtus commendabat Nathanael; qui

illum

illum, Dei Filium eſſe, confeſſus eſt, eò quòd à Chriſto audierat, ſub ficu ab eo ſe viſum eſſe, priùs quàm à Philippo vocaretur. Chriſtus autem duo ſubiunxit; vnum, quòd crederet & verum crederet; alterum, quòd non propterea credere debuiſſet, eò quòd ab eo viſus eſſet abſens, ſub ficu; ſed propter maiora ſigna, quæ non niſi à Deo fieri poſſent. Dixit igitur Chriſtus: *Quia dixi tibi, vidi te ſub ficu, credis? Maius his videbis, videbitis cælum apertum*, &c. Quaſi diceret: Verum credis, dum me credis eſſe Filium Dei: tamen ſignum illud non eſt tanti momenti, vt fieri nequeat à non Deo, vel non Filio Dei: tamen videbis illa ſigna maiora per me fieri, quæ non niſi à Deo fieri poſſunt. Monuit ergo illum, vt non facilè crederet; tunc autem verum credidiſſe.

Ioannis ſect. 7. ſeu cap. 3. à num. 12. & infra. Chriſtus manifeſtauit ſe Nicodemo, eſſe immenſum, eſſe in cælo, & de cælo deſcendiſſe, & ibidem eſſe vnde diſceſſerat. Item, à Deo ſic mundum fuiſſe dilectum, vt Filius illi fuerit ab eo traditus. Et ex contextu patet, quòd ſe Filium Dei diceret, cùm ſuperiùs dixiſſet, ſe noſſe cæleſtia cæteris abſcondita, de cælo eſſe, & ad Orbis ſalutem miſſum à Deo, quem ſuum Patrem aſſerit, ſeque eiuſdem Patris vnigenitum.

Ioannis ſect. 8. ſeu cap. 4. à num. 25. Chriſtus Samaritanæ mulieri clarè dixit, ſe eſſe Meſſiam. Item Mahometani illum Meſſiam confitentur, dum illi المسيح nomen tribuunt. Quod idem eſt ac Meſſias, & Chriſtus. At Chriſtus Filius Dei eſſe debet, vt complures Scripturæ teſtantur. Ergo dixit, ſe Filium Dei eſſe.

Ioannis ſect. 16. ſeu cap. 6. à num. 36. & infra, ſe dicit pluribus, Filium Dei eſſe, & deſcendiſſe de cælo.

Ioannis 6. num. 70. & in textu Arab. ſect. 17. Petrus, omnium Apoſtolorum nomine, Chriſto dixit: *Nos credidimus, & cognouimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei.*

Ioannis 8. à num. 23. & in textu Arabico ſect. 21. dicebat Chriſtus Iudæis: *Vos de deorſum eſtis; ego de ſupernis ſum.* Et poſt pauca: *Dixerunt ergo ei Iudæi: Tu quis es? Et reſpondit eis Ieſus: Principium, qui & loquor vobis.* Et infra num. 27. dixit Euang. Io. Et non cognouerũt, quia Patrem eius dicebat Deum.

Ioannis ſect. 24. ſeu cap. 10. à num. 24. & infra, clarè ſe dicit Christus Filium Dei, & eſſe idem cum Patre: vnde & Phariſæi tentantes eum lapidare, dicebant: idcirco ſe velle eum lapidibus oppetere, quòd cùm eſſet homo ſe Dei Filium faceret: *De bono opere* (inquiunt) *non lapidamus, ſed de blaſphemia: & quia, homo cùm ſis, facis te ipſum Deum*. Et vſque in finem capitis clarè ſignificat Chriſtus, ſe Dei Filium eſſe.

Ioannis 11. à num. 27. & in textu Arabico ſect. 25. Martha ſoror Lazari confeſſa eſt, Chriſtum eſſe Dei viui Filium, cùm priùs illi Chriſtus, ſe vitam eſſe, dixiſſet, quod ſoli Deo conuenit. Et eodem capite num. 4. ſignificans idem, dixit, mortem Lazari ideo accidiſſe, vt per eam ipſe Dei Filius glorificaretur: ſicut & glorificatus eſt, quando coram multis illum ſuſcitauit, vocans eum iam quatriduanum de monumento.

Ioannis ſect. 32. & 33. & in textu Latino cap. 14. à num. 6. & infra, idem repetit; & ſe eſſe viam, veritatem, & vitam; in ſe eſſe Patrem, & ſe in Patre. Et eſſe Dei Filium per totum caput. Idem repetit ſequenti cap. 15. & cap. 16. num. præſertim 28. dicens: *Exiui à Patre & veni in mundum, iterum relinquo mundum & vado ad Patrem*. Et, *Ipſe Pater amat vos, quia vos me amaſtis & credidiſtis, quia à Deo exiui*. Quæ in textu Arabico habetur ſect. 36.

Propterea Iudæi Chriſtum interficere conabantur, quia ſe Dei Filium, Deo æqualem dicebat. ſic teſtatur Ioann. cap. 5. à num. 16. & in textu Arabico ſect. 10. & 11. & 12. *Propterea perſequebantur Iudæi Ieſum, quia hæc faciebat in Sabbato. Ieſus autem reſpondit eis: Pater meus vſque modò operatur, & ego operor. Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere; quia non ſolùm ſoluebat Sabbatum; ſed & Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo*. Et infra eodem capite pluries repetit Chriſtus teſtimonia, de ſui Diuinitate, & Dei filiatione.

Propterea etiam tradiderunt Pilato, cruci adiudicandum, & dicebant, prout Ioann. 19. num. 7. & in textu Arab. ſect. 40. *Reſponderunt Iudæi: Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori; quia Filium Dei ſe fecit*.

Cùm ergo tam clarè dixerit Chriſtus, ſe Dei Filium eſſe; credendum eſt eius teſtificationi; ne virum tam ſanctum, tam iuſtum, vt iuſtitiam & ſanctitatem amittere nequiret, dicamus in

in tanto negotio fuiſſe mentitum; quod, non modò non eſſet ſanctitatis indicium, ſed grauiſſimum fuiſſet mendacium, & execrabilis blaſphemia. Ergo verum dixit, ergo verè Filius Dei eſt.

Quòd ſi Alchoranus contradicere conetur, inducens Deum cum Ieſu talia colloquentem, capite 4. cui titulus eſt *De menſa*, in fine.

وإذ قال الله يا عيسى بن مريم أأنت قلت للناس اتخذوني و
أمي إلهين من دون الله قال سبحانك ما يكون لي أن أقول
ما ليس لي بحق إن كنت قلته وقد علمته تعلم ما في نفسي و
لا أعلم ما في نفسك إنك أنت علام الغيوب ما قلت لهم إلا ما
أمرتني به أن اعبدوا الله ربي وربكم وكنت عليهم شهيدا
ما دمت فيهم ۞

Ideſt: *Et cùm dixit Deus: ò Ieſu Fili Mariæ, num tu dixiſti hominibus: aſſumite me & matrem meam in Deos, præter Deum, qui eſt? Reſpondit Ieſus: Laus tibi Domine, non eſt mihi, vt loquar, quod non eſt mihi verè: ſi dixerim illud tu noſti; ſcis enim quid eſt intra me, ego verò neſcio quid intra te; quoniam tu es cognitor abſconditorum. Non dixi eis, niſi quod præcepiſti mihi; ſcilicet: ſeruite Deo Domino meo, & Domino veſtro: & teſtificatus ſum eis hoc quamdiù cum illis fui.* His & ſimilibus verbis, aliàs etiam, conatur hanc ſuis mendacijs inficere veritatem. At quis non etiam in hoc (ſicut in pluribus ſupra) eius agnoſcat nequitiam? Erit igitur & hoc aliud, inter cætera eius mendacia connumerandum: & non eſt mirum, mentiri etiam in hoc vno eum, qui in multis mentitus eſt. Quid autem reſpondebit, ſi quæramus, cur à Iudæis fuerit Cruci affixus? cùm totius Orbis conteſtatio, plenis faucibus clamet; ideo fuiſſe in Cruce ſuſpenſum, quia ſe Dei Filium diceret, ſeque Deum eſſe teſtaretur. Et quidem ipſemet Al-

choranus, circa finem cap. 3. cui titulus eſt, *De mulieribus*; quamuis neget, ipſum Chriſtum Cruci fuiſſe ſuffixum; nihilominus fatetur, Iudæos illum crucifigere fuiſſe conatos; de facto tamen eius imaginem crucifixiſſe, non ipſum, quem Deus ad cælum aſſumpſiſſe dicit, dum Iudæi ad eius crucifixionem properarent. Verba Alchorani hæc ſunt, versùs finem capitis, aliquanto altiùs à fine.

وبكفرهم وقولهم على مريم بهتانا عظيما وقولهم انا قتلنا
المسيح عيسى بن مريم رسول الله وما قتلوه وما صلبوه ولكن
شبه لهم وان الذين اختلفوا فيه لفي شك منه ما لهم به من علم الا
اتباع الظن وما قتلوه يقينا بل رفعه الله اليه

Ideſt. *Et per infidelitatem ſuam, & dictum ſuum, de Maria paradoxum ſeu mendacium grauiſſimum: & dictum eorum, quòd nos occiderimus Chriſtum Ieſum, Filium Mariæ, Apoſtolum Dei. Et non occiderunt eum, neque crucifixerunt eum; ſed viſum eſt illis ſimilitudinariè: & certè, qui controuertunt de hoc, dubium habent de eo: & non habent de eo ſcientiam, niſi diuerſitatem opinionum: & non occiderunt eum certè; ſed aſſumpſit eum Deus ad ſe.* Sic ergo fatetur, Iudæos tentaſſe Chriſtum crucifigere. Peto igitur, quare tentauerint? propter quid? vnde moti ſunt? Reſpondent omnes, Quia ſe Deum eſſe affirmabat, ſe Dei filium aſſerebat. Sic reſpondent Iudæi, ſic reſpondent Chriſtiani, ſic Gentiles hiſtorici, ſic vniuerſus Orbis. Sic diuina Scripturarum teſtimonia, locis ſupra notatis, & Ioan. ſect. 40. *Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit.* Et Ioan. ſect. 10. *Propterea quærebant eum Iudæi interficere; quia ſe filium Dei faciebat, æqualem ſe faciens Deo, &c.*

Solus Alchoranus, contra totius Orbis conteſtationem hanc veritatem mendacijs obuoluere tentat; vt, Filij Dei diuinitatem negans, ſuam ſtabiliat Pſeudoprophetiam. Sed iam eius mendacia deprehenſa ſunt; & ex ſupradictis concluſum

eſt

eſt; non Alchorano, ſed Euangelijs credendum: Euangelia & Tora eſſe Dei ſcripturas, Alchoranum verò figmenta & impoſturas: ſicut etiam in hoc peculiariter, toto Orbe reclamante, conuincitur; cùm ſolus audeat negare, quod totus aſſerit Orbis.

Ergo re vera Chriſtus dixit, ſe eſſe Deum, ſe eſſe Dei Filium. Ergo re vera, Dei Filius & Deus eſt. Quòd ſi negent Mahometani conſequentiam; conuincentur, Alchoranum eſſe falſum, dum dicit, Chriſtum non potuiſſe peccata committere, ac per conſequens, non potuiſſe in Deum blaſphemias irrogare. Et in hoc verum dicit Alchoranus, quia Chriſtus erat impeccabilis. Ergo quidquid Chriſtus dicebat à veritate alienum eſſe non poterat: dixit, ſe eſſe Deum, ſe eſſe Filium Dei: ergo, re vera, Filius Dei, & Deus eſt.

Sed iam quædam alia, de Chriſti diuinitate, ex Nouo Teſtamento afferamus teſtimonia.

SE-

SECTIO III.

Alia Teſtimonia, de Chriſti Diuinitate, ex Nouo Teſtamento.

MAtthæi 16. ſeu ſect. 50. *Tu es Chriſtus filius Dei viui*. Ioann. 19. ſeu ſect. 40. *Debet mori, quia filium Dei ſe fecit.* vbi notandum eſt, non eſſe ſenſum de filiatione adoptiua, quia ſic omnes Iudæi ſe filios Dei iactabant, vt Ioann. 8. ſeu ſect. 21. *Nos vnum Patrem habemus Deum*: hoc tamen blaſphemiã non reputabant, prout blaſphemiam, Chriſti dictum, cenſebãt. Vnde Ioann. 10. num. 33. ſeu ſect. 24. *De blaſphemia lapidamus te; quia tu, homo cum ſis, facis te ipſum Deum*. vnde Chriſtus loquebatur de vera, non de ſola adoptiua filiatione.

Lucæ primo: *Multos filiorum Iſrael conuertet ad Dominum Deum ipſorum, & ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ.* Chriſtus igitur hic Dominus Deus Iſrael dicitur. Quòd Ioannes Baptiſta, qui fuit Chriſti præcurſor: de quo etiam loquitur Alchoranus, cap. 2. de Familia Amrani, & cap. primo libri 3. cui titulus eſt de Maria: præcederet ante Dominũ Deum Iſrael, in ſpiritu & virtute Eliæ. Cùm ergo præceſſerit ante Chriſtum, vt patet in Euangelijs, Chriſtus eſt Dominus Deus Iſrael: At Dominus Deus Iſrael eſt verus Deus, ergo Chriſtus eſt verus Deus. Sic arguunt, ex hoc loco, ſanctus Irenæus lib. 3. cap. 11. & Ambroſius, ante Mahometi tempora; eoſque ſequuti ſunt Beda, Euthymius, & alij, ſuper hunc Lucæ locum. Conſtat autem in Euangelijs, vbicumque de Ioanne Baptiſta eſt ſermo, illum, conatum eſſe omnes filios Iſrael ad Chriſtum conuertere: ergo Chriſtus eſt ille Dominus Deus.

Ioannis decimo, ſeu ſection. 24. *Ego & Pater vnum ſumus*. Quod, vt ex contextu patet, de identitate eſſentiæ & potentiæ, intelligendum eſt. Chriſtus enim ibi aſſerebat, oues eius nullo modo perituras, & non rapiendas de manu eius ab omni alio quocumque, ea, ſcilicet, ratione; quia Pater omnibus potentior eſſet: deinde ſubiungit: *Ego & Pater vnum ſumus*, ad

probandum quod prius dixerat,ſcilicet,quòd nemo poſſet eas rapere de manu eius, ſicut nemo poterat rapere de manu Patris. Conſequentia autem nullius eſſet momenti, niſi illud. *vnum ſumus*, intelligeretur de potentia & robore. Reſponderi enim potuiſſet, quòd cùm Pater eſſet fortior omnibus, nemo poſſet rapere de manu Patris: Cur autem de manu eius, cuius non eſſet tanta potentia? At ſi intelligatur de identitate potentiæ & roboris. *Ego & Pater vnum ſumus*. Bene procedit conſequentia, æque ac ſi diceret: Nemo poteſt rapere oues meas de manu Patris mei, ſed ego & Pater vnum ſumus, communis eſt robur, & potentia: ergo nec quiſquam poterit eas rapere de manu mea. At potentia & robur Dei idem ſunt cum diuina eſſentia; nam, vt bene in tuo libro fateris, quicquid in Deo eſt, Deus eſt; ergo, ſi communis eſt Chriſto cum Deo robur & potentia, eſt etiam communis eſſentia. Sic arguit Baſilius lib. 1. in Eunom. verſus finem,aliquanto remotius. Chryſoſtomus ſuper hunc locum, ambo ante Mahometi tempora. Iudæi autem animaduertentes, ſtatim lapides ſubſtulerunt, vt iacerent in eum, reſpondentes,ſe velle eum lapidare, quia ſe filium Dei diceret, & æqualem Deo ſe faceret. Inſuper & Chriſtus ipſe ſua verba explicauit, eſſentiæ identitatem importare, cum reſpondit Iudæis ibidem: *Vos dicitis,blaſphemas, quia dixi filius Dei ſum.*

Excuſatio Chriſti, quam ibidem ponit Ioannes,Chriſti diuinitatem etiã teſtatur,dicit enim.*Reſpondit Ieſus: nonne ſcriptum eſt in lege veſtra, quia ego dixi, Dij eſtis? Si illos dixit* Deos, *ad quos ſermo* Dei *factus eſt,& non poteſt ſolui ſcriptura: quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum, vos dicitis, quia blaſphemas, quia dixi filius Dei ſum. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mibi; ſi autem facio, operibus credite, vt ſciatis, & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre.* Ex quibus verbis Hilarius,ante Mahometi tempora, li.7. de Trinitate talẽ diſcurſum deriuat. Si Dij dicuntur illi, qui adoptiui filij Dei ſunt per gratiam;quanto magis Deus eſt, qui Dei filius eſt per naturam?

Ioannis 14. *Creditis in Deum & in me credite*. Auguſt. lib. 1. De Trinit. cap. 12, & alij in hunc locum,inferunt, Chriſtum eſſe verum Deum; aliàs enim non poſſet ſibi eamdem fidem arrogare. Ibidem: *Si cognouiſſetis me,& Patrem meum*

vti-

vtique cognouiſſetis. Rurſus ibidem ſeu ſect. 33. in textu Arabico. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem*. Ex quo loco Cyrillus lib. 9. cap. 37. in Ioannem, infert, Chriſtum eſſe vnum Deum cum Patre, aliàs enim non benè Chriſtus dixiſſet, ſe non poſſe cognoſci, niſi ſimul cognito Patre. Patet autem, ibi ſermonem eſſe de cognitione Diuinitatis, non de cognitione humanitatis; Apoſtoli enim tamquam hominem benè nouerant Chriſtum, & tamen à Chriſto audiunt: *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me?* Philippus inſuper cupiebat videre diuinitatem, propterea dixit: *Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis*. Vnde Chriſtus, de Diuinitate reſpondit, iuxta propoſitum: *Qui videt me, videt & Patrem*. Aliàs enim, ab re de humanitate reſponſum dediſſet, de diuinitate requiſitus.

S. Auguſ. ep. 173. ad Paſcentium, inter cætera cõplura, vtitur etiã teſtimonio Io. ſec. 44. ſeu c. 20. *Dominus meus, & Deus meus*. Quibus verbis Thomas Apoſtolus, poſt vulnerum Chriſti contrectationem, Chriſti reſurrectionẽ agnoſcens, cùm prius credere renuiſſet, eum Deum confeſſus eſt & Dominum. Quòd verò veritatem illis verbis Thomas confeſſus eſſet, reſpondit ei Chriſtus: *Quia vidiſti me Thoma credidiſti, Beati, qui non viderunt & crediderunt*. Nec poteſt reſponderi ſicut Neſtoriani; illa Thomæ verba eſſe exclamationem Thomæ, admirantis Chriſti reſurrectionem: nàm in Textu Græco non eſt ſignum exclamantis ω, ſed articulus vocatiui caſus ὁ. Inſuper Euangeliſta non refert, quòd abſolutè dixerit Thomas illa verba: ſed quòd dixerit ipſi Chriſto. *Reſpondit Thomas, & dixit ei* (ſcilicet Chriſto) *Dominus meus, & Deus meus*.

SE-

SECTIO IV.

Teſtimonia De Chriſti Diuinitate ex Epiſtolis Pauli.

INutile & ſuperuacaneum fortaſſe tibi prima fronte videbitur, ex Epiſtolis Pauli auctoritates deſumere; cum in tuo libro, nos Paulo, licèt falſa proponenti, dicas, leui animo credere: nihilominus iam ſupra, Pauli Epiſtolas inter ſacros libros probauimus eſſe recenſendas: & quod in tuo libro contra Paulum, cæteroſque Apoſtolos, ſcriptum reperimus, non à te vel aliquo Mahometano appoſitum; ſed ab alio, fortè Iudæo, ſuppoſitum: pluribus hoc exiſtimamus rationibus.

Primò, quia vt diximus, Alchoranus cum Gloſſis, præcipuè Alzamahxeri, & Buhatia, de Chriſti Apoſtolis, præcipuè de Paulo, in cap. de يس optimum reddit teſtimonium, dicens, illos miracula perpetraſſe, & Antiochiam ad Chriſti fidem miraculis perduxiſſe. Ergo Apoſtolus Paulus, non falſa locutus eſt, ad inſtar mendacis & deceptoris; ſed vera & ſancta, ad inſtar iuſti & doctoris.

Secundò, Quia Alchoranus dicit, Chriſtianos recta via incedere, & ſalutis terminum conſequi, eſſe iuſtos & ſanctos, ſi ſuam legem ſeruent. Idque repetit tam cap. 1. cui titulus eſt س البقرة *De Vacca*, quam cap. 4. cui titulus eſt س المايدة *Demenſa*: ergo multo magis, Chriſtianorum præcipui, ſancti & iuſti dicendi ſunt: at Chriſtianorum præcipui ſunt Apoſtoli, & inter eos, vnus Paulus. Ergo Paulus, iuſtus & ſanctus, vera & ſancta propoſuit. Quòd ſi Chriſtianorum præcipui, mendaces fuerunt; in quibus nam vera eſſe comprobabuntur illa Alchorani verba: Chriſtianos recta incedere, & ſalutem conſequi?

Confirmatur, quia Chriſtiani credunt omnia, quæ Paulus loquutus eſt. Ergo, quæ Paulus dixit, vera ſunt. Conſequentia probatur: Quia falſa credentes, etiam ſecundùm Alchoranum cap. 1 *De Vacca* p. 24. ſunt infideles, damnandi; & non fideles, ſaluandi: Chriſtiani autem ſunt fideles, ſaluandi, vt, locis allegatis, fatetur idem Alchoranus. Ergo, quæ credunt Chriſtiani, non ſunt falſa, ſed vera: credunt autem, ſicut ſemper crediderunt, quæ dixit Paulus. Ergo, quæ Paulus dixit, pariter vera ſunt.

Tertiò, Quia Mahometus in Alchorano, cap. præſertim يونس *De Iona*, & ibi Gloſſæ, vt ſupra dictum eſt, mittit Mahometanos, dubium habentes de veritate ſcripturarum, ad Chriſtianos, vt ab eis veritatem ſciſcitentur, Ergo Chriſtiani, vſque ad illa Mahometi tempora, adhuc veridici erant, & fideles verarum ſcripturarum interpretes. Ergo, ſi Chriſtiani illi veridici erant, qui minores erant Paulo, & Apoſtolis: qui Pauli doctrinam ſuſceperant: quantò magis putandum eſt, veridicum fuiſſe Paulum? Inſuper, & illi Chriſtiani inter ſacras ſcripturas recenſebant, ſicut modo recenſent, Pauli Epiſtolas, vt ſupra probatum eſt, dum de ſacris ſcripturis ageremus, cap. 2. & infra. Ergo, re vera, Pauli Epiſtolæ inter ſacras ſcripturas recenſeri debent. Aliàs enim Chriſtiani illi falſa Mahometanos docere potuiſſent: & ſic Alchoranus non benè Chriſtianos Mahometanis doctores tribuiſſet.

Probatur inſuper, Epiſtolas Pauli inter Canonicas ſcripturas eſſe recenſendas, omnibus auctoritatibus & rationibus, quas ſupra pro ſcripturis, in vniuerſum, adduximus.

Sanctus igitur Paulus, ad Romanos ſcribens, pluribus, ſicut & in alijs Epiſtolis, Chriſti diuinitatem teſtatur: præſertim cap. 9. Sic inquit. *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.*

Epiſtola ad Philippenſes cap. 2. *Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu, qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens.* Quibus in locis, non ſolùm teſtatur, Chriſtum eſſe Deum, ſed etiam ſimul eſſe hominem; vt verba de ſe patent.

Epi-

Epiſtolæ ad Galat. cap. 1. *Notum vobis facio, Euangelium quod prædicatum eſt à me, quia non eſt ſecundùm hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti*. Sic ergo contraponit Apoſtolus Chriſtum puro homini, quia ſcilicet Chriſtus, purus homo non erat, ſed homo Deus.

Verùm fruſtra ex Epiſt. Pauli plura tibi afferuntur teſtimonia, qui in tuo libro fateris, Apoſtolum Paulum, Chriſtum Deum & hominem prædicare. Sufficit hîc tantùm probaſſe, Epiſtolarum Pauli auctoritatem eſſe Diuinam, ſicut & cæterarum Scripturarum. Quòd ſi fateris, Paulum, clariſſimè Chriſtum Deum & hominem aſſerere; debes etiam, Chriſtum Deum & hominem, prout aſſerit Paulus, confiteri.

Alij etiam Apoſtoli, in ſuis epiſtolis, Chriſtum, Deum & hominem confitentur: ſed ne in longiùs ſermonem protrahamus; cùm facilè contextus inſpici poſſint, ſufficiat, vltimò loco, ex 1. Ioann. cap 5. ſeu vlt. auctoritatem deſumere: Dicit ergo hic ſanctus Apoſtolus, ille idem qui Euangelium conſcripſit, in 1. Epiſtola, de Chriſto loquens: *Quis eſt, qui vincit mundum, niſi qui credit quoniam Ieſus eſt Filius Dei?* Et paulò poſt: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres vnum ſunt*. Et poſt pauca: *Qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe*. Et tandem in fine Epiſtolæ: *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, vt cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio eius. Hic eſt verus Deus & vita æterna*. Tam clara ſunt hæc Ioannis Apoſtoli dicta, vt explicatione non indigeant: apertiſſimè enim, hic, Dei Filius verus, & verus Deus appellatur. Ergo, Chriſtus eſt verè Deus, veruſque Dei Filius.

Ex cæteris Noui Teſtamenti libris plura referre, ſuperuacaneum cenſeo: cùm facilè legenti pateat, omnes, Chriſtum Dei Filium, & Chriſtum Deum, clariſſimè prædicare.

SECTIO V.

Ex vtroque ſimul Teſtamento probatur Chriſti Diuinitas.

PRæterea pleraque, quæ in Teſtamento Veteri de Deo verò dicuntur, eadem in Teſtamento Nouo de Chriſto dicta eſſe narrantur. Num.21. num.4. *Tædere cœpit populum itineris ac laboris, locutuſque contra Deum & Moyſen ait*, &c. *Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes*. At Primæ ad Corinthios cap. 10. num. 9. Apoſtolus Paulus, illum ipſum Deum, aſſerit, eſſe Chriſtum, dicens: *Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentauerunt, & à ſerpentibus perierunt.*

Exod.20.dicitur: *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti*. Et Deuter. 32. *Dominus ſolus dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus*. Thadæus verò Apoſtolus in ſua Epiſt. Cathol. ait, Ieſum Chriſtum hunc eductorem de Aegypto fuiſſe; ſic dicens: *Ieſus populum de Aegypto ſaluans; ſecundò eos, qui non crediderunt, perdidit*.

Pſalmo 67. *Currus Dei decem millibus multiplex. Dominus in eis in Sina in Sancto. Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus*. At Apoſtolus Paulus, ad Epheſios ſcribens, capite 4. dicta verba de Chriſto replicat, dicens: *Vnicuique noſtrum data eſt gratia, ſecundùm menſuram donationis Chriſti; propter quod dixit: Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*. Similiter illud Pſalmo 96. *Adorate Deum omnes Angeli eius*. Idem Paulus Chriſto tribuit, ad Hebræos ſcribens, cap. 1. Itidem etiam Chriſto tribuit illud ex Pſalmo 101. *Tu Domine initio terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli*.

Illud Iſaiæ 6. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum; & ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum: Seraphim ſtabant ſuper illud, & clamabant alter ad alterum: Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus Sabaoth, plena eſt omnis terra gloria eius*. Et poſt pauca: *Dixit Dominus ad me: Dic populo huic excæca oculos ipſorum, & cor eorum aggraua*, &c.

Ioan-

Ioannes Euangeliſta in ſuo Euangelio, cap. 12. & in textu Arabico ſect. 29. refert illa eadem verba ex Iſaia, ſic dicens: *Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis ſuis, &c. Hæc dixit Iſaias quando vidit gloriam eius* (ideſt Chriſti, de quo loquitur ibi Euangeliſta) *& locutus eſt de eo*. Vnde Chriſtum dicit illum, cuius gloriam vidit Iſaias, quem Iſaias dicit Dominum. Inſuper idem Ioannes in Apocalypſi, cap. 4. eamdem viſionem Iſaiæ ſe vidiſſe teſtatur; eadem verba repetens: *Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus omnipotens, qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt*. Vbi apertè de Chriſto loquitur: ipſe enim Iudex venturus expectatur, ſicut etiam fatetur Mahomet in Alchorano; & in Sonnat illis verbis:

وينزل عيسى بن مريم الى الارض ويقوم فيها حكيما اذن الله ۞

Ideſt: *Et deſcendet Ieſus, Filius Mariæ, in terram, & ſtabit in ea Iudex, vice Dei*.

Iſaiæ cap. 8. *Dominum exercituum ipſum ſanctificate, ipſe pauor veſter, & ipſe terror veſter, & erit vobis in ſanctificationem: in lapidem autem offenſionis, & petram ſcandali, duabus domibus Iſraël; in laqueum & in ruinam habitantibus Hieruſalem: & offendent plurimi & cadent, & conterentur*. Ad hoc, in Euangelio Lucæ, cap. 2. ſeu ſect. 7. de Chriſto dicitur: *Poſitus eſt hic in ruinam & reſurrectionem multorum*. Et Matth. 21. ſeu ſect. 70. ipſe Chriſtus de ſe dixit: *Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum confringetur, ſuper quem verò ceciderit conteret eum*. Et Paulus ad Romanos 9. de Iudæis, qui in Chriſtum credere noluerunt, talia ſcribit: *Offenderunt enim in lapidem offenſionis, ſicut ſcriptum eſt: Ecce pono in Sion lapidem offenſionis, & petram ſcandali*. Et Petrus Epiſt. 1. cap. 2. idem repetit, de Chriſto, à num. 5. & infra: *Propter quod continet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem ſummum, angularem, electum, pretioſum, & qui crediderit in eum non confundetur: vobis igitur honor credentibus; non credentibus autem lapis, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli, & lapis offenſionis & petra ſcandali*.

Iſaiæ 40. *Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domino, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri*. Hoc omnes Euange-

ge-

geliſtæ teſtantur, de Ioanne Baptiſta, qui Chriſto viam præparauit, eſſe intelligendum, ſicut & ipſi intelligunt. Matth. c. 3. ſeu ſect. 5. Marc. 1. Luc. 1. & Ioann. 1. Ergo Chriſtus eſt ille Deus, cui per Iſaiam præcipitur viam eſſe præparandam, cùm Ioan. Baptiſtæ fuerit illa vox in deſerto clamantis: *Parate viam Domino & ſemitas Deo noſtro*.

Malachiæ 3. Deus hæc loquens inducitur: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam*. Hoc autem ipſemet Chriſtus in Euangelijs, Matth. 11. ſeu ſect. 30. De Ioanne Baptiſta ſuo præcurſore explicat, dicens: *Quid exiſtis in deſertum videre? Prophetam? etiam dico vobis, & pluſquam Prophetam. Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te*. Idem habetur Lucæ ſect. 24. ſeu c. 7. à n. 26. & infra.

Lucæ 1. ſeu ſect. 4. Zacharias, pater Ioannis Baptiſtæ, de ipſo tunc ſibi nato ſic dixit: *Et tu, Puer, Propheta altiſſimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini, parare vias eius*. At Ioannes Baptiſta Chriſto viam præparauit, vt patet in Euangelijs. Ergo Chriſtus eſt Deus.

Iſaiæ 41. num. 4. cap. 44. num. 6. & cap. 48. Deus loquens de ſe talia profert: *Ego ſum Primus & Nouiſſimus*. Et certè proprium Dei eſt, eſſe primum principium & vltimum finem, & ſolus dici poteſt primus & nouiſſimus. At in Apocalypſi Ioann. cap 1. num. 18. Chriſtus ſic loquitur. *Noli timere, ego ſum primus & nouiſſimus, & viuus, & fui mortuus, & ecce ſum viuens in ſæcula ſæculorum, & habeo claues mortis & inferni*.

SE-

SECTIO VI.

Ex Diuinis Nominibus, Attributis, & Operibus, quæ Chriſto in ſacris Scripturis tribuuntur, eius Diuinitas probatur.

PRæterea, in ſacris Scripturis, nomina Dei propria, Chriſto tribuuntur, attributa Diuina, & opera.

Primò, quoad Nomina. Soli Deo abſolutè nomen Dei tribuitur: cùm verò tribuitur alteri, ſemper aliquid explicatiuum additur, quo ſignificatur, ſenſum non eſſe de vero Deo; ſed metaphoricè. Vnde, vel dicitur in plurali numero, vt: *Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes. Non eſt Deus noſter vt Dij eorum. Furatus es Deos meos &c.* Abſolutè autem, & in ſingulari numero, Scriptura, non niſi Deum verum, recenſet nomine Dei. Vnde Irenæus libr. 3. cap. 6. longè ante Mahometi tempora, ſic inquit: *Neque Dominus, neque Spiritus ſanctus, neque Apoſtoli, eum qui non eſſet Deus, definitiuè & abſolutè Deum nominaſſent aliquando; niſi eſſet verus Deus.* Et cap. 8. poſtquam rationibus illud probauerat, hæc ſubiungit: *Soluta igitur & hac illorum calumnia, manifeſtè oſtenſum eſt, quoniam numquam Propheta neque Apoſtoli alium Deum nominauerunt, vel Dominum appellauerunt; præter verum, & ſolum Deum.*

Vnde Irenæus, duo nomina, dicit, ſoli Deo abſolutè in Scripturis eſſe tributa, nomen *Dei* & nomen *Domini*. Ita etiam & Arabes, non ſolùm nomen الله ideſt *Dei*; ſed etiam nomen الربّ ideſt *Domini*, ſoli Deo dicunt eſſe tribuenda: & de Dei nomine certum eſt. De nomine verò الربّ ideſt *Domini*, ſic inquit Author lib. Camus, in dictione رَبّ in principio.

Ideſt:

الرَّبّ بالكلام لا يطلق لغير الله عز وجل ۞

Ideſt: *Hæc dictio* الرَّبّ *in oratione, non dicitur abſolutè de alio, quàm de Deo excelſo*. Idem ſeruat lingua hebrea in dictione יהוה Iehouah. Immo, ita hæc vox Dei propria eſt, vt ineffabile Dei nomen diceretur: quod ſemel in anno, dumtaxat Summo Pontifici, intra Sancta ſanctorum ingreſſo, proferre licebat. Vnde Hebræi, ad hæc vſque tempora, dum illud in lectione occurrit, proferunt eius loco, Adonai. Græcique illud vocant nomen Tetragrammaton, eſtque hoc celeberrimum in Scripturis.

Præterea, nomen *Altiſſimus*, abſolutè, Deo ſoli conuenit. Vnde Dauid Pſalmo 82. *Tu ſolus Altiſſimus in omnia Terra*.

Nomina item, Rex gloriæ, Deus gloriæ, Rex regum, Dominus dominantium, nomina ſunt, quæ ſoli Deo conueniunt.

At hæc omnia in Scripturis Chriſto tribuuntur, abſolutè. Ergo Chriſtus eſt Deus.

Tribuitur Chriſto nomen Dei, abſolutè, Iſaiæ 9. *Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, &c. Et vocabitur nomen eius Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis, &c. Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius, ſedebit, &c.* In Euang. Ioann. cap. 20. ſeu ſect. 44. dicit Chriſto Thomas: *Dominus meus, & Deus meus*. Actor. 20. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo*. Ad Rom. 9. num. 5. *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula*. In Epiſt. 1. Ioannis cap. 3. *In hoc cognouimus charitatem Dei; quia ille pro nobis animam ſuam poſuit*.

Nomen Domini tribuitur Chriſto, Iſaiæ cap. 16. *Emitte Agnum Domine dominatorem terræ*.

Malachiæ 3. *Statim veniet ad Templum ſanctum ſuum dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem, &c.*

Nomen Iehouah tribuitur Chriſto Ieremiæ 23. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit*. Et poſt pauca: *Et hoc eſt nomen*

nomen quod vocabunt eum, Dominus Iuſtus noſter, ſeu Iuſtitia noſtra. Textus Hebræus poſuit hoc loco nomen ineffabile יהוה צדקנו *Iehouah tſidchenu*, ideſt, *Dominus iuſtitia noſtra*. Vbi patet ſermonem eſſe de Meſſia: Similiter Iſaiæ 40. de Meſſia ſermo eſt, & eius Præcurſore, in illis verbis: *Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini*. Textus Hebræus legit: *Parate viam Iehouah*.

Nomen Altiſſimus tribuitur Chriſto pſal. 86. *Homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam Altiſſimus*. Quem locum omnes expoſitores, Hieronymus & Auguſtinus præſertim, de Chriſto intelligunt. Et Zacharias, tantopere commedatus etiam in Alchorano, c. 2. primi libri, de familia Amran, & cap. 1. libri tertij, de Maria, in ſuo Cantico, quod habetur Lucæ 1. ſeu ſect. 4. vocat Chriſtum Altiſſimum; & Dominum: *Tu, puer, Propheta Altiſſimi vocaberis; praibis enim ante faciem Domini parare vias eius*. Et textus Arabicus ibi ponit nomen الرّبّ ſoli Deo abſolutè tribuendum.

Rex gloriæ dicitur Chriſtus pſalmo 33. *Tollite portas Principes veſtras, & introibit Rex gloriæ*. Quem locum Chriſtiani, Chriſtianorumque præcipui, Iuſtinus in Dialogo cum Triphone, Hieronymus in cap. 2. Zachariæ, Ambroſius lib. 4. de fide, Auguſtinus in hunc locum, Gregorius Nyſſenus ſermone in die Aſcenſionis Domini, de Chriſto intelligunt. Apoſtolus Paulus epiſtola 1. ad Corinth. cap. 2. Chriſtum, Regem gloriæ appellat, dicens: *Si cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*. At ſolus Deus eſt gloriæ Rex: Ergo Chriſtus eſt Deus.

Primæ ad Timotheum cap. 6. appellatur Chriſtus, ſolus potens, Rex regum, & Dominus dominantium: & Apoſtolus Ioann. in Apocalypſi cap. 17. de Chriſto ſic loquitur: *Agnus vincet illos, quoniam Rex regum eſt, & Dominus dominantium*. Et cap. 19. num. 16. de eodem Chriſto loquens, quem paulò ante dixerat appellari Verbum Dei, ſubiungit hæc: *Et habet in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum: Rex regum, & Dominus dominantium*. Alius Chriſti Apoſtolus, nomine Iudas Thadæus, in ſua catholica epiſtola, eumdem Chriſtum, ſolum Dominatorem & Dominum, prædicat. At talis titulus ſoli Deo conue-

 nit,

nit; vt de ſe patet. Ergo Chriſtus eſt Deus.

Tribuuntur etiam Chriſto, in ſacris literis, propria Dei epitheta, ſeu Diuina attributa, vt eſt Aeternitas, Prou.8. *Ab æterno ordinata ſum*, & cætera, quæ ibi de Sapientia & Verbo Dei dicuntur. In Prophetia Michææ cap.5. vbi eſt ſermo de loco, in quo naſciturus erat Chriſtus, his verbis: *Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui ſit dominator Iſrael, & egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis*. Hic patet ſermonem eſſe de Chriſto, qui in Bethlehem natus eſt, cique æternitas tribuitur. Ergo non ſolùm homo eſt, ea natiuitate, qua natus eſt in Bethlehem tempore Octauiani Cæſaris, ſed etiam Deus, natiuitate, qua genitus eſt ab æterno; prout hic Propheta loquitur: *Egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis*. Aeternus etiam dicitur Ioan. 1. *In principio erat Verbum*, ideſt, ab æterno. Ioan.8. ſeu ſect. 11. ipſe Chriſtus Iudæis ſuam ſignificauit æternitatem, dicens: *Antequam Abraham fieret, ego ſum*. Et Ioan.17. ſeu ſect. 37. *Dilexiſti me ante mundi conſtitutionem*. &, *Clarifica me tu Pater claritate, quam habui prius quàm mundus eſſet, apud te*. In epiſtolo 1. Ioannis Apoſtoli cap.5. Chriſto etiam æternitas tribuitur his verbis: *Hic eſt verus Deus, & vita æterna*. Ergo Chriſtus æternus eſt. Ergo eſt Deus.

Immenſitas quoque Chriſto tribuitur, Baruch Prophet. 3. *Magnus eſt & non habet finem, excelſus, & immenſus. Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius ad eum*. Deinde, ſignificans, ſe de Verbo Dei incarnando ſermonem facere, ſubiungit: *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt*. Ioan.3. ſeu ſect.7. Chriſti immenſitas, quoad eius Diuinitatem, his verbis oſtenditur: *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, Filius hominis, qui eſt in cælo*. Hæc dixit Chriſtus, dum corpore verſaretur in terris, ad ſignificandum, ſe non ſolùm ibi adeſſe, ſed etiam in cælis: vtique ratione diuinitatis, quæ ſola vbique præſens eſt.

Omnipotentia propriiſſimum Dei attributum, tribuitur Chriſto, Apocalyp. Ioan. Apoſtoli cap. 1. *Ego ſum Alpha, & Omega, principium & finis, dicit Dominus Deus, qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt, omnipotens*. Et cap.4. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt*. Et cap.11. *Gratias tibi Domine Deus omni-*

nipotens, qui es, qui eras, & qui venturus es. Quibus in locis de Chriſto ſermo eſt: aliàs enim non benè, de Patre, omnia illa verba dicuntur: Ipſe enim non poteſt dici venturus: Chriſto autem benè quadrant omnia, quia (quamuis vbique cum Patre præſens Diuinitate) venturus tamen eſt in mundum Iudex, ſecundum humanitatem. Quod iudicium, à Chriſto in fine mundi faciendum, tam celebre eſt, vt Mahometus ipſe non ſit auſus inficiari, ſed non ſolùm in Alchorano cap. 4. & alibi, ſed etiam in lib. Sonnat fatetur, vbi ſic inquit:

وينزل عيسى بن مريم الى الارض ويكون فيها حكيما اذن الله ۞

Ideſt: *Et deſcendet Ieſus, Filius Mariæ, in terram, eritque in ea Iudex, vice Dei.* De hoc ergo, qui venturus eſt, dicitur, quòd ſit omnipotens. Ergo, Chriſtus eſt omnipotens. Ioann. 5. ſibi omnipotentiam communem eſſe cum Patre, ipſemet Chriſtus eiuſmodi ſermone teſtatur: *Quæcumque Pater facit, hæc & Filius ſimiliter facit.* Alchoranus etiam fatetur cap. 2. & cap. 4. Chriſti omnipotentiam, quamuis nolens, referens ibi, Chriſtum aues quoſdam creaſſe, & plura miracula perfeciſſe.

Sapientia, non ſolùm Chriſto tribuitur, quæ propria Dei eſt, vt Ioann. vlt. dixit Chriſto Petrus: *Domine, tu omnia noſti.* Et epiſtola Pauli ad Coloſſ. 2. *In Chriſto ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei.* Verumetiam dicitur ipſamet Sapientia, vt 1. Pauli epiſt. ad Corinth. c. 1. *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam.* Quod ſuprà, dum de ſacroſancta Trinitate ageremus, explicauimus, quomodo intelligendum ſit. Ad illud autem, quod obijcis, ex Matth. 24. ſeu ſect. 79. vbi Chriſtus diem Iudicij dicit neſcire: reſponſum eſt, ſermonem eſſe de Chriſto, quatenus homo eſt, & magiſter hominum: quia ſciebat quidem, non tamen vt doceret: ſic enim expediebat, homines diem Iudicij ignorare; ſic explicat Ambroſ. in c. Luc. 17. Cyrill. lib. 9. Theſaur. cap. 4. & alij.

Bonitas etiam Chriſto tribuitur, Sap. 7. vbi de Sapientia, qui Chriſtus eſt, talia proferuntur: *Nihil inquinatum in eam incurrit: candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula, maieſtatis Dei, & imago bonitatis illius, & cum ſit vna omnia poteſt.*

 Chri-

Chriſtus etiam, Ioann. cap. 8. ſeu ſect. 21. ſuam bonitatem teſtatur, dicens: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Mahometani quoque, Chriſti bonitatem confitentur, & ex Alchorani cap. 2. *De familia Amran*, quatuor poſt initium paginis, peccati labem incurrere minimè potuiſſe, fatentur.

Hæc, & reliqua Dei attributa, in ſacris paginis, Chriſto tribuuntur; ſicut etiam cultus, & adoratio propria Diuinæ maieſtatis, Græcè dicta, Latria. Vnde Paulus Apoſtolus illud pſalmi 95. *Adorate eum omnes Angeli eius*, De Chriſto dictum intelligit, ad Hebræos ſcribens, cap. 1. ſic dicens: *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rurſum: Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in Filium? Et cum iterum introducit primogenitum in Orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Ergo Chriſtus eſt Deus.

Opera Dei propria, Chriſto etiam in Scripturis tribuuntur. Primò, Creatio: de qua nulli dubium eſt, quin ſit opus Dei proprium. Chriſto tamen tribuitur Ioan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt*, ſcilicet per Verbum Dei, de quo ſermo eſt, qui eſt Chriſtus: quod nec ipſemet Alchoranus inficiatur, ſed fatetur cap. 3. *De mulieribus*, versùs finem, vbi ſupra. In epiſtola ad Coloſſ. cap. 1. *Omnia per ipſum creata ſunt*. In epiſtola ad Hebræos cap. 1. de Chriſto ſic dicit idem Apoſt. *Et tu Domine initio terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli*. Prouerb. 8. loquitur Dei Sapientia, quam ſupra oſtendimus, eſſe Chriſtum: *Ante omnes colles parturiebar. Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.*

Conſeruatio non eſt actio à creatione diſtincta, ſed (vt dicunt Theologi) duratio eiuſdem actionis. Vnde ſi proprium Dei eſt creare, Dei proprium eſt & conſeruare. Conſeruatio, etiam à Chriſto eſſe dicitur, in epiſtola ad Hebræos cap. 1. *Qui portat omnia Verbo virtutis ſuæ*. In epiſtola ad Coloſſen. cap. 1. *Omnia in ipſo conſtant*. Vbi Chryſoſt. Homil. 3. ſuper illud caput: *Non dixit, conſeruat, quod craſſius fuiſſet, ſed quod ſubtilius eſt, nempe, quòd omnia in ipſum pendent*. Quibus, conſeruatiua potentia Chriſto tribuitur.

Saluationem ſolius Dei eſſe teſtatur Iſaias cap. 43. Vbi Deus ſic loquitur: *Ego ſum Dominus, & non eſt abſque me ſaluator*. Et cap. 45. *Deus iuſtus, & ſaluans non eſt, præter me*. Oſeæ 13. *Ego ſum Dominus Deus, & ſaluator non eſt, præter me*. At

paſſim in ſacris paginis, Ieſus Chriſtus, Saluator dicitur, Matt. 1. ſeu ſect. 2. *Vocabis nomen eius Ieſum, ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum*. Iſaiæ 35. *Deus ipſe veniet, & ſaluabit nos*, &c. Et Actor. 4. num. 12. Petrus, Apoſtolorum Princeps ſic loquitur de Chriſto: *Non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri*.

Cognoſcere futura, cordium cogitationes intueri, ſolius Dei eſt. Iſaiæ 41. *Annunciate quæ futura ſunt, & ſciemus quia Dij eſtis*. 3. Regum 8. num. 39. *Tu ſolus noſti omnia corda filiorum hominum*. Hierem. 17. *Ego Dominus ſcrutans corda*. Hæc autem, de Chriſto, ipſe quoque fatetur Alchoranus cap. 2. *De familia Amrani*. At, in ſacris paginis Ioan. 14. ſeu ſect. 34. *Hoc dixi vobis priuſquam fiat, vt cùm factum fuerit credatis*. Ioan. 2. ſeu ſect. 6. *Ipſe ſciebat quid eſſet in homine*. Apocalyp. cap. 2. *Scient omnes Eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutans corda, & probans renes*. Et Luc. 5. ſeu ſect. 16. *Quid cogitatis mala in cordibus veſtris?*

Miracula etiam, propria virtute, perpetrare, ſolius Dei eſt, vt pſal. 135. *Facit mirabilia magna ſolus*. Pſalm. 85. *Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus ſolus*. Pſalm. 71. *Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui facit mirabilia ſolus*. Chriſtus autem, propria virtute miracula perpetrabat, dum verſaretur in terris. Marci 4. ſeu ſect. 14. *Dixit mari: tace, obmuteſce: & facta eſt tranquillitas magna*. Et cap. 9. num. 24. ſeu ſect. 29. *Surde & mute ſpiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo: & exijt ab eo*. Matthæi 8. ſeu ſect. 16. ſeruum Centurionis, & Ioan. 4. ſeu ſect. 9. filium Reguli, ſola voluntate ſanauit. In hoc autem animaduertendum eſt: non ideo nos confiteri, Chriſtum Deum eſſe, quia tantùm miracula perpetrauit; quia etiam Prophetæ miracula perpetrauerunt, eiſque perſonalem Deitatem minimè tribuimus. Sed, duplici ratione, ex miraculis Chriſti cogimur, ipſum, Deum fateri: nempe, quia ex modo, quo miracula perpetrabat, conſtat, perpetraſſe propria virtute: Prophetæ autem & Sancti Dei, non ita. Chriſtus namq. propria authoritate præcipiebat, vt ex adnotatis patet, dum diceret: *Ego præcipio tibi*. & *Tace, obmuteſce*, &c. Prophetæ, ſancti nomen Dei inuocantes, vel ipſius Ieſu, vt Petrus, Actorum 3. *In nomine Ieſu Chriſti*, inquit, *Nazareni, ſurge, & ambula*. Et

Moyſes Num. 16. verſ. 30. *Si nouam rem fecerit Dominus, vt aperiens terra os ſuum,*&c. Similiter: Alia ratio eſt, quia Chriſtus, dicens, ſe eſſe Filium Dei, in ſui dicti comprobationem, miracula perpetrabat: vnde dicebat, Ioannis 10. ſeu ſect. 24. *Si mihi non vultis credere, operibus credite*. Et paulò ſupra: *Illa ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me*. Prophetæ autem, & Sancti, numquam, ſe filios Dei, aut Deos eſſe, profeſſi ſunt, miracula perpetrantes. Vnde, quia miraculum eſt Dei conteſtatio: Deus ipſe teſtatus eſt, Chriſtum eſſe Deum, Deique Filium; numquam autem tale de alio quoquam. Et per hæc patet reſponſio ad illud, quod in tuo libro obijcis, de miraculis Chriſti, & aliorum quorumcumque Sanctorum.

CA-

CAPVT II.

Probatur auctoritate Conciliorum, & Sanctorum Patrum, Chriſti Diuinitas.

POſſemus hic quoque, de Chriſti Diuinitate, auctoritates Sanctorum & Conciliorum, ab ipſo Chriſto vſque ad hæc tempora, ſecundùm temporis ſeriem ordinare, prout ſupra de Sacroſancto Trinitatis myſterio ordinauimus; vt euidenter pateat, hanc proceſſiſſe ab ipſo Chriſto doctrinam, & vſque ad hæc tempora, per Apoſtolos, ſanctos Martyres, Patres, Doctores, Religioſos eruditoſque Viros, fuiſſe propagatam, & in ea puritate, quam, à Chriſto emanans per Apoſtolos, obtinebat, fuiſſe ſeruatam. Imò, ſicut ab initio ſæculi fuit à Deo promiſſum, dum diceret ſerpenti: *Semen mulieris conteret caput tuum*: Deinde Sanctis Patriarchis denuò repromiſſum, & in lege per Moyſen denuò declaratum, vbi ſupra. Deinde per ſanctos Prophetas ſæpiſſime prænunciatum: & tandem, Spiritu ſancto cooperante, in vtero Virginis completum, tempore Octauiani Auguſti: ab Apoſtolis vſque ad hanc noſtram tēpeſtatem in Eccleſia Chriſti fuiſſe, fideli mente cuſtoditum. Verùm, quia ijdem Patres ibidem, Chriſti Diuinitatem etiam teſtantur, vbi ſupra adnotatum eſt, Diuinæ Trinitatis myſterium confiteri; propterea prolixitatem nimiam vitantes, ad eoſdem Patres, eademq. loca remittimus hanc etiam probationem; nec plura addimus: cùm ex dictis ſatis clarè conſtet, in vniuerſis Sacræ ſcripturæ paginis, & in omnium ſanctorum Patrum monumentis, Diuinitatis Chriſti celebritas.

CA-

CAPVT III.

Probatur Chriſti Diuinitas, Teſtimonio Sibyllarum, & aliorum.

HIc etiam libet, breuiter adnotare aliquot de Chriſti Diuinitate prophanorum Scriptorum teſtimonia, præcipuè Sibyllarum. Tanti enim momenti erat Dei Incarnatiō, vt Deus, Prophetarum prænunciationes non ſatis eſſe cenſeret, quibus inſtruerentur Hebræi; niſi etiam, per prophetias Sibyllarum, monerentur Gentiles. Propterea quaſdam Virgines, pro temporum & locorum diuerſitate, prophetico imbuit Spiritu; vt omnis ætas, omniſque regio, Dei ſui in carne præſtolaretur aduentum. Dictæ ſunt autem Sibyllæ huiuſmodi feminæ, eo quòd Diuina myſteria anuntiarent: à Græco σιοὺς idest Dij & βουλὴν ſententia, ſeu conſilium. Fuerunt autem clariores, decem. Perſica, quæ in veſtris Perſarum regionibus floruit, ſecunda Lybica, tertia Delphica, quarta Cumæa, quinta Erythræa, ſexta Samia, ſeptima Cumana nomine Amalthea, octaua Helleſpontica, nona Phrygia, decima Tiburtina nomine Albunea.

Sibyllarum teſtimonia citant, Auguſtinus, Lactantius, Clemens Alexandrinus, Iuſtinus, Athenagoras, & alij. Immò & Clemens lib. 6. Stromatum, ante medium, refert, Paulum Apoſtolum ad lectionem Sibyllarum Gentiles fuiſſe hortatū. Nec ſolùm Chriſtiani de Sibyllis mentionem faciunt; verum etiam & ipſi Gentiles: ex quibus Marcus Tullius Cicero, inſignis Orator, & Idolorum cultor; antequam Chriſtus naſceretur, lib. de Aruſp. reſpon. ſic inquit. *Nè hoc quidem in mentem veniebat Sibyllino ſacerdoti.* Aulus Gellius item, lib. 1. cap. 19. De Sibyllis etiam mentionem facit.

Idem Cicero, de quo mox dictum eſt, lib. 2. de Diuinatione, affirmat, ſe vidiſſe carmina Sibyllæ, quæ, initialibus literis, certam ſententiam redderent. Sunt autem hæc, quæ ſola, inter Sibyllina carmina, huius generis reperiuntur.

Fue-

Fuerunt autem, ex Græco in Latinum, ſic ab antiquioribus verſa, prout habentur lib. 8. Sibyllinorum Oraculorum.

I udicij ſignum tellus ſudoribus edet,
E xque Polo veniet Rex, tempus in omne futurus,
S cilicet, vt carnem omnem, vt totum iudicet orbem,
V nde Deum fidi, diffidenteſq. videbunt,
S ummum, cum Sanctis, in ſecli fine, ſedentem:
C orporeorum animas hominum quo iudicet, olim
H orrebit totus, cum denſis vepribus, Orbis.
R eijcient & opes homines, ſimulacraq. cuncta.
E xuretq. ignis terras, cælumq. ſalumq.
I ncendetq. fores anguſti carceris Orci.
S anctorumq. omnis caro libera reddita, lucem
T unc repetet: ſemper cruciabit flamma ſceleſtos.
V tque quis occulte peccauerit, omnia dicet:
S ub lucemq. Deus ſerabit pectora clauſa.
D entes ſtridebunt, crebreſcent vndique luctus:
E t lux deficiet, ſolemq. nitentiaq. aſtra,
I nuoluet cælos, & lunæ ſplendor obibit:
F oſſas attollet, iuga deprimet ardua montis:
I mpedietq. nihil mortales amplius altum:
L onga carina fretum non ſcindet: montibus arua
I pſa æquabuntur: nam fulmine torrida tellus,
V naque & ſicci fontes, & flumina hiabunt.
S idereiſq. ſono triſti tuba clanget ab oris,
S tultorum facinus mœrens, mundiq. dolores.
E t chaos oſtendet, & tartara, terra dehiſcens,
R egeſq. ad ſolium ſiſtentur numinis omnes.
V ndaq. de cælo fluet ignea ſulphure mixto.
A tque omnes homines ſignum præſigne notabis,
T empore eo, lignum, cornu peramabile fidis.
O ppoſitus mundo caſus, ſed vita piorum,
R eſpergendo lauans duodeno fonte vocatos,
C ompeſcetq. prædo ferrata cuſpide gentes.
R ex tibi nunc noſtris deſcriptus in ordine ſummo
V erſibus, hic noſter Deus eſt, noſtræq. ſalutis
C onditor æternus, perpeſſus nomine noſtro,
S incera hunc Moyſes expreſſit brachia tendens,

Ttt *Vt*

Vt fidei vincens Amalech, vt diſceret eſſe
Electum Patri populus, magnoque in honore,
Dauidis virga lapidem in quo conſtitit, in quo
Cui ſua ſpes poſita eſt, is in omnia ſæcula viuet.

Quorum literæ capitales Verſuum, ſi per ordinem legantur, hanc reddunt ſententiam. *Ieſus Chriſtus, Dei Filius, Saluator, Crux*. Vnde, & concluſio carminum ſic ab alijs verſa eſt.

Vnus, & æternus Deus hic Seruator, & idem
Chriſtus pro nobis paſſus, quem carmina ſignant.

Horum carminum meminit Auguſtinus, lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 23. literaſque capitales Græcorum verſuum ſic eſſe diſpoſitas à Sibylla Erythræa, talemque ſenſum facere.

Ιησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτὴρ σταυρός.

Ideſt Latinè, Ieſus Chriſtus, &c. vt ſuprà. Meminit quoque Conſtantinus Magnus, in oratione ad Sanctorum Cœtum, & in ea oratione teſtatur, Ciceronem, egregium illum ſupra memoratum Oratorem, in illa Sibyllæ carmina incidiſſe, eaque in Latinum vertiſſe. Lactantius item, lib. 4. cap. 18. Sibyllinorum carminum quoque mentionem facit. Et Sanctus Auguſtinus vbi ſuprà, & tom. 6. oratione ad Cathecumenos, contra Iudæos, Paganos, & Arianos, poſt medium, ex Lactan. lib. 4. Inſtitut. cap. 6. & 15. & ſequentibus, alia Sibyllarum teſtimonia de Chriſti Diuinitate, Paſſione, &c. refert. Hæc inter cætera. *Ipſa tuum ſtulta Deum non cognouiſti, ſed ſpinea coronaſti corona, horridumque fel miſcuiſti*. Item. *Et dabant Deo alapas*. Libro item 8. Sibyllinorum carminum, fit quoque mentio de Annuntiatione Beatæ Virginis Mariæ.

Accipe, Virgo, Deum gremio, intemerata, pudico.

Et lib. 6. eorumdem carminum, de progenie Dauidica, ex qua Chriſtus oriturus erat.

Cum domus effundet ſtirpem Dauidica, cuius
In manibus totus mundus, tellus, mare, cælum.

Et infra de cæcitate Iudæorum.

Namque Dei, malè ſana, tui te notio fugit.

Et de ligno Crucis.

O Lignum felix, in quo Deus ipſe pependit.

Et de cæcitate Iudæorum, & Baptiſmate Chriſti in Iordane, lib. 7. eorumdem librorum.

Non noſti, miſeranda, tuum, quem proluit olim

In Iordane, Deum.

Varro quoque, vt refert Lactantius lib. 4 Inſtitut. cap. 15. & alij antiquiores, de Sibyllarum carminibus mentionem faciunt; præter eos, quos adnotauimus. Fuit etiam antè Chriſti aduentum celeberrimus inter latinos Poeta, nomine Virgilius, qui Sibyllę Cumęę facit mentionem, Egloca 4. quę Dei aduentum prophetauerat, & Chriſti Natale. Sunt autem huius Poetę eiuſmodi carmina.

Vltima Cumęi venit iam carminis ętas;
Magnus ab integro ſęclorum naſcitur ordo
Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna,
Iam noua progenies cęlo demittitur alto.

Et poſt pauca.

Ille Deum vita accipiet, diuiſque videbit
Permixtos heroas, &c.

Deinde puerum naſciturum alloquens, hęc ſubiungit.

Aggredere, ò, magnos (aderit iam tempus) honores,
Clara Deum ſoboles, magnum Iouis incrementum.

His carminibus, Cumęę Sibyllæ de Chriſto propheciam, Imperatoris filio applicare conatur Virgilius, ad Imperatoris captandam beneuolentiam: & quia idololatra erat, intermiſcet propheticis Sibyllarum teſtimonijs Gentilium ſuperſtitiones, appellans puerum naſciturum, Deorum ſobolem, in numero plurali; Et Iouem, Deum dicens. Vnde patet, ante Chriſti aduentum, legiſſe Cumęę Sibyllę prænuntiationem; ſed, propter fidei defectum, malè intellexiſſe, & ſimiliter applicaſſe.

Pleraque alia, tàm ex Sibyllis, quàm ex aliorum veterum monumentis, poſſemus hic, de Chriſti Diuinitate, exaggerare multorum teſtimonia: ſed cum dicta ſufficiant; plura, breuitatis cauſa, reticemus.

CAPVT IV.

Ex Mahometanorum libris, Christi Diuinitas probatur.

QVia verò, vt inquit Baſilius cap. 29. de Spiritu ſancto ad Amphilochium, *Veritatis vis ſæpè compulit homines etiam ſuis ipſorum dogmatibus contradicere*, ab re non erit; ea, quæ de Chriſto Diuinitatem ſignificantia, propter vim veritatis, in Alchorano Mahomet, quamuis inuitus, compulſus eſt edicere, hic breuiter adnotare.

Primò ergo, cap. *De Vacca*, fatetur, Chriſtum Spiritu ſancto plenè imbutum, ſic dicens:

وَأَتَيْنَا عِيسَى بْنَ مَرْيَمَ الْبَيِّنَاتِ وَأَيَّدْنَاهُ بِرُوحِ الْقُدُسِ ۞

Ideſt: *Et dedimus Ieſu Chriſto, Filio Mariæ, manifeſta miracula, & roborauimus eum Spiritu ſancto*. Deinde capite 2. *De familia Amrani*, aliquanto poſt initium, fatetur, eum ab inſtigatione Diaboli fuiſſe immunem, eiuſque Matrem Virginem: quod etiam repetit cap. *De Maria*. Eodem cap. 2. *De familia Amrani*, fatetur etiam, paulò poſt prædicta, illum iudicaturum Orbem in die Iudicij. Et ante prædicta, ibidem dicit, Chriſtum potuiſſe legi Moyſis derogare, & alia præſcribere.

Deinde cap. 3. *De mulieribus*, verſus finem, fatetur Chriſtum eſſe Verbum Dei, & Spiritum à Deo procedentem, & eſſe etiam hominem: verba Alchorani ſunt hæc:

إِنَّمَا الْمَسِيحُ عِيسَى بْنُ مَرْيَمَ رَسُولُ اللهِ وَكَلِمَتُهُ أَلْقَاهَا إِلَى
مَرْيَمَ وَرُوحٌ مِنْهُ ۞

Ideſt,

Ideſt: *Enimuerò Chriſtus Ieſus, Filius Mariæ, eſt Apoſtolus Dei, & Verbum eius, quod immiſit in Mariam, & eſt Spiritus ex Deo*, ſcilicet, procedens. In hoc quidem verum eſſe, patet, quod inquit Baſilius, & de Mahometo experimento probari; nihil enim ipſe, myſteriorum Chriſtianæ fidei, refugit magis, quàm Chriſti Diuinitatem, & Diuinarum Perſonarum Trinitatem: & tamen (ò magnam veritatis vim) non ſolùm Spiritum ſanctum fatetur; ſed etiam, tam clarè, Chriſtum Dei Verbum eſſe, teſtatur! Nec verbum quocumque modo, ſed ſpirituale, quod aliud non eſt, niſi Diuinæ mentis conceptus: ſed Diuinæ mentis conceptus (vt ſupra explicatum eſt, dum Sacroſanctæ Trinitatis myſterium probaremus) eſt Dei Filius, & ipſamet Diuinitas: quia quidquid in Deo eſt, aliud eſſe non poteſt, niſi Deus. Ergo, qui, Chriſtum Dei Verbum eſſe, fatetur, fatetur etiam, eſſe Deum. Diximus etiã in Tract. de Sacroſancta Trinitate, conceptum Diuinæ mentis, qui & Dei Verbum dicitur, eſſe Filium Dei, vt latiùs probauimus, & explicauimus. Ergo, qui Chriſtum confitetur, eſſe Verbum Dei, confitetur etiam, eſſe Filium Dei.

Sed dicet Mahometanus, Alchoranum negare, Chriſtum eſſe Dei Filium: quamuis dicat, Chriſtum eſſe Dei Verbum. Verùm hoc, inter cæteras illius contradictiones, quibus ſibi non conſtat, & deſtruit quæ priùs aſtruxerat, eſt reponendum: vel certè Alchorani auctor, tamquam pſyttachus loquitur, non intelligens, quæ loqueretur. Dicere namque, Dei Verbum, eſt dicere, Deum: quidquid enim in Deo eſt, & ad Dei intellectionem concurrit, ſiue obiectum, ſiue ſpecies obiectiua, ſiue intellectus, ſiue intellectio, ſiue verbum expreſſum per intellectionem, aliud non eſt, niſi idemmet Deus. Sic omnes Theologi, ſancti Patres, & Doctores, & Philoſophi, cum Ariſtot. 3. *De anima*, & 12. *Metaphyſic.* tex. 39. & tu ipſe in tuo libro fateris. Mahomet autem, non erat, neque Theologus, neque Philoſophus, & propterea neſciens loquebatur: loquutus eſt tamen ſic, quia ſic audierat Chriſtianos loquentes. Errauit tamen in pluribus, partim quia malitioſè deceptionem moliebatur: partim verò (in his, quæ non faciebant ad rem; & ſuum intentum, hoc vel illo modo propoſita, non impediebant) quia audita non benè recordabatur, vel non benè ſuggeſta fuerant. Propterea, plura loca ex ſacra Scriptura ad inuicem permiſcet,

&

& confundit; vt ex collatione ſacrorum Librorum cum Alcho-rano, facilè patet: ex quibus ſupra quædam tetigimus.

Ergo Chriſtus, Dei Filius eſt; non ſolùm homo, ſed etiam Deus, cùm ſit Verbum Dei, fatentibus etiam ipſiſmet Diuinitatis Chriſti inimicis, vi veritatis cogente.

Eamdem Diuinitatem, etiam nolens, confeſſus tamen eſt Author libri Camus, inſignis inter Mahometanos, aſſerens in dictione ولد, verba illa pſalmi 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, eſſe verba Dei omnipotentis, dicta ipſi Chriſto, Filio Mariæ, vt ſupra capite 1. ſect. 1. relatum & explicatum eſt, Ergo, &c.

CA-

CAPVT V.

Quomodo Catholica Fides, Verbi Incarnationem accipiat.

VT autem ea, quæ ab huius myſterij fide tuam mentem retrahunt, facilè ſuperes: attende myſterij explicationem, qua ſola ſuperatis difficultatibus, cedent fidei veritati figmenta hæreticæ vanitatis.

Cùm dicimus, Ieſum Chriſtum Deum, Deique Filium; verum Deum, verumque Dei Filium, intelligentes: non ita dicimus, quaſi ex duabus naturis, in vnum commixtis & confuſis, euaſerit quædam tertia natura, quæ dicatur natura Chriſti: hoc enim Chriſtus non dixit, nec prædicauerunt ſancti ipſius Apoſtoli; ſed fuit falſa Euthychetis adinuentio, circa annum 450.

Nec dicimus, in Chriſto duas eſſe perſonas, ita tamen affectu & voluntate vnitas, vt vnus dicatur Chriſtus: enimverò neque ita dixit Chriſtus, nec prædicauerunt Apoſtoli; fuit vana quædam fictio Neſtorij, circa annum Domini 420.

Nec dicimus, Chriſtum, peculiariter Filium Dei dici, ratione peculiaris dumtaxat Diuinæ gloriæ participationis, & ſingularis cuiuſdam excellentiæ: plus enim quàm hoc de ſe teſtatus eſt Chriſtus, & euangelizauerunt Apoſtoli. Illud verò fuit Ebionis, & Cherinthi adinuentum mendax, circa ipſa Apoſtolorum tempora: illiuſque mendacij fallaciam, adhuc viuens detexit & obiurgauit Ioannes (præter cæteros Chriſti Apoſtolos) vt teſtatur Hieronymus lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

Nec dicimus, Chriſtum Dei Filium apparuiſſe tantùm extrinſecùs hominem, non tamen veram hominis formam aſſumpſiſſe: quia Chriſtus verum ſe hominem præbuit, veramque ſe hominis formam aſſumpſiſſe oſtendit; ſecundùm quam, non ſolùm natus, ſed & fatigatus, & paſſus eſt, & verè mortuus, ſecundùm quam & poſtea reſurrexit. Effinxit autem Manichæus, poſt Apoſtolorum tempora, eiuſmodi errorem, quia putabat, duo fuiſſe rerũ principia, ſpiritualium Deũ, materia-

rialium Diabolum. quia dicebat, materialia & corporalia pleraque praua ſunt: vnde eorum principium, non poteſt dici Deus: & ex eiuſmodi poſitione intulit. Ergo Filius Dei verum corpus aſſumere nequiuit: ſic enim Diaboli figmentum aſſumpſiſſet. Sed Manichæus ita errauit in conſequentia, ſicut errauerat in principio. Tam enim falſum eſt, aſſumptum à Chriſto corpus fuiſſe phantaſticum, quàm etiam falſum, à Diabolo corporea fuiſſe condita.

Nec dicimus, Chriſtum corpus de cælo aſportaſſe, & per Virginis vterum, quaſi per aquæductum, tranſiſſe: Chriſtus enim ſe Filium hominis dixit, ac Filium hominis prædicauerunt Apoſtoli, & carnem non aliunde, ſed ex intemerato Virginis vtero, & de Virginis ſubſtantia, ſibi efformaſſe. Illa autem contra Chriſti & Apoſtolorum prædicationem poſitio, fuit Valentini effictio, poſt Chriſti Diſcipulorum tempora, cui repugnant omnia Diuinarum Scripturarum teſtimonia, Dei Incarnationem aſſerentia.

Nec dicimus, in Chriſto, Dei Filium humanam carnem aſſumpſiſſe, ita vt aliquid Diuinitatis fuerit mutatum in carnem: hoc enim (preterquam quòd eſſe pateat impoſſibile) ſacræ Scripturæ non aſſerunt, ſed potiùs oppoſitum aſtruunt, teſtantes, Deum eſſe immutabilem: nec Chriſtus illud aliquando dixit, nec Apoſtoli prædicauerunt; ſed fuit Apollinaris figmentum, cui ſancti Patres, & Eccleſiæ Doctores, obſtiterunt.

Nec dicimus, Dei Filium, ſolam hominis carnem aſſumpſiſſe, cui loco animæ ineſſet, vt animæ defectum suppleret: ſic enim Chriſtus, verus homo non eſſet; qui per animam rationalem, tamquam per formam, in eſſe hominis homo conſtituitur. Illud que nec Chriſtus aſſeruit, nec Apoſtoli; ſed 300. circiter poſt anno Arius effinxit, quem, in Nicæno Concilio, vniuerſa Chriſti Eccleſia damnauit.

Catholica veritas de Verbi incarnatione.

Sed dicimus, quòd in Chriſto vna tantùm perſona ſit, vna natura Diuina, perfecta, & altera natura quæ eſt humana, etiam perfecta, ex anima rationali & humana carne conſtituta. Et quòd hæ duæ naturæ vnitæ ſunt in Chriſto; non per ſolam inhabitationem, neque accidentali modo, aut alio quoquam: ſed ſecundùm vnam hypoſtaſim, & ſuppoſitum vnum. Hoc enim dumtaxat modo ſaluari poſſunt, quæ in Scripturis circa Incarnationem traduntur. Dicit enim Scriptura indiſtinctè

de

de Chriſto, tàm ea, quæ ſunt propria Dei, quàm ea, quæ ſunt propria hominis, vt facilè patet conſideranti. Dicit enim aliquando Chriſtus in Euangelio, *Filius Dei ſum. Ego & Pater vnum ſumus. Ego à Deo proceſſi.* Et aliàs, *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Et, *Filius hominis tradetur, & crucifigetur, & die tertia reſurget.* Et paſſim in Euangelio illi homini tribuuntur diuina; & Deo ipſi tribuuntur humana. Oportet igitur vnum & eumdem eſſe, de quo vtraq. dicantur.

Oppoſita, de eodē dici nequeunt, ſecūdùm eamdem rationem.

Sed, quia oppoſita de eodem, ſecundùm idem, dici verè non poſſunt (vt bene aſſeris in tuo libro) diuina autem & humana, quæ de Chriſto dicuntur, oppoſitionem habent; vtpotè eſſe paſſum & impaſſibilem, mortuum & immortalem, & cætera huiuſmodi: neceſſe eſt, quod ſecundum aliud & aliud, diuina & humana ſimul de Chriſto prædicentur. Vnde, quantùm ad id de quo prædicātur oppoſita, non eſt diſtinctio facienda; ſed requiritur vnitas, ad ſaluandas de eodem ſubiecto diuerſas Scripturarum prædicationes. quantùm autem ad id, ſecundùm quod oppoſita prædicantur, neceſſariò diſtinctio eſt facienda; quia ſecundùm idem non poſſunt alicui oppoſita conuenire: & prædicationes quidem dicuntur de ſubiecto, de hypoſtaſi, de ſubſiſtētia, ſeu de perſona: dicuntur autem & prædicantur naturales proprietates de vnoquoque, ſecundùm eius naturam: ſicut, exempli gratia, de hoc lapide deorſum ferri, ratione ſuæ naturalis grauitatis: de hoc homine ratiocinari, quia natura eſt animal rationis particeps, &c. Itaq. de ſubiecto dicitur prædicatum; ſed ratione ſuæ naturæ, ſecundùm rationem naturæ. Cum ergo de vno eodemque Chriſto oppoſita prædicantur, neceſſe eſt, id, de quo prædicantur eſſe vnum: illud verò, ſecundùm quod prædicantur, eſſe duplex. Erit igitur in Chriſto vna hypoſtaſis, ſeu vnum ſuppoſitum, ſeu vna perſona, de qua fit prædicatio: duplex autem natura, ſecūdùm quam, ſeu, ratione cuius fit prędicatio: Prædicantur de Chriſto humana & diuina. Ergo, in vna Chriſti perſona, ſubſiſtit, non ſolùm humana natura, ſed etiam natura diuina.

Compoſitum ex materia & forma.

Cum igitur, rerum compoſitio multipliciter accidat: fit enim compoſitum per vnionem materiæ & formæ, ex qua fit corpus, ſubſtantiale compoſitum: in quo, materia informatur, & forma recipitur; cumque ſint compartes, ad inuicem ordinatæ ad corporis conſtitutionem, per talem vnionem vtraque perficitur,

cùm quælibet per ſe ſit eſſentialiter pars,& non totum, incompletum quid,& non completum.

Mixtum compoſitum ex elementis. Alia compoſitio contingit fieri,plurium in ſe completorum; vt miſcibilium in mixto: exempli gratia; in latere,ignis, aqua, terra, commixta ſimul,componunt laterem: & quidem ante compoſitionem, quodlibet illorum trium erat in ſuo eſſe completum, compoſitum ex materia & propria forma; erat ignis, aqua,terra:poſt commixtionem verò, fit alia ſubſtantia; nec remanet formaliter ignis, nec aqua, neque terra.

Compoſitum accidentale. Tertiò,fit aliquod compoſitum accidentale,ex vnione accidentis cum ſubiecto: exempli gratia: paries per inhærentiam albedinis fit albus.

Compoſitum ex natura,& ſubſiſtentia. Præterea, alia datur vnio, inter naturam & ſuam ſubſiſtentiam; vnio quidem ſubſtantialis, qua completur natura in genere ſubſtantiæ, & fit vnum ſubſiſtens in ſe,ab omni alio diſtinctum. Supra enim in Tractatu de Trinitate ſuppoſuimus ex Ariſtot. 5. Metaphyſ. tex. 12. diſtinctionem eſſe, inter naturam & ſubſiſtentiam. Dicit enim ibi Philoſophus, *Subſtantiam dici dupliciter,Vno modo de eo quod quid eſt*; ſcilicet de eſſentia, ſeu natura: *Alio modo de ſubiecto ipſo ſubſtantia*; ſcilicet de ſubſiſtentia, ſeu hypoſtaſi; quæ,dum ad rationalem naturam pertinet, dicitur quoque perſonalitas: & ex vnione perſonalitatis cum ſua rationali natura,fit completa perſona.

His igitur poſitis, Vnio Filij Dei cum natura humana, non eſt facta eo modo, vt pertineat ad primi generis compoſitionem; quaſi ſcilicet vna natura ſubierit vices materiæ, & altera ſuppleuerit vicem formæ; quia neutra natura eſt incompleta,ſicut materia, vel ſicut forma: quia natura humana Chriſti fuit perfecta natura,non ſolum corpus,non ſola anima; ſed anima vnita corpori. Vnde non potuit, tamquam pars naturæ alicuius, concurrere ad componendum vnam quamdam naturam,quia de ſe erat completa natura. Similiter nec Diuinitas, quæ non poteſt eſſe incompleta.

Nec poteſt compoſitio facta in Chriſto pertinere ad ſecundum genus compoſitionis: vt confunduntur miſcibilia in mixto, in qua compoſitione plures ſubſtantiæ completæ concurrunt, & ex eorum commixtione fit alia ſubſtantia: quia ad huiuſmodi compoſitionem, ea, quæ miſcentur, neceſſariò corrumpuntur & deſinunt eſſe quod prius erant: ſicut in latere,

non

non remanet formaliter, nec aqua, nec terra, nec ignis: ſed fit alia quædam ſubſtantia, ſcilicet lateris. In Chriſto autem non poteſt diuina & humana natura ſic commiſceri; quia ad huiuſmodi commixtionem, mutatio commixti requiritur: diuina autem natura immutabilis, & incorruptibilis eſt. Vnde non potuit tali modo commiſceri & corrumpi. Immo & in ſacris Scripturis patet, in Chriſto formaliter eſſe vtramque naturam, tam diuinam, quàm humanam. Diuinam, Apoſt. ad Philippenſes 2. *Cum in forma Dei eſſet.* Humanam, *Formam ſerui accipiens, &c.* paſſim in Scripturis. Ergo duæ naturæ non fuerunt tali modo commixtæ, quia ſic Chriſtus non fuiſſet verus Deus, neque verus homo, ſed vnum quid tertium ex commixtis reſultans. Eſſentia enim rei, ſeu natura, vt inquit Philoſophus, 8. Metaphyſ. texto 10. conſiſtit in indiuiſibili; ita vt, ſi minimum quid addatur aut detrahatur, omnino pereat, & in aliam mutetur.

Nec poteſt dici facta compoſitio, tamquam ex accidente cū ſubiecto; quia neutra natura eſt accidens, ſed vtraque eſt ſubſtantia. Nec certè dici poteſt, fuiſſe vnitas accidentaliter; ad eū modum, quo vna ſubſtantia alteri applicatur, vt inuicem adhæreant, ad eum modum quo indumentum corpori; quia hoc repugnat diuinis Scripturarum teſtimonijs, quæ ſubſtantialem vnionem aſtruunt. Dicunt enim, quòd Verbum Dei caro ſit factum. Ad quod non ſufficit vnio per accidens, ſeu vnio accidentalis. Nec enim corpus, eo quòd veſtimento vniatur, ſeu veſtimentum induat, dicitur fieri veſtimentum: nec per hoc, quòd dominus domum inhabitat, ſeu parieti adhæreat, dicitur fieri domus, vel paries. Verbum autem Dei in ſacris Scripturis dicitur caro factum; & Ioannis primo: *Verbum caro factum eſt.* dicitur homo, & filius hominis; quæ prædicatio vera non eſſet, ſi vnio ſubſtantialis non intercederet.

Reliquum eſt igitur, vt naturam diuinam & humanam vnitas confiteamur in ſubſiſtentia, in hypoſtaſi; ſeu perſona. Quam vnionem omnes ſancti Patres, & Eccleſiæ Doctores, ſuprà memorati, & omnis Chriſti Eccleſia, ſic explicant. *Natura diuina & humana in Chriſto vnita, in perſona.*

Omnis natura, in inſtanti ſuæ productionis, nata eſt illico habere ſuam propriam ſubſiſtentiam, ita vt fiat ſubſtantia completa, in ſe ſubſiſtens; non ſolùm in genere naturæ, ſeu talis

eſſentiæ, quòd habbet ex ſe, præciſa etiam ſubſiſtentia; ſed completa in genere ſubſtantiæ, cuius vltimum complementum eſt ſubſiſtere. Natura autem humana Christi, in inſtanti ſuæ conceptionis, quando connaturalem ſibi ſubſiſtentiam habitura erat, illam non habuit; ſed, loco illius, ſubintrauit ſubſiſtentia Verbi; ita vt illius humanitatis ſubſiſtentia, non ſit ſubſiſtentia humana, ſed ſubſiſtentia Diuina, ſupplens vicem propriæ ſubſiſtentiæ: & ità natura humana ſubſiſtit ſubſiſtentia Diuina. Vnde Diuina natura vnita eſt humanæ, mediante ſubſiſtentia Verbi: immediatè autem ſola ſubſiſtentia dicitur vnita; quia talis vnio, ſecundùm ſubſiſtentiæ rationem, facta eſt; non ſecundùm rationem naturæ.

Vnio autem ſubiectata eſt in humanitate, in anima, & in corpore Chriſti; terminata ad Verbum: ſicut inquit Philoſophus, vnionem, inter animam rationalem & corpus intercedentem, non ſubiectari in anima, ſed in corpore; terminari verò ad ipſam animam.

Hinc ſequitur, quamuis Filius ſit idem cum Patre & Spiritu ſancto, quoad naturam; non propterea, incarnato Filio, fuiſſe incarnatos etiam Patrem & Spiritum ſanctum. Vnio enim cum humanitate non eſt facta immediatè cum natura Diuina; cùm non ſit facta ſecundùm rationem naturæ. Sed facta eſt immediatè cum Verbo, ſeu Perſona, & ſecundùm rationem hypoſtaſis; in qua, Filius eſt realiter diſtinctus, tam à Patre, quàm à Spiritu ſancto. Et ideo ſolus Filius dicitur incarnatus: ſicut & deſcendiſſe de cælis: non quaſi eſſe ibi deſijſſet, aut de nouo cæpiſſet eſſe in terris, cùm Deus ſemper vbique adſit: ſed, propter vnionem ad inferiorem naturam. Quando verò dicitur de Chriſto, ad cælos aſcendiſſe: intelligendum eſt, de humana natura; nam Diuina, cùm ſit immenſa, nequit loco moueri. Sed hoc obiter dictum eſt; ad propoſitam à te ſoluendam difficultatem.

Hinc etiam patet, benè procedere omnes Scripturæ prædicationes de Chriſto: ſicut enim quando vna quædam peculiaris perſona eſt homo, ſeu habet naturam humanam, habet albedinem, habet philoſophiam, habet muſicam, habet architecturam, & multa alia inter ſe diſparata; ex eo quia in hypoſtaſi, ſeu in eadem perſona, conueniunt; poſſunt ad inuicem prædicari; ita vt verè dici poſſit; hic muſicus eſt architectus, hic mu-

ſicus eſt philoſophus, hic muſicus eſt homo, hic muſicus eſt albus. Seu mutando ſubiectum: Hic albus, ſeu hoc album, eſt homo; hic albus eſt muſicus, &c. ad libitum variando ſubiectum & prædicatum. Hoc autem ideo verum eſt, quia eidem inſunt perſonæ. Pari ratione, quia natura humana eadem ſubſiſtentia Verbi ſubſiſtit, qua ſubſiſtit etiam Diuina natura; quamuis ſint diuerſæ, & alia & alia natura; poſſunt tamen, ratione conuenientiæ in eadem perſona, quæ ſunt propria alterius de altero in concreto prædicari, ita vt verè dicatur, hic homo eſt Deus, hic homo eſt Filius Dei; & è contra: Deus eſt homo, Deus natus eſt de Virgine, Deus paſſus eſt, Deus mortuus eſt, Deus reſurrexit, &c. Explicatio autem, & reſolutio propoſitionum, euidentiorem reddit huius prædicationis veritatem: dicere enim, Deus mortuus eſt, eſt idem ac dicere: Is qui habet Diuinitatem mortuus eſt. Et dicere: homo eſt Deus, eſt idem ac dicere: id quod habet humanitatem, habet Diuinitatem; ſeu: Is qui habet humanitatem eſt Deus. Vnde in recto ſemper importatur eadem hypoſtaſis, & eadem ſubſiſtentia, ſeu perſonalitas; in obliquo autem, alterutra naturarum, ſecundùm quas prædicata diuerſa tribuuntur perſonæ: ratione illa vulgata; quia actiones & paſſiones ſuppoſito tribuuntur, non naturæ: quamuis ſuppoſito, non ratione ſui, conueniat, ſed ratione naturæ. Sic, exempli gratia, dum Petrus ridet: riſus quidem Petro non conuenit, quia Petrus eſt; ſed conuenit, quia homo eſt, ratione humanæ naturæ, quæ riſibilis eſt: Non eſt enim riſibilis perſonalitas, vt ſic, præſcindendo ab humana natura. Et tamen non dicimus, natura humana Petri ridet; ſed dicimus, Petrus ridet, ſeu, hic homo ridet: nẽpe, quia actiones, quæ ratione naturæ ſuppoſito conueniunt, de ſuppoſito præcipuè dicuntur; & id quod agere vel pati in caſu recto dicitur, eſt ſuppoſitum; Natura autem non in recto dicitur agere vel pati, ſed in obliquo, dicimus: Qua, vel ſecundùm quam, actio fit vel paſſio. Sic ergo, cum eadem Verbi ſubſiſtentia terminet, non ſolum naturam Diuinam, ſed etiã naturam humanam, & ſit pariter vtriuſque ſubſiſtentia; poſſunt de eadem indifferenter prædicari, tam humana, quàm Diuina: tàm ea, quæ conueniunt perſonæ, ratione vnius, quàm quę conueniunt, ratione alterius naturæ.

Poſita eiuſmodi vnione, omnia benè ſaluantur (vt explicatum eſt) quæ de Chriſto dicuntur in ſcripturis: Et nullum ſequitur inconueniens, aut implicantia, prout ſequitur ex quacumque alia hæreticorum poſitione. Non impoſſibilis eſt talis vnio, ſicut impoſſibilis eſt vnio, quam ponebat Eutyches confundendo naturas, quarum altera omnino incorruptibilis eſt; quia nos ponimus vnionem inter naturam humanam & ſubſiſtentiam Verbi, quæ non facit naturarum confuſionem, quamuis faciat naturas in eadem ſubſiſtentia conuenire. Nec ponimus Diuinitatem eſſe veluti formam ſeu animam corporis humani, vel mentem ſeu Spiritum animæ Chriſti, prout effingebant Arrius, & Apollinaris. Vnde ſequitur inconueniens ex duplici capite, tàm ex parte Diuinitatis, quàm ex parte humanitatis. Ex parte Diuinitatis; quia ponunt Diuinitatem eſſe corporis formam, & eſſe veluti partem incompletam. Ex parte humanitatis, quia ponunt humanitatem imperfectam; ſi humanitas dici poteſt, ſine anima rationali conſtituta; & quamuis maiorem mentem, & rationem perfectiorem, loco rationalis animæ, ponant, non propterea ponunt veram humanitatem, quæ ſine anima rationali eſſe non poteſt; & poſitio mentis, vel Angelicæ, vel Diuinæ, loco animæ rationalis, non facit perfectiorem hominem, ſed, ſi daretur talis ſubſtitutio, faceret alterius ſpeciei perfectiorem ſubſtantiam.

Sic, diſcurrendo per ſingulas omnium hæreticorum poſitiones, tàm de facto effictas, quam etiam effingibiles, ſemper ſequitur aliquod inconueniens contra ſcripturas, vel ex parte Diuinitatis, vel ex parte humanitatis. Nihil autem tale ſequitur ex catholica Eccleſiæ Chriſti poſitione.

Primò enim non inuoluit contradictionem, nec ſequitur inconueniens, ex parte Dei. Quia talis contradictio ſeu repugnantia eſſet, vel ratione Diuinæ ſimplicitatis, vel ratione Diuinæ immutabilitatis.

Vnio hypoſtatica non repugnat Diuinæ ſimplicitati.

Non eſt repugnantia, ratione ſimplicitatis, quia per hanc vnionem non eſt facta in Deo compoſitio: quamuis enim factus ſit exindè Chriſtus compoſitus, ex natura humana & Verbo; non, per hoc, compoſitum euaſit ipſum Verbum. Sic exempli gratia, homo componitur ex corpore & anima, fit quidem homo compoſitus, conſtans ex duabus compartibus materia & forma; at nemo dixerit, per eam compoſitionem

fieri

fieri compoſitam ipſam formam; quæ quidem eſt componens, non tamen compoſita. Sic etiam in continuo ſunt puncta indiuiſibilia, quę non ideo dicentur à quoquam compoſita, ſeu diuiſibilia, per hoc, quod concurrant ad componendum continuum diuiſibile. Ita, Verbum quidem concurrit ad componendum Chriſtum: non tamen per hoc euadit ipſum Verbum compoſitum.

Nō repugnat Diuinæ immutabilitati.

Nec eſt repugnantia, ratione Diuinæ immutabilitatis, quia nulla, per talem vnionem, intrinſeca facta eſt in Deo mutatio. Et quamuis modò dicatur humanę naturę vnitus, incarnatus, factus homo, quod prius non erat; non per hoc ſequitur, quòd ſit mutatus: ſicut enim poſt mundi creationem Deus eſt actu creaturarum conſeruator, quod prius non erat; & non per hoc dicitur Deus, per creationem aut conſeruationem, mutatus: Nam denominatio iſta de nouo adueniens, non oritur ex mutatione aliqua ipſi Deo intrinſeca; ſed ex mutatione facta in creaturis: Ex eo enim quod creaturę obtinent exiſtentiam à Deo, tanquam à cauſa efficiente, denominatur Deus actu creator vel conſeruator, quod patet ex philoſoph. non importare mutationem in cauſa, ſed tantùm in effectu.

Ita etiam in caſu noſtro, eſt Deus modò naturæ humanæ vnitus, & dicitur vnitus, quod prius non erat, nec dici poterat, ante vnionem; & tamen non eſt mutatus: quia talis denominatio in Deo non importat aliud, niſi terminationem vnionis hypoſtaticę, receptę in Chriſti humanitate, terminatæ verò ad Verbum: eiuſmodi autem vnio non facit mutationem niſi in humanitate, in qua recipitur; non autem in Verbo ad quod terminatur. Terminatio namque vnionis, vt ſic, non importat de ſe mutationem in terminante: nam vnio eſt quædam relatio inter extrema vnita; patet autem apud philoſophos, poſſe dare terminationem relationis abſque termini mutatione: exempli gratia, cum fit aliquid alteri ſimile, paries niger fit albus, & per hoc fit ſimilis alteri parieti albo; paries, qui erat ab initio albus, abſque vlla ſui mutatione, acquirit relationem ſimilitudinis, per mutationem tantùm alterius, & non requiritur mutatio vtriuſque, ſufficit enim mutatio vnius tãtùm parietis in quo ſimilitudinis relatio ſubiectatur, ſine mutatione alterius parietis ad quem relatio terminatur.

Sic ergo ſufficit mutatio facta in humanitate, in qua recipitur

pitur vnio, ad hoc vt Verbum, terminās vnionē, ſit verè vnitus, & vnitus dicatur (cū prius non eſſet, nec vnitus dici poſſet) ſine vlla ſui mutatione. Vnde, de nouo dicitur vnitus, non per mutationem ſui, ſed per mutationem factam in humanitate: ſicut poſt creationem dicitur conſeruator, cum prius non diceretur, per mutationem factam, dumtaxat in creaturis.

Terminatio vnionis, vt ſic non importat intrinſecam mutationē in terminante.

Quòd ſi quis inſiſtat, terminationem vnionis etiam importare mutationem in terminante; nam attingit non ſolùm ſubſtantiam partis recipientis, ſed etiam attingit intrinſecè ſubſtantiam terminantis: alids enim non poſſet dici intrinſecè vniri. Poſſet autem exemplum adducere de anima rationali, quæ non recipit vnionem, per quam corpori vnitur, ſed tantùm terminat; & tamen nemo dixerit, animam rationalem per talem vnionem non mutari intrinſecè: ipſa enim anima per talem vnionem intrinſecè perficitur, quia ſine tali vnione eſt pars incompleta, eſt forma ſine materia, eſſentialiter ordinata ad hominis conſtitutionem ſimul cum corpore. Carentia autem talis ſtatus in anima eſt imperfectio, quia eſt extra ſtatum, quem naturaliter exigit. Ergo adeptio talis ſtatus, eſt perfectio: hoc autem obtinet anima per terminationem vnionis. Ergo terminatio vnionis importat mutationem.

Ad huius difficultatis explicationem, præcognoſcendum eſt, quid ſit intrinſecè mutari, quid importet mutatio intrinſeca: ex hoc enim ſtatim apparebit, an Verbum, mutatum intrinſecè dici poſſit, necne. Eſt autem mutatio proceſſus de vno ad aliud, ſeu à termino à quo ad terminum ad quem, in ſubiecto, ſiue ſit à priuatione ad formam, ſiue à forma ad priuationem. Hæc dicitur corruptio: & illa, dum de ſubſtantiali forma eſt, dicitur generatio: cùm autem de accidentali, dicitur alteratio. Sic omnes Philoſophi, & Theologi, de mutatione philoſophantur.

His præcognitis, ſtatim patet, per talem vnionis hypoſtaticæ terminationem, nullam ſequi in Verbo intrinſecam mutationem: ipſum enim Verbum non tranſit de priuatione ad aliquam formam ſubiectiuè, nec de forma ad priuationem, nec accidentalem, nec ſubſtantialem: nam Verbum, nihil recipit, nullius formæ, aut priuationis, ſit ſubiectum; nihil perdit, nihil intrinſecè acquirit. Ergo nulla ratione poteſt dici mutatum. Et quamuis ſit intrinſecè vnitum, non tamen eſt per intrinſecam

eam mutationem: mutatio enim, vt explicatum eſt, in ſubiecto eſt. Vnio ergo mutationem importat in parte, qua recipitur: in ea enim facit tranſitum de vno in aliud; non verò in eo, ad quod tantùm terminatur. Poteſt autem vnio, duo intrinſecè vnire, facta tantùm mutatione in vno, non in vtroque; quia talis eſt natura vnionis, reſpicit duplicem terminum, cùm ſit vna, diuerſo modo; vnum tamquam ſubiectum, in quo recipiatur, & alterum tamquam extremum, ad quod terminetur. Et, ex natura ſua, vtrumque vnit intrinſecè: eſt enim duorum vnio: intrinſecam autem mutationem (vt explicatum eſt) non importat, niſi in ſubiecto. Sic ergo vnio hypoſtatica intrinſecè vnit, tàm Verbum, quàm naturam humanam, ad inuicem; mutationem autem non importat, niſi in ſola natura humana, in qua recipitur: Diuinam verò naturam, ſeu Diuinum Verbum, ad quod terminatur, vnit quidem intrinſecè, ſed non intrinſecè mutat.

Exemplum autem, de anima rationali, non eſt ſimile; quia anima rationalis non eſt ens completum, ſed eſt eſſentialiter pars. Vnde, cùm actu facit eam compoſitionem, ad quam eſſentialiter ordinatur, habet illam perfectionem, ad quam erat in potentia: & cùm talis potentia intrinſeca ſit, non poteſt negari, quòd illius actus non præbeat illi intrinſecam perfectionem. Igitur mutatio in anima rationali, non eſt ratione terminationis, vt ſic abſolutè; ſed quia per talem terminationem informat, & conſequitur actu ſtatum ſui complementi, ad quem eſſentialiter ordinatur; & redditur ſubſiſtens, vt quòd; cùm alias, ſeparata à corpore, tantùm dicatur ſubſiſtere, vt quo. Vnde, poſitò caſu, quòd anima rationalis terminaret aliquam vnionem, & non componeret hominem, ſeu non aſſequeretur ſtatum illum; tunc intrinſecè vniretur, & non mutaretur, cùm nec perficeretur. Verbum igitur non eſt, ſicut anima rationalis, ens incompletum, ſed eſt per ſe completiſſimum. Non informat corpus nec animam, neque ordinatur eſſentialiter ad illam vnionem, ſed tantùm intrinſecè terminat illam. Nec per illam fit ſubſiſtens, ſed potius communicat ſui ſubſiſtentiam, vt ſuprà dictum eſt. Vnde per illam quamuis intrinſecè vniatur, non tamen perficitur, nec mutatur.

Non ergo eſt repugnantia, ratione Diuinæ ſimplicitatis, quia per vnionem hypoſtaticam Deus non fit compoſitus. Nec ratione Diuinæ immutabilitatis, quia per vnionem hypoſtaticam Deus non mutatur intrinſecè, cùm omnis mutatio fiat in natura dumtaxat humana. Nec poteſt aliqua repugnantia aſſignari, ratione alicuius Diuinæ perfectionis. Ergo nulla repugnantia eſt ex parte Dei. Patet enim ex dictis reſponſio etiam ad illud, quod in tuo libro adducis in contrarium: Quia, poſito quòd natura humana per ſubſiſtentiam Verbi ſubſiſtat, non Verbum à natura humana, ſed natura humana ab ipſo Verbo dependet; nam Verbum non eſt modus naturæ humanæ, prout ſunt creatæ ſubſiſtentiæ.

Vnio hypoſtatica, nec repugnat ex parte naturæ aſſumpta.

Nec aſſignari poteſt repugnantia ex parte naturæ aſſumptæ. Si qua enim eſſet, alia eſſe non poſſet; niſi quia natura completa non poſſet carere propria ſubſiſtentia; nam poſita ſubſtantia completa, poni neceſſe eſt etiam ſubſiſtentiã, quæ nihil aliud eſſe videtur, niſi ipſamet ſubſtantia, in ſe exiſtens, & non in alio: hoc autem exiſtere in ſe, non videtur dicere aliquid diſtinctum ab ipſamet natura exiſtente. Ergo impoſſibile eſt, vt exiſtat, & non ſubſiſtat in ſe. Ergo non poteſt ſubſiſtere aliena ſubſiſtentia.

Subſiſtentia naturæ creata eſt diſtincta rea iter ab eius exiſtentia.

Hæc autem difficultas ſoluta eſt ex dictis, vbi oſtendimus, ſubſiſtentiam non eſſe idem ac exiſtentiam naturæ, ſed eſſe modum diſtinctum, quo, præter actualitatem ſuam, ſeu exiſtere ſuum à parte rei, habet natura, vt ſubſiſtat in ſe: præſcindendo namq. à ſubſiſtentia, natura exiſtens eſt natura determinata, ſingularis, & non vniuerſalis, hæc, & non illa; ſed eſt indifferens ad ſubſiſtendum in ſe, vel in alio; vt ſubſiſtat in hoc, vel in illo ſuppoſito. Hoc autem probatum eſt ſupra, ex Ariſtotele 5. Metaphyſ. Et quamuis fortaſſe Ariſtoteles non fuerit loquutus, niſi de diſtinctione formali, inter naturam & ſubſiſtentiam: nihilominus, ex hoc ſacroſancto Diuinæ Incarnationis myſterio, tenue noſtræ mentis lumen, Diuinæ reuelationis fulgore adauctum, inter naturam & ſubſiſtentiam, non ſolùm formalem, ſed etiam diſtinctionem realem eſſe perſpexit; quam, ante Incarnationis myſterium, ſolo naturæ lumine, mirum non eſt, ſi nemo agnouerit; quia numquam viſum eſt antea, ſubſtantiam aliquam propria ſubſiſtentia caruiſſe, perſonali vnione à Deo aſſumptam. Præterea, non eſt nouum

apud eruditos viros, ad plura ſe extendere Diuinã omnipotentiã, quæ infinitæ virtutis eſt, quàm finitum ac debile humani intellectus acumen. Propterea, dum Diuina adeſt auctoritas, inclinanda eſt noſtrę mentis credulitas, & in Dei obſequium captiuandus noſtræ intelligentiæ aſſenſus: præcipuè, cum de abſconditis agitur, quæ nequeat ſola naturalis perſpicacitas penetrare. At circa ſubſiſtentiæ diſtinctionem à natura, etiam naturalis hominis diſcurſus agnouit aliquid, quamuis non potuerit attingere totum: agnouit certè diſtinctionem formalem, quamuis fortaſſe non attigerit diſtinctionem realem; vt patet ex præallegato Ariſtotelis loco 5. Metaphyſic. Vnde, Diuina auctoritas reuelans, humanam Chriſti naturam non ſubſiſtere humana ſubſiſtentia, ſed ſubſiſtentia Verbi; oſtendit quidem humanæ rationis defectum in rerum inueſtigatione, non tamen illi opponitur; ſed potiùs fauet; dum humanam rationem, procedentem ſaltem vſque ad diſtinctionem formalem, tamquam in itinere medio deficientem, roborat, & perducit vſque ad vltimum veritatis terminum, nempe, diſtinctionem realem. Itaque naturalis ratio dat in hac re, veluti quoddam fidei initium, aſſerens ſaltem diſtinctionem formalem, inter quæ ponit fides etiam diſtinctionem realem. Poſita autem reali diſtinctione, non eſt impoſſibile Deo, vnum ab altero ſeparare: poterit ergo Diuina omnipotentia, naturam à propria ſubſiſtentia diuidere; & qui intimè adeſt omnibus, & auctor eſt omnium, poterit, propriâ ſubſiſtentia, creatæ ſubſiſtentiæ defectum ſupplere: qui omnem defectum cuiuſcumque cauſæ creatæ, ſecundùm Philoſophos, & Theologos omnes, ſupplere poteſt.

Nec poteſt aliqua alia ex parte aſſignari repugnantia, qua ab Incarnationis myſterio præpedita dici poſſit Diuina omnipotentia. Ergo, ipſius auctoritate teſtante, non eſt retrahendus, aut ſuſpendendus, ſed inclinandus aſſenſus. Credendum igitur, quòd Chriſtus etiam Deus eſt, & non dumtaxat homo. Ergo, Chriſti ſubſiſtentia Diuina, ſubſiſtit etiam eius natura humana. Eſt vnus perſonâ, duplicem habens naturam, perfectam humanam, perfectè quoque Diuinam. Habet duo Diuina, ſcilicet naturam, & ſubſiſtentiam: quæ in Deo non ſunt diſtincta, niſi ſecundùm noſtrum intelligendi

 modum.

modum. Habet humanam tantummodo naturam, non humanam ſubſiſtentiam. Humanam naturam (vt diximus) ex anima rationali & corpore conſtantem.

CAPVT VI.

Ad propoſitas reſpondetur difficultates.

Eidem Chriſti perſonæ tàm humana quàm diuina conueniunt.

ET per hæc patet reſponſio ad omnes, quæ obijciuntur difficultates. Primò enim, ſi dicitur in ſacris voluminibus Chriſtus, modò ploraſſe, modò miracula perpetraſſe, nunc paſſum eſſe, & mortuum, & ſepultum, & ſurrexiſſe; & cætera, quæ ad hominem pertinent, illi tribuuntur: nunc Dei Filius dicitur, & eidem tribuuntur Diuina: quæ ſunt contradictoria; nam ſequitur, eundem eſſe paſſum, & impaſſibilem, mortuum, & immortalem, &c. Benè poſſunt vtraque dici, quia non ſunt contradictoria ſecundùm eamdem rationem: ſed dicitur Chriſtus mortuus, ſecundùm humanitatem; immortalis, & impaſſibilis, ſecundùm Diuinitatem. Sic pleraque diuerſa in Euangelijs Chriſto tribuuntur. Nec tibi mirum eſſe debet; quia Chriſto tribuuntur humana, vt oſtendatur verus homo: rurſus ei tribuuntur Diuina, vt oſtendatur verus Deus.

Nec eſt inconueniens, quòd dicatur, Deus mortuus eſt, Deus tentatus eſt à Diabolo, & cætera ſimilia; quia non eſt idē ac dicere, Deitas mortua eſt, Deitas à Diabolo tentata eſt; hoc enim eſſet falſum, in abſtracto enunciatum; quia non eſt tentata, nec mortua Deitas, ſed humanitas: in concreto autem, quia ſignificatur ſuppoſitum Deitatis, quod etiam eſt ſuppoſitum humanitatis; propterea vera eſt propoſitio, ratione, qua ſuperius explicatum eſt: quia actiones & paſſiones, quæ ſecundùm naturam fiunt, de ſuppoſito dicuntur.

Hic autem vnum ſupereſt explicandum; nempe, quòd inter rationes, quæ alicui conueniunt, plurimæ ſunt, quæ conueniunt ſuppoſito ratione naturæ: quædam verò ſunt, quæ præci-

cipuè de ipſo ſuppoſito dicuntur. Exempli gratia: ridere, plorare, loqui, pati, mori, & cætera, ratione naturæ humanæ de perſona dicuntur. Fieri autem, creari, eſſe creaturam, ſeu eſſe creatorem, præcipuè dicuntur de ſuppoſito. Nec enim perſonæ creatæ conuenit creari, tantùm ratione naturæ, ſed ipſummet ſuppoſitum creatur; quia verò ipſum eſt præcipuum, de ipſo præcipuè dicitur, cùm ei non ſolùm conueniat ratione alterius, ſed etiam ratione ſui. Propoſitiones igitur, quæ de ſuppoſito, ratione naturæ, dicuntur, indifferenter & abſolutè de Chriſto dici poſſunt, tàm humana, quàm Diuina. Quæ autē præcipuè de ſuppoſito prædicantur, ratione ſui, abſolutè de Chriſto dici non poſſunt, niſi Diuina; humana autem non, niſi cum reſtrictione. Exempli gratia, abſolutè dici poteſt, Chriſtus eſt mortuus, Chriſtus paſſus eſt, Chriſtus eſt impaſſibilis, Chriſtus eſt immortalis, Chriſtus eſt Deus, Chriſtus eſt homo. Non autem abſolutè dici poteſt, Chriſtus eſt creatura (quamuis natura Chriſti humana ſit quædam natura creata) ſed cum explicatione ſeu reſtrictione dicendum eſt; Chriſtus eſt creatura ſecundùm naturam humanam. Ratio diſparitatis eſt: quia in Chriſto eſt vtraque natura, tàm Diuina, quàm humana: ſuppoſitum verò, non eſt, niſi Diuinum. Vnde, quæ dicuntur ratione naturæ, benè poſſunt de Chriſto prædicari, tàm hæc, quàm illa; quia in eo eſt, tàm hæc, quàm illa natura. Quæ verò præcipuè dicuntur de ſuppoſito, non poſſunt de Chriſto abſolutè prædicari, niſi Diuina: quia in Chriſto non eſt niſi ſuppoſitum Diuinum. Humana autem non poſſunt prædicari niſi cum reſtrictione, quia ſi ſine reſtrictione dicerentur, ſignificaretur, ſuppoſitum ipſum eſſe creatum, ſeu humanum, quod eſt falſum. Itaq. cum explicatione dicendum eſt, reſtringendo prædicatum, vt quod aliàs, abſolutè enuntiatum, de ſuppoſito intelligitur, de ſola natura humana dictum ſignificetur: Vt eſt, ſecundùm naturam humanam, quatenus homo, &c. Chriſtus eſt creatura ſecundùm naturam humanam: quod nempè ſignificat, naturam humanam Chriſti eſſe naturam creatam. Si autem prædicatum illud ſit Diuinum attributum, & dicatur præcipuè de ſuppoſito, abſolutè poteſt dici de Chriſto, vt eſt dicere: Chriſtus eſt creator, non creatura: quo Chriſti ſuppoſitum ſignificatur eſſe Diuinum, & increatum, quod verum eſt. Et ſic de ſimilibus.

Quæ de Suppoſito ratione ſui dicuntur, abſolutè de Chriſto non benè prædicantur, niſi Diuina.

Ex hoc

Qua ratione Chriſti meritum eſſet infinitum, etiam in ſingulis actionibus, & paſſionibus.

Ex hoc patet, quonam modo Chriſtus mereri potuerit vniuerſo Orbi remiſſionem peccatorum, Diuinamque gratiam: Quia actiones illius humanitatis Suppoſito tribuuntur, & à Suppoſito procedebant: Perſona enim eſt quæ agere dicitur, non natura, quamuis natura ſit principium quo actio procedit; Sic dicimus Petrum ridere, non Petri naturam; ridere hominem, non humanitatem; quamuis riſibilitas conueniat homini ratione humanitatis, non autem ratione ſuppoſiti. Actiones igitur ſicut & paſſiones Chriſti erant à ſuppoſito Diuino, quod eſt infinitæ dignitatis: Vnde & valor operis, ſeu meritum actionis, quod penſatur ex dignitate perſonæ operantis, infiniti fuit valoris. Patet autem in ſcripturis, Deum acceptaſſe, vt Iſai cap. 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum, &c.* Deinde ibidem: *In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, &c.* Poſito ergo valore pretij adæquato, ſeu etiam ſuperefluenti, prout eſt meritum infinitum: & poſita acceptatione ex parte Dei, qui eſt creditor, ſeu offenſus; benè ſequitur pro peccatis ſatiſfactio, & peccatorum redemptio. Nec enim Deus merè gratis dimittere voluit peccata, ita vt in eo opere ſola agnoſceretur miſericordia; ſed exigere maluit ſatiſfactionis pretium, vt pariter miſericordiæ copularetur iuſtitia. Miſericordia quidem, dum ab alio ſatiſfactionem acceptauit; immò dum per proprium filium perficiendam curauit. Iuſtitia verò, dum pretium exegit. Atque ita Diuinum hoc opus eſſe patet vndequaque perfectum: hinc miſericordiæ fulgoribus radians, inde iuſtitiæ radijs emicans. Ita vt, vtriuſque ſibi mutuò coeuntibus radijs, clarior reddatur ex miſericordia iuſtitia, & ex iuſtitia miſericordia; quàm ſi vnius tantùm Diuini Attributi fulgor adeſſet.

Cur non omnes redemptionis Chriſti effectum conſequuntur.

Non tamen omnes effectum huius conſequuntur redemptionis; quia non omnes media, quæ Chriſtus ordinauit ad hunc finem, ſuſcipiunt. Soluto enim pretio per Chriſtum, fuit conueniens, vt, ad Chriſti nutum, debitor à debito ſolueretur. Vnde Iſai 53. vbi ſupra, immediatè poſt preallegata; *Si poſuerit pro peccato animam ſuam;* Statim ſequitur, *Videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur.* Ad voluntatem ergo Chriſti, meritorum eius ſolutio, pro quolibet ſingillatim, erat expendenda: vt etiã teſtatur Apoſtolus ad Hebræos cap. 5. nu. 9. *Et conſummatus, factus eſt omnibus obtemperan-*

rantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ. Chriſtus autem ordinauit, vt, quicumque eius merita ſibi vellet applicare, Sacramenta quædam ſuſciperet, & quædam ſeruaret præcepta: prout in ſacris Scripturarum paginis, & prout Eccleſię tradidit ſeruandum. Sacramenta, nempè Baptiſmi, de quo dixit in Euangelio, Ioan. 3. num. 5. ſeu ſect. 7. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Et Matth. vltimo dixit Apoſtolis. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: Docentes eos ſeruare omnia, quæcũque mandaui vobis.* Præter Baptiſmũ ordinauit etiã Sacramentum Confirmationis, quo roboratur anima, cõtra inimicorum inſultus. Sacramentum Euchariſtiæ, in quo corpus & ſanguinem ſuum; in animæ cibum, ſub ſpeciebus panis: in animæ potũ, ſub ſpeciebus vini, ſumendum dereliquit. Atque ad hoc exequendum, per aliud, Ordinis, Sacramentum, miniſtros in Eccleſia ſua præficit; qui ex ipſius ordinatione, & ex eius verbis, panem in corpus, & vinum in ſanguinem ſuum, valeant conſecrare. In quo nobis Sacrificium inſtituit, & Sacramentum: & quod, qua ratione ſit Sacrificium, iam ſupra, in reſponſione ad argumenta quæ obijciebant Moſaicæ legis derogationẽ, explicauimus. Qua autem ratione ſit Sacramentum, eſt, quia ſacræ rei eſt ſignum: nempè, poſt conſecrationem, ſpecies panis ſignificant ibi ſubeſſe, non amplius panis ſubſtantiam, ſed Chriſti corpus. Similiter, poſt conſecrationem, ſpecies vini ſignificant, ſibi, non amplius ſubeſſe vini ſubſtantiam, ſed Chriſti ſanguinem. Quamuis ſub vtraque ſpecie, per concomitantiam, ſit totus Chriſtus, Caro, Sanguis, Anima, Diuinitas; ſicut modò vnita reperiuntur in cælis. Dicimus tamen, per ſe, ſub ſpeciebus panis eſſe corpus; quia verba Chriſti, per quæ fit panis tranſubſtantiatio, corpus Chriſti ſignificant. Sunt enim hæc verba: *Hoc eſt corpus meum.* Et verba, per quæ fit tranſubſtantiatio vini, ſanguinem per ſe ponunt: ſunt enim talia: *Hic eſt calix ſanguinis mei, &c.* Verba autem Chriſti, quod ſignificant, operantur per ſe: atque adeò, ſub ſpeciebus vini, ſanguinem; ſub ſpeciebus panis, corpus, per ſe, tantùm ponunt: Quia verò Chriſti corpus modò non eſt ſine ſanguine, nec ſine anima; ſed omnia ſimul vnita, Corpus, Anima, Sanguis, Diuinitas, per concomitantiam omnia ponuntur. Hoc autem per Diuinam omnipotentiam, quæ plura poteſt perficere, quàm noſtra mens percipere.

Sacramenta à Chriſto inſtituta.

Hic

Hic autem,ad tuam petitionem: quomodò Chriſti carnem manducans,vitam æternam habere dicatur. Reſpondeo,duplici ratione. Primò,quia Chriſti corpus & anima,æterna gloria fruuntur. Vnde,non poſſunt Chriſtum comedere,quin comedant vitá æterna fruentem. Secundò,quia vita æterna eſt Deus: Chriſtus autem eſt Deus: Ergò,qui Chriſtum comedit, vitam æternam habet. Poteſt addi tertia ratio; quia comedens Chriſtum,ſub panis,aut ſub vini bibens ſpecie, Dei gratiam conſequitur: Gratia autem eſt ius ad gloriam ſeu vitam æternam. Et hac etiam alia ratione dicitur Sacramentum; quia ſignificat & cauſat gratiam in anima deuotè ſuſcipientis.

Et quamuis in tuo libro cauſeris,hoc non eſſe tam clarum in Sripturis; perlegito tamen ſacra Euangelia,Paulique Epiſtolam, primò ad Corinth. Scribentis, & reperies Matth. 26. ſeu ſect. 89. Marci 14. ſeu ſect. 46. Luce 22. ſeu ſect. 78. Ioan. 6. & 13. ſeu ſect. 15. & 16. 17. & 31. huius admirabilis Sacramenti inſtitutionem, & promiſſionem. Fecit tunc ipſe Chriſtus, per omnipotentiam ſuam, admirabilem illam, per ſua verba, tranſubſtantiationem; nec eo contentus, debit poteſtatem Apoſtolis imò etiam iuſſit,vt facerent: Statim enim dixit eis, poſt quam illud perfecerat, vt Lucæ 22. num. 19. ſeu ſect 78. *Hoc facite, in meam commemorationem*. Idem repetit Apoſtolus Paulus 1. Cor. 11. Quinimò, hanc poteſtatem vſq ad ſæculi finem Eccleſiæ ſuæ miniſtros habituros, prænuntiauit Apoſtolis, dicens Matth. vltimo. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus,vſque ad conſummationem ſæculi.* Quia ſcilicet quotidie, per ſæculorum ſucceſſiones, Eccleſiæ Sacerdotes,hoc Sacrificium Deo offerentes,facturi eſſent,vt quotidiè Chriſtus, ſub ſpeciebus vini & panis,in terris adeſſet. Plura,de hoc admirabili Sacramento,tàm ex Scripturis quàm ex Patribus & Doctoribus;qui omnes hoc Diuinum Sacramentum Catholica voce profitentur, reticemus. Hic tantum ſufficiat ad tuam petitionem reſpondiſſe, hoc non eſſe à nobis effictum,ſed à Chriſto traditum.

Similiter,pro his,qui poſt baptiſmum prolapſi,gratiam,quam in eo acceperant,amiſerunt: neque nos effinximus; ſed Chriſtus inſtituit,Pœnitentiç Sacramentum,quod alio nomine Confeſſio dicitur,ſecunda tabula poſt naufragium. Habetur eius inſtitutio Ioann. 20. & in tex. Arab. ſect. 44. Quando inſufflans in Apo-

Apoſtolos dixit eis. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt*, Similiter Matth. 18. num. 18. ſeu ſect. 57. Et Iacobus in ſua Epiſtola Catholica, cap. 5. num. 16. *Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra*. Habemus ergo ex Diuinis Scripturarum teſtimonijs, ex parte Confeſſarij abſoluendi poteſtatem; & ex parte Pœnitentis confitendi obligationem. Non eſt igitur incerta, huius Sacramenti inſtitutio, vt in tuo libro videris aſſerere. Hinc Apoſtoli, eorumque poteſtatem accipientes, claues cœli habere dicuntur; quia abſoluentes à crimine, ei ianuas cœli pandunt, qui ſibi eas per culpam clauſerat.

Præterea, inſtituit Chriſtus Matrimonij Sacramentum, ad hoc vt Matrimonij contractus, inter virum & mulierem, à Deo ordinatus, ſed per originale peccatum factus plurium inconuenientium occaſio, per Chriſti gratiam debito ordine exerceretur, & coniugalis amor in vtroque coniuge eſſet permanens ad indiuiſibile vitæ conſortium, Et in familiæ prouidus educatione. De hoc ſacramento Chriſtus, Matt. ſect. 59. ſeu cap. 19. num. 6. *Quod Deus* (inquit) *coniunxit, homo non ſeparet*. Et Apoſtolus ad Epheſios cap. 5. num. 22. & infra *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico, in Chriſto & Eccleſia*.

Quia verò ſola perſeuerantia coronatur, & qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit; inſtante mortis articulo, in extremo conflictu, maius adeſt periculum: propterea, pro illo tempore, prouidus Chriſti amor, ad animę robur contra inſurgentes tentationas, & ad reliquias peccatorum delendas; immo etiam ad corporis valetudinem, ſi expediat, redintegrandam, aliud inſtituit Sacramentum, Extremam ſcilicet Vnctionem, de qua Iacobus in ſua Catholica cap. 5. n. 14. ſic inquit. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo, in nomine Domini: & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei*.

Hæc omnia ſeptem Sacramenta Chriſtus inſtituit, non omnia pro ſingulis; ſed Ordinem pro Eccleſiæ miniſtris. Matrimonium pro his qui eligerent in Coniugio vitam ducere. Extremam Vnctionē pro infirmis, in vitæ periculo conſtitutis. Pœnitentiā pro his qui poſt Baptiſmū Dei gratiam peccando

amiſerunt. Baptiſmum verò pro omnibus & ſingulis; ſine quo nemo poteſt Chriſti gratiam & Dei filiationem obtinere. Eſt enim prima ſalutis ianua, quam qui non ingreditur, nec poteſt ad alia Sacramenta accedere, nec ſalutis terminum adipiſci. Propterea de illo ſpecialiter dixit Chriſtus Dominus Ioann. 3. ſeu ſect. 7. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*. Eſt itaq. ſimpliciter neceſſarium omnibus ad ſalutem. Confirmatio autem non eſt neceſſaria ſimpliciter, niſi tantùm ad robur animæ. Euchariſtia verò ſic eſt neceſſaria ſpiritui, ſicuti cibus corpori: alit enim, nutrit, & auget, & conſeruat animæ vitam, ne in tentationibus deficiat, & peccati mortem incurrat.

Præſcripſit ergo Chriſtus ſalutem inquirenti hæc ſuſcipienda ſacramenta, & quædam ſeruanda præcepta, prout in Euangelijs: & Matth. vltimo: *Docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis*. Sic volens ſingulis ſuam applicare ſolutionem. Ipſe quidem pro omnibus inſtituit: qui verò illa non vult ſuſcipere, nec præcepta ſeruare, ſibi ſalutis ianuam ipſe præcludit. Atque ita pro vniuerſis Chriſtus ſatisfecit. Hic eſt Chriſti fructus, Hic maior profectus, quem nullus Prophetarum ſingillatim, nec omnes ſimul, præſtare potuerunt; quia, cum omnes eſſent finitæ dignitatis, numquam potuerunt exhibere opus infiniti valoris, in Dei obſequium, & pro Dei infinitæ grauitatis offenſa, compenſationem. Hoc enim, vnus dumtaxat perficere valuit Chriſtus, propter infinitam perſonæ dignitatem.

Hic autem fuit Diuinæ incarnationis finis: non enim ideo incarnatum Dei Filium dicimus, quia ad operationes ſuas organo corporeo indigeret: Sed vt in hominum redemptionem, eam paſſionem, quam Diuinitate non poterat, in ſibi adiuncta humanitate ſuſtineret; ad oſtendendum nobis ardens ſuæ charitatis incendium: ſicut Ioan. 3. ſeu ſectione 7. Chriſtus in Euangelio teſtatur, dicens. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret; vt omnis, qui videt Filium, non pereat, ſed habeat vitam æternam*. Et Apoſtolus ad Rom. 8. *Proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*. Non igitur dicimus, hominem factum eſſe, quia organo indigeret corporeo ad operationes Diuinitatis: Sed vt poſſet pati, quod eſt alienum à Diuinitate: Ad quod prænunciandum, ſic locutus

eſt Iſaias cap. 28. num. 21. *Sicut enim in monte diuiſionum ſtabit Dominus, vt faciat opus ſuum, alienum opus eius: vt operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus eius ab eo.* Quibus verbis, velut enigmaticè loquens, ſignificauit, Dei Filium opus à Diuinitate alienum perfecturum; nempe, paſſionem in aſſumpta humanitate.

Actiones ſecũdum naturã ſunt, tamen ſuppoſito eius tribuuntur.

Quòd autem Chriſti Paſſio non fuerit ſecundũ Diuinitatem, ſed tantùm ſecundũ humanitatem; non propterea valoris infinitas, & meriti magnitudo, euacuatur. Quia omnis operatio eſt per naturam, tribuitur tamen ſuppoſito: & ſuppoſitum eſt illud, quod dicitur agere & pati, vt quod; natura verò, vt quo. Et omnis actio, vel paſſio, à dignitate perſonæ penſatur. Quamuis igitur Chriſtus paſſus fuerit in natura humana, non in natura Diuina: illius tamen naturæ humanæ ſuppoſitum erat Diuinum, ac proinde paſſiones illius humanæ naturæ, à ſuppoſiti dignitate valorem acceperunt. Non ergo ex hac parte dici poteſt fruſtratoria Verbi Incarnatio.

Chriſti paſſio per ſe, a Deo ordinata fuit in redemptionem noſtram & non paſſionis illatio.

Illud verò quod obijcis: per Diuinam Incarnationem, & Chriſti paſſionem, fuiſſe potiùs homines grauiori ſcelerum pondere grauatos, quàm eorum grauamine leuatos; cùm Chriſtum interficientes, Dei perſonæ injuriam inferrent; quod facere minimè potuiſſent, ſi Deus humanam carnem non aſſumpſiſſet. Hoc, inquam, Diuinæ Incarnationis conuenientiam non tollit. Talis enim ratio faceret etiam ad probandum, inconueniens eſſe, Deum hominibus quodcumque aliud beneficium conferre; ex quibus anſam accipiunt magis peccandi, & ingrati animi grauiorem impietatem incurrunt: Hoc autem non eſt à Deo, ſed ab impiorum hominum peruerſitate, qui Dei beneficia in Dei iniuriam conuertunt. Quòd ſi dicas, difficultatem in eo poſitam eſſe, quia videtur à Deo aſſumptum fuiſſe medium, fini contrarium, cùm ad delenda peccata maximum facinus fieri decreuiſſet, quod eſt Chriſti interfectio. Reſpondeo. A Deo non fuiſſe decretum poſitiuè facinus occiſionis Chriſti, in quo maximum eſt demeritum: Sed decretam fuiſſe paſſionem Chriſti, in qua infinitum eſt meritum. Paſſionem, inquam, quatenus à Chriſto ſuſtinendam; non quatenus à Iudæis inferendam. Vndè in Scripturis Diuina eloquia Act. 4. propriiſſimè loquentia num. 27. ſic loquuntur. *Conuenerunt enim verè in Ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum*

*Ieſum, quem vnxiſti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum Gentibus
& populis Iſraël, facere quæ manus tua & conſilium tuum decre-
uerunt fieri.* Dicit ergo Scriptura, decretum Dei fuiſſe, circa
fieri paſſiuè, non circa facere actiuè. Quòd ſi dicatur, non poſ-
ſe dari vnum ſine alio, ac proinde à Deo vtrumque debuiſſe
decerni. Reſpondeo: vtique, ſed diuerſo modo: Paſſio poſi-
tiuè; actio verò permiſſiuè, ad eum modum, quo cætera pecca-
ta: ideſt, Præuidens Deus, impiorum manus aduerſus Chri-
ſtum inſurrecturas, decreuit, ſe nolle impedire. Non fuit igitur
intenta, ſeu ordinata, illatio paſſionis in hominum redemptio-
nem, cùm in ipſa ſit demeritum, & non meritum: ſed fuit or-
dinata paſſio, quatenus ex parte Chriſti, in qua infinitum eſt
meritum. Quarè non ſequitur, fuiſſe à Deo aſſumptum medium
fini improportionatum ſeu oppoſitum: reſpectu enim Diuini
decreti, quò ordinauit Chriſti paſſionem in peccatorum re-
demptionem, per accidens ſe habet paſſionis illatio, ex parte
Iudæorum; ſeu illud decretum talis illationis permiſſiuum.
Et quamuis à parte rei dari paſſio nequeat ſine actione: intel-
lectus tamen, ſicut etiam voluntas, in vnum poteſt intende-
re, abſque eo quòd intendat in aliud. Quod eſt notiſſimum
apud eruditos viros. Nec fuit inconueniens paucorum pec-
catum permittere, ad ſalutem plurimorum: eſt autem hic mos
Deo frequentiſſimus, ex malis benè facere, vt inquit Auguſt. in
Enchirid. cap. 27. *Melius enim iudicauit, de malis benè facere,
quàm mala nulla eſſe permittere.*

Chriſti meritum excedit omne demeritum peccatorum perpetrabilium.

Præterea, non fuit grauior culpa Iudæorum, paſſionem infe-
rendo; ſed longè copioſior Chriſti ſatisfactio, eamdem ſuſti-
nendo: quia, quamuis culpa fuerit infiniti demeriti, propter
perſonæ offenſæ dignitatem, præponderat tamen meriti infini-
tas, propter excellentiam eiuſdem perſonæ merentis. Infini-
tas enim demeriti, eſt actioni demeritoriæ extrinſeca; quia non
eſt ratione operantis, ſed ratione obiecti offenſi, ſeu patientis,
qui non influit in actionem; cùm actio proueniat ab agente,
non à patiente: infinitas autem meriti, eſt paſſioni intrinſeca,
non extrinſeca, prout eſt demeritum actioni: infinitas namq;
perſonæ ſuſtinentis, reddit paſſionem ſeu ſuſtinentiam ipſam
infiniti valoris, quia eſt ab ipſo ſeu in ipſo, intrinſecè: Actio
verò non eſt ab ipſo; vnde non dat illi aliquam intrinſecam
infinitatem. Longè ergo in infinitum maius fuit Chriſti me-
ritum,

ritum, quàm crucifigentium demeritum. Hinc Auguſt. tract. 92.in Ioan. circa medium, ait, tantum fuiſſe paſſionis Chriſti meritum, vt peccatum ipſum delere poſſet, quo inferebatur. Verba eius hæc ſunt: *Ipſo redempti ſanguine, quem fuderunt: Chriſti enim ſanguis ſic in remiſſionem peccatorum fuſus eſt, vt ipſum etiam peccatum poſſet delere, quo fuſus eſt*. Hæc Auguſt. Patet igitur, quàm proportionatum medium, ad rigoroſam pro vniuerſis criminibus, non modò perpetratis, ſed etiam quocumque tempore perpetrabilibus, ſatisfactionem, à Deo fuerit aſſumptum; per quod, meritum infiniti valoris fuit obtentum: quod numquam aliquando à quorumcumque peccatorum demeritis poſſit euacuari, vt 1.Ioan.2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi*.

Quod verò de indecentia ſubiungis, non fuiſſe conueniens, Deum ſeſe ad humana demittere, & tantæ ſublimitati ad tam abiecta deſcendere. Inſuper &, prout in Euangelio habetur, à Diabolo tentari, Diabolo obedire: Item à Iudæis interfici, & tam indigna pati, & vinci. Vnde inquis, quamuis poſſibile Deum incarnari, fuiſſet: Cùm omnis ſapiens indecentiam vitet; putandum non eſt, ſapientiſſimum Deum hanc indecentiam non vitaſſe. *Nec indecens fuit Diuini Verbi Incarnatio.*

Hoc, inquam, non obſtat, quia ſi æqua rationis lance libretur: non ſolùm indecens & incongrua; ſed quammaximè decens & conueniens fuiſſe Deo, videbitur, humanæ carnis aſſumptio. Certum eſt enim, id vnicuique quammaximè conuenire, quod illi conuenit ſecundùm propriæ naturæ rationem: vt homini ratiocinari, aquæ defluere & liqueſcere, igni feruere, &c. Dei verò natura eſſentialiter eſt bonitas, & ſumma bonitas. De ratione autem bonitatis eſt, ſe alijs communicare, & alijs benè facere. Vndè ſummæ bonitati, ſe ſummo modo communicare & benè facere. Summus modus, quo ſe Deus creaturę communicare poteſt, eſt per aſſumptionem createę naturæ, qua tota Diuinitas ſe creaturæ communicat. Ergo non fuit Deo indecens humanæ naturę aſſumptio, ſed quammaximè conueniens. Nec aliquid vilitatis aſſumpſit, cùm nihil, à ſe dependens, & à ſe creatum, Deus deſpiciat; qui ab initio, cuncta quæ fecerat, eſſe valdè bona proſpexit; & nihil odit eorum, quæ fecit; cui tantùm ſola culpa eſt inuiſa, de quo dicitur Abac. 1.13.

Mundi

Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris. Hanc verò non aſſumpſit, ſed ab omni labe mundiſſimam humanitatem; ita vt Ioann. 8. ſeu ſect. 21. Iudæis diceret: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

Titulus ſeu cauſa reddit paſſionem decoram vel indecoram.

Nec pati, vt ſic, indecorum eſt; ſed paſſio, ſicut & mors, decens vel indecens redditur ex titulo, ſeu ex cauſa, propter quam quis patitur, vel occiditur. Si enim cauſa ſit furtum, homicidium, adulterium, vel aliud ſcelus conſimile; indecora paſſio eſt. Si verò ab impijs, propter virtutis opus, iuſto vis inferatur: inde non vilior iuſtus, ſed longè euadit laudabilior: cùm, nec aſperis deterritus, honeſta dimiſerit. Chriſtus autem non propter crimen aliquod ſuum, paſſionem ſuſtinuit; ſed quia veritatem aſſereret, verbis & miraculis Dei filium ſe cõteſtans, Quapropter inuidentes Phariſæorum Principes, illi crucem ſtatuerunt. Vnde Ioann. 10. ſeu ſect. 24. eiſdem, ſe lapidare quærentibus, ait Chriſtus. *Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre, propter quod eorum opus me lapidatis?* Paſſus eſt etiam, vt Patri obedientiæ obſequium redderet, in redemptionem noſtram, vt patet ex ſcripturis paſſim, & Ioann. eodem cap. 10. à num. 17. ſeu ſect. 23. *Propterea me diligit Pater; quia ego pono animam meam, vt iterum ſumam eam: Nemo tollit eam à me: ſed ego pono eam à meipſo: & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumẽdi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo.* Vnde propter obedientiam erga Patrem, clementiam erga nos, paſſionem pertulit, & mortem ſpontè ſubijt.

Sinere ſe vinci propter aliquid honeſtū, decentiſſimū.

Et per hæc patet, non fuiſſe indecorum, tali modo vinci, & occidi: quia in Chriſto, illud vinci, non fuit effectus impotentiæ, ſed pietatis, & obedientiæ. Vinci autem, & ſuccumbere, tunc eſt imputandum dedecori, quando prouenit ex defectu virtutis, aut ex imbecillitate: quæ in Chriſto locum non habuit, cùm vnico verbo milites omnes proſtrauerit, vt habetur Ioann. 18. ſeu ſect. 38. *Vt ergo dixit eis: Ego ſum: abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.* Sed & poſtea à mortuis reſurrexit; & non niſi volens ſuccubuit: & ex virtute, pietate, & obedientia. Vndè nihil indecens apparet in opere.

Tentari non eſt peccatum.

Nec indecens fuit, tentari Chriſtum à Diabolo. Nec fuit obedientia illa, qua ſe à Diabolo aſportari ſiuit in ſanctam Ciuitatem ſuper templi pinnaculum, & exindè in montem, ſed fuit permiſſio. Quòd ſiquis contendere velit, fuiſſe obedientiam

tiam, erit tantùm quæſtio de nomine. Certum eſt autem eiuſmodi, ſiue permiſſionem, ſiue obedientiam, non fuiſſe peccatum: Quia numquam fuit Chriſto prohibitum, ſinere ſe tentari à Diabolo; quia ſolùm eſt peccatum, Diabolo, contra Dei præceptum ſuggerenti, conſentire; quod non fecit Chriſtus, qui ſuggerenti reſpondit. *Non tentabis Dominum Deum tuum*: Et iterum, ſuggerenti gulam, dixit: *Non in ſolo pane viuit homo, &c.* Et rurſus, creaturæ cultum proponenti, Dei præceptum obiecit: *Scriptum eſt, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*. Vndè, nihil culpabile in Chriſto obijci poteſt.

Fuit autem conueniens, Chriſtum à Diabolo tentari, vt illum vinceret: & nobis, quibus armis vinceretur, oſtenderet: quod non ignominiæ & dedecori eſt imputandum, ſed gloriæ. Decet enim militem, aut ducem, non diffugere, ſed, promptis animis, cum hoſte confligere. Non enim poteſt ſine prælio comparari victoria, vt inquit Apoſtolus: 2. ad Timot. c. 2. n. 5. *Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit*, Et ſupponit coronam victoriam, & victoria pugnam.

CA-

CAPVT VII.

Reſpondetur ad ea , quæ ex Euangelio obijciuntur, contra Incarnationis Myſterium

Chriſtus nouit diem iudicij: non tamen vt nobis reuelaret.

AD loca, quæ ex Euangelio obijcis, ad probandum, Chriſtum non eſſe Deum: facilis eſt reſponſio.

Primò enim, ſi Chriſtus ſe dicit Matth. ſect. 79. ſeu cap. 24. iudicij diem neſcire, ſoli notum eſſe Patri: non ita intelligendū eſt, quaſi reuera Chriſtus neſciret; ſed quòd neſciret tāquā magiſter noſter: Si enim nouerat, nō nouerat ad hoc vt nobis aperiret; ſicut Apoſtoli curioſius ſciſcitabantur, eoſque ſcire, non expediebat. Sic hunc locum explicauerunt, etiam ante Mahometi temporā, Sancti Patres, Ambroſius, lib. 5. de Fide cap. 8. Greg. lib. 4. Epiſt. 42. ad Eulogium. Hieronymus, Chryſoſtomus, Theofilactus, in c. Matth 24. Baſilius lib. 4. in Eunomium, Auguſtinus libro 1. de Geneſi contra Manichęos cap. 22. Et lib. 1. de Trinitate cap. 12. Vndè inquiunt hi Sancti Patres, illud neſcire, ibi poni pro neſcire facere: Vt Geneſis 22. verbum intranſitiuum ponitur pro verbo tranſitiuo, Deo ſic loquēte ad Abraham, poſt exhibitam promptis animis obedientiam circa filij immolationem. *Nunc cognoui, quod timeas Deum*, Ideſt, nunc congnoſcere feci tibi & alijs, quòd timeas Deum. Deus enim non tunc cœperit cognoſcere, ſed antea nouerat. Immo, cùm ipſe eſſet ſolus hominum magiſter, vndè dicebat, Matthæi ſect. 76. ſeu cap. 23. *Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus*, & ipſe non doceret; dici poterat neſcire, quia diſcipulos illud neſcire faceret; & Diſcipulorum ignorantia Magiſtro imputatur, figurato loquendi modo, quo cauſę effectus nomen tribuitur. Dicere vero: *Nemo ſcit, niſi ſolus Pater*, idem fuit ac dicere, Nemo niſi ſolus Deus: particula verò, *Solus*, excludit tantùm eas perſonas, quę non habent eamdem naturam cum Patre. Vnde, ly, *Pater*, ſupponit eo loci, pro Deo; quia Pater eſt fons omnium Diuinarum

narum perſonarum. Ita Auguſtinus libro 3. contra Maximinum cap. 13.

Secundò, Nec Diuinitati Chriſti derogant illius verba ex Euangelio Matth. ſect. 61. ſeu cap. 19. à te allegata, quibus reprehendere videtur vnum ex Scribis, eo quòd magiſtrum bonum illum appellaſſet, dicens illi: *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, niſi ſolus Deus*. Hoc enim dixit non Chriſtus, vt ſimpliciter ſuam negaret bonitatem, ſed vt illius Scribæ dictum redargueret; cùm opinaretur, Chriſtum eſſe purum hominem. Redarguit ergo, non dictum vt ſic; ſed dictum, cum tali opinione. Quaſi diceret: Cur me dicis bonum, & ex alia parte me purum hominem cenſes? Si me dicis bonum, crede ergo, quòd ſim etiam Deus; quia nemo bonus, niſi ſolus Deus. Dum autem, me Deum eſſe, credere non vis; videris, adulando, me dicere bonum. Sic reſpondent, Baſilius lib. 4. in Eunom. Ambr. lib. 2. de Fide cap. 1. Hieronym. & Chryſoſt. in cap. Matth. 19. Quòd autem ſolum Deum dixit bonum, bonitate ſcilicet eſſentiali: nam creaturæ etiam bonæ ſunt, ſed bonitate participata, & bonitate accidentali. Chriſtus autem non per hoc negare voluit de ſe, quatenus homine, bonitatem creatam, & participatam; ſed manuducere volebat Scribam illum, ad agnoſcendam ſuam increatam bonitatem. *Solus Deus bonus per eſſentiam.*

Tertiò, Nec ſequitur, Chriſtum non eſſe Deum, ex eo, quòd in Euangelio dicatur, Deum non iudicare quemquam, ſed omne iudicium dediſſe Filio: quia loquitur ibi Scriptura de iudicio viſibili, quod patet ex verbis contextus. Dicitur enim Ioannis 5. num. 26. ſeu ſect. 11. *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo, & poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis eſt*. Vnde, iudicium Filio ideo fuit à Patre traditum, quia cùm eſſet Filius hominis, & viſibilis, poſſet viſibiliter iudicare: cùm Pater & Spiritus ſanctus, quia inuiſibiles, non poſſent iudicare, niſi inuiſibiliter; quo iudicio etiam Chriſtus, cui eſt cum Patre & Spiritu ſancto eſſentia & intellectus communis, iudicat. Nec poteſt inuiſibili iudicio Pater, aut Spiritus ſanctus, ſine Filio iudicare. Quando autem ſubiungit Chriſtus: *Ego non iudico, ſed eſt Pater meus, qui iudicat*. Non contradictorium eius, quod aliàs dixerat, cenſendum eſt: Sed eſt intelli- *Chriſtus cùm ſit homo & Deus, Iudicat cũ Patre inuiſibiliter, & ſolus viſibiliter.*

Zzz gendum

gendum, de iudicio inuiſibili, quo ſolus Pater, independẽter ab omni alio, præcipit, & iudicat: Filius enim & Spiritus ſanctus præcipiunt & iudicant ſimul cum Patre, ſed Pater per intellectũ & voluntatem à nemine deriuata, ſed habitam independenter & à ſe: Filius autem, & Spiritus ſanctus, per intellectum eumdem, eamdemque voluntatem, à Patre acceptam. Quarè ſolus Pater, hoc modo, independenter præcipit & iudicat, inuiſibiliter, ſeu ſpiritualiter. Cùm verò dicit, Pater non iudicat, ſed omne iudicium dedit Filio, ſeu omnem poteſtatem, vt præcipiat: intelligi debet, de mandato ſenſibili, & iudicio viſibili, vt præallegata verba ſignificant. *Quia filius hominis eſt*. Pari modo, de peccatorum dimiſſione, reſpondendum eſt. Chriſtum, per gratiæ infuſionem, ſimul cum Patre & Spiritu ſancto, peccata dimittere inuiſibiliter. Senſibilibus autem ſignis peccatorum dimiſſionem ſignificare, ſoli Chriſto conuenit, qui per ſuos miniſtros modò; & aliquando per ſe, vt Magdalenæ, paralytico, pleriſque alijs, peccata illis dimiſſa ſuis verbis ſignificauit. Prætereа non benè infert, qui hoc modo diſcurrit. Pater dedit Filio poteſtatem dimittendi peccata, præcipiendi, & iudicandi. Ergo Pater eiuſmodi poteſtatem amiſit: quia, etſi Rex Iudici iudicandi tribuat poteſtatem, non per hoc ipſe Rex (ſi velit) iudicare nequit; ſed dat poteſtatem, eamdem retinendo. Vnde inferri non poteſt, Patrem iudicare non poſſe. Nec aliquid ſequitur, vel contra Euangelia, vel Diuinam Trinitatem, vel Chriſti Diuinitatem, vt ex dictis patet.

Diuerſa dicũtur de Patre & de Christo: vel ratione perſonalis diſtinctionis, vel ratione humanitatis.

Quartò, Nec obſtant quæcumque, in Euangelijs, aut in alijs ſacrarum Scripturarum libris, diuerſa dicuntur de Chriſto, ac de Deo: aut de Filio, ac de Patre. Quia de Chriſto dicuntur, vel quoad humanitatem, vel quoad Diuinitatem, ratione perſonalis diſtinctionis. Sic dicitur, ratione perſonalis diſtinctionis, Ioan. 1. *Verbum eſſe apud Deum*, ideſt Filium apud Patrem. Item, Filium eſſe in ſinu Patris. Similiter, ratione perſonalis diſtinctionis, dicit, ſe cum Patre non eſſe ſolum teſtem, ſed plures. Ratione aſſumptæ humanitatis, Chriſtus videri poterat, cùm aliàs in Euangelio dicatur: *Deum nemo vidit vmquam*. Ratione etiam humanitatis dicebat Chriſtus: *Pater maior me eſt*. Et aliàs: *Pater clarifica Filium tuum*. Et eadem ratione dixit, ſuum non eſſe, collocare hunc à dextris, & illum à ſiniſtris; ſed hoc pertinere ad Patrem, ideſt, ad Deum, non ad Chriſtum,

qua-

quatenus homo erat. Plorauit, paſſus eſt, miratus eſt, orauit, cæteraſque humanas oſtendit paſſiones; vt ſe verùm hominem agnoſcendum præberet. Nec inconueniens à te cenſendum eſt, quòd Chriſtus tamquam homo à Deo peteret, tàm ſibi, quàm alijs; quia petitio eſt per intellectum, ſed ex voluntatis affectu, & petimus à potentiore. Chriſtus autem habebat, non ſolùm intellectum & voluntatem Diuinam, ſed etiam humanam: Erat etiam humana natura imbecillior. Cur ergo à potentiore, quæ inferiori conuenirent, non poterat efflagitare? Præterea, Chriſtus non ſolùm nos aduenerat redempturus; ſed etiam nobis virtutum exempla præbiturus: ac proinde, quamuis oratione non indigeret, vt à ſe acciperet, quod flagitabat; quia, natura indigens, eſſet in ſuppoſito omnipotens; maluit tamen orare, ad præbendum exemplum. Propter hanc etiam rationem, pro perſequentibus in Cruce pendens orauit, dicens: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt*. Vt, quod prius verbis præceperat, de inimicorum dilectione, exemplo confirmaret. *Et exauditus eſt* (vt inquit Apoſtolus ad Hebræos cap. 5. num. 7. *pro ſua reuerentia*. Vnde tandem conuerſi ſunt aliqui, quamuis non omnes. Nec, per hoc, aliquod inconueniens ſequitur; quia oratio Chriſti fuit ſecundùm humanam naturam, cum reſignatione in Diuinam voluntatem; ad eum modum, quo ſignificauit, ante paſſionem in horto ad Patrem orans: *Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte; fiat tamen voluntas tua*. Et quidem Deus, per Chriſti orationem, paratus fuit, omnibus parcere, ſi pœnitentiam egiſſent: Ipſi tamen ſua peruerſitate maluerunt in peccatis veteraſcere. Inſuper, per Chriſti orationem, vltrix ira Dei præpedita eſt, ne vniuerſos in Chriſti mortem conſpirantes, illicò in Infernum detruderet, & vt inquit Chryſoſtomus Tom. 5. ſermone de Manſuetudine, *Ne Pater cæleſtibus aduerſus impios telis vteretur*. Vnde, propter Chriſti orationem, omnibus conceſſum eſt pœnitentiæ ſpatium. Sic ergo Chriſtus exauditus eſt, pro ſua reuerentia, in omnium vtilitatem.

Cùm verò in Euangelio dicitur, Chriſtum ad Dei dexteram ſediſſe: tam longè abeſt, vt ex eo deduci poſſit, Chriſtum non eſſe Deum; quàm certum eſt, ex eo probari Diuinitatem, & Chriſti cum Patre æqualitatem. Sedere enim ad dexteram, eſt certè ſedere, in loco, ſaltem æqualis dignitatis & honoris *Chriſtus dicitur ſedere ad Patris dexteram, quia Patri æqualis.*

cum eo, qui ex altera parte ſedet: non enim poteſt inferri, Si Filius eſt ad dexteram; Ergo Pater eſt à ſiniſtris; Ergo minoris dignitatis. Nam de Patre nulli dubium eſt, illi non eſſe maiorem. Notandus autem eſt ſacrarum vſus loquendi Scripturarum, quæ, pro dextera, æqualitatem ſignificant, vt pſalm. 109. vbi de duabus perſonis ſimul dicit Propheta, vtramque ad alterius dexteram ſedere. Dicit enim: *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis*. Deinde, illi perſonæ, ad Domini dexteram ſedenti rurſus dicitur: *Dominus à dextris tuis*. Sic ergo vterque ad dexteram alterius ſedere dicitur. Quod quidem intelligi non poteſt, materialiter, de locali ſitu; quia hac ratione, dum vnus eſt ad dexteram, alterum, neceſſe eſt, eſſe ad ſiniſtram. De æqualitate igitur dignitatis intelligendum eſt. Niſi intelligere velimus, ſicut intelligit hunc locum Chryſoſtomus; ſcilicet, quòd Chriſtus ſedeat à dextris, ratione æqualitatis, quoad eius Diuinitatem; à ſiniſtris verò ratione humanitatis, quæ inferior eſt. Verùm quocumque modo intelligamus, ſemper inde potiùs Chriſti Diuinitas probatur, quàm in dubium reuocetur.

Sancti dicuntur filij Dei adoptiui, Chriſtus verò vnigenitus & naturalis Et verus filius.

Quòd ſi Apoſtoli, cæterique Sancti, filij Dei etiam appellantur in Scripturis; non tamen eodem modo Dei filij dicuntur, ſicut Chriſtus. Chriſtus enim, vt ſupra dictum eſt, appellatur Vnigenitus, vt Ioan. 3. ſeu ſect. 7. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret*. Epiſt. 1. Ioan. cap. 4. num. 9. *Filium ſuum vnigenitum miſit Deus in mundum, vt viuamus per eum*. Dicitur filius verus, eadem Ioannis Epiſt. cap. 5. circa finem: *Scimus, quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, vt cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio eius*. Et tandem ibidem, ſtatim poſt prædicta, dicitur verus Deus: *Hic eſt verus Deus*. Apoſtolorum verò, reliquorumque Sanctorum filiatio, non dicitur aliquando vera, vel vnica; ſed adoptiua, & metaphorica: ſicut etiam pſalm. 81. aliquando metaphoricè etiam dicuntur Dij. *Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes*. Numquam verò veri Dij ſunt appellati, nec poterant. Conſtat autem in Euangelio, Ioannis cap. 1. filiationem Sanctorum dependere ex libera eorum voluntate. Dicit enim: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis p*[illegible]*, filios Dei fieri*. Ergo, filiatio hæc, non eſt naturalis [illegible]aria, ſed adoptiua & voluntaria.

Quan-

Quando autem [illegible]
guinibus, neque ex [illegible]
ri; ſed ex Deo [illegible]
neratione, qua [illegible]
ratione, qua per [illegible]
iuxta illud Chriſti [illegible]
fuerit denuo non poteſt [illegible]
quis renatus fuerit ex aqua & [illegible]
in regnum Dei. [illegible]
tum eſt ex Spiritu, [illegible]
Oportet vos naſci denuo. Hæc [illegible]
cans duplicem Sa[illegible]
tualem alteram: [illegible]
in Dei adop[illegible]
doptionem, [illegible]
quit A[illegible]
ſunt Filij Dei. [illegible]
ſtus eſt, & omnes [illegible]
3. *Qui facit* [illegible]
eſt, quoniam ab [illegible]
ly Dei & filij D[illegible]
à Deo, 1. Ioan. 3 [illegible]
Pater, vt filij D[illegible]
tis, qua [illegible]
eſt iuſtus, non eſt ex Deo, & [illegible]

Ergo non eodem [illegible]

Si quando [illegible]
orat Chriſtus, [illegible]
ſect. 37. *Pater* [illegible]
vt ſint vnum, ſicut & [illegible]
capitis. *Vt omnes vnum* [illegible]
vt & ipſi in nobis vnum [illegible]
ſed [illegible]
portat [illegible]
Sicut eg[illegible]
vo[illegible]

præſcindendo ab identitate naturæ, illa particula, ſicut, poteſt importare explicationem, ſeu æqualitatem, concordis voluntatis: ita vt ſenſus ſit: Sicut ego & tu Pater numquam diſſentimus, ſed quicquid tu vis, volo & ego: & quicquid ego, vis etiam & tu: ita & ipſi concordes ſint, & vnanimes. Sic etiam per obedientiæ promptitudinem, volũtati noſtræ ſubijciantur, vt vna videatur eſſe omnium voluntas. Et ita completum eſt, vt Act. 4. narratur, *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna*. Idem habetur cap. 5. num. 12. Et per Sophoniam Prophetam cap. 3. prænunciatum fuerat à num. 9. *Tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & ſeruiant ei humero vno*. Quæ vnitas, vt patet, non eſt naturæ, ſed affectus.

Paulatim per profectus ſuos Apoſtolos X̃ps ad perfectionem perduxit & propterea quæ nõ adhuc caperent ſilebat.

Miror autem, Mahometanum aliquem, ex eo quòd à Chriſto dicatur in Euangelio: Ioann. cap. 16. num. 12. & in text. Arab. ſect. 35. *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo.* Audere ſic obloqui contra Chriſtum, vt dicat, illum non omnia Apoſtolos docuiſſe, ſed propter metum Iudæorum pleraque ſiluiſſe: Sic enim obloquendo in Chriſtum, contra Alchoranum etiam obloquuntur, qui Chriſtum nulla, vel leui quidem criminis nota, fatetur vnquam potuiſſe inquinari. Et quonam modo Iudæos timuiſſe, dici poteſt, eum, qui mortẽ ſponte ſubijt, nec vnquam lædi potuit inuitus? Non ergo propter metum Iudæorum, ſed propter rationem ibidem ſignificatam: quia Apoſtoli non ampliùs capiebant; propterea inquit Chriſtus: *Multa habeo vobis dicere; ſed non poteſtis portare modo*. Quia ſcilicet adhuc rudiores erant: Et poſt paſſionem (vt oſtenderet, per mortem ſuam, illis, ſicut & Sanctis omnibus, peccatorum remiſſionem & gratiæ amplitudinem meruiſſe) Spiritus ſancti gratiam in illos erat diffuſurus, quo roborati ſunt & plenè & abundanter eruditi. Interim verò quędam illos docuit, quæ capere poſſent; cætera verò ſiluit, iuxta illud Eccleſiaſt. cap. 32. num. 6. *Vbi auditus non eſt, non effundas ſermonem*. Et ex his patet reſponſio ad quæ in tuo libro à Mahometanis obijciuntur. Spiritus ſanctus autem, non dicitur mutaturus Chriſti legem, ſed confirmaturus, & ad eandem legẽ pertinentia inſpiraturus, vt ex illis Chriſti verbis. *Suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis*. Quæ habentur in Euangel. Io. 14. num. 26. & in text. Arab. ſect. 34.

Quodnam ſit peccatum in Filium per appropriationẽ. leuius peccato in Spiritũ ſanctum.

Si autem in Euangelijs, peccatum contra Dei filium, minoris dicitur eſſe grauitatis, quàm peccatum in Spiritum ſanctum: non propterea ſequitur, Chriſtum non eſſe Deum: Quia poteſt intelligi dictum de Filio inquantum eſt homo. At ſi intelligatur de Filio abſolutè; nec etiam ſequitur, Chriſtum non eſſe Deum, aut Spiritu ſancto omnimodis eſſe minorem. Sed pro huius rei intelligentia animaduertendum eſt: quodnam ſit peccatum in Spiritum ſanctum; quodnam verò peccatum in Filium: Quodquidem ex tractatu de Diuina Trinitate facilè poteſt deduci. Diximus enim ibi: Filium procedere per intellectum, & Spiritum ſanctum procedere per voluntatem; vnde, per appropriationem, peccatum in Filium eſt illud, quod opponitur ſapientiæ: Eſtque peccatum commiſſum per ignorantiam. Peccatum autem in Spiritum ſanctum eſt per defectum ab ea rectitudine, quæ pertinet ad voluntatem, ideſt à bonitate, & dicitur malitia. Peccatum igitur in Spiritum ſanctum, dicitur peccatum, per malitiam perpetratum: quando quis noſcens Dei voluntatem, & quid ſit agendum; vult tamen oppoſitum operari. Et certè nulli dubium eſt, peccantem per malitiam, cæteris paribus, grauius peccare. Vndè Chriſtus in Euangelio, Lucæ 12. num. 47. ſeu ſectione 49. *Ille autem ſeruus, qui cognouit voluntatem Domini ſui, & non fecit ſecundùm uoluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Illud verò, quod ſubdit: *Non dimittetur.* Et Marci 3. num. 29. ſeu ſect. 12. *Non habebit remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti.* Non dixit Chriſtus, quaſi nullo modo peccatum in Spiritum ſanctum ſit remiſſibile: Sed ad ſignificãdum, tali modo peccantem vix pœnitere; cùm ſciens & volens peccet, non ex fragilitate naturæ, tentationis vehementia, aut alia aliquo modo excuſabili cauſa; ſed ex mera malitia: Ac proinde difficilis eſſe remiſſionis. Ita Chryſoſtomus Hom. 42. in cap. 12. Matth. Vnde, talis locus Euangelicus, intelligendus eſt iuxta explicationem, quam de conſimili tradidit Chriſtus Matth. ſect. 61. ſeu cap. 19. à num. 24. & infra. Vbi, poſtquam dixerat: *Facilius eſt, camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.* Et mirantibus Apoſtolis, & dicentibus: *Quis ergo poterit ſaluus eſſe?* Explicauit Chriſtus, quod dixerat: *Apud homines*, inquiens, *hoc impoſſi-*

bile eſt: apud Deum *autem omnia poſſibilia ſunt*. Sic ergo ſupponendum eſt: non poſſe dari tantæ grauitatis peccatum, quod Deus verè pœnitenti non parcat; Tamen communiter & ordinariè loquendo, difficilè ab huiuſmodi in Spiritum ſanctum criminibus quis reſipiſcit. Facilè autem reſipiſcit, qui per ignorantiam peccauit: vnde veniam facilè meretur, cùm defectus ſit præcipuè in intellectu, dum per ignorantiam peccat. Defectus verò peccantis per malitiam, eſt primò, & per ſe, in voluntate. Vnde ignorans, ſi aduertat quod ignorabat, à crimine ſe retrahit; qui verò ſciens peccauit, per aduertentiam tantùm, non reſurget à crimine. Hic autem animaduertendum eſt; non dici crimen in Filium, quaſi non ſit etiam in Patrem, & Spiritum ſanctum: nec dici crimen in Spiritum ſanctum, quaſi non ſit pariter in Patrem, & Filium; ſed ratione, vt ſuperius dictum eſt, appropriationis, quia in Filium dicitur, quod per ignorantiam commiſſum eſt: peccatum verò in Spiritum ſanctum, quod non eſt, vel ex ignorantia, vel ex fragilitate, vel ex alio defectu, qui aliquo modo excuſabilis videatur, ſed ex mera voluntatis peruerſitate, & malitia; ita vt directè bonitati opponatur, quæ per appropriationem Spiritui ſancto tribuitur, cùm procedat per voluntatem.

Chriſtus dicitur Agnus Dei, propter patientiã & mãſuetudinẽ.

Dicitur quoque in Euangelijs Chriſtus Agnus Dei, metaphoricè, propter patientiam, & manſuetudinem; ſicut alibi Leo, propter fortitudinem, & animi magnitudinem: Vitis, quia quotquot ſancti fiunt, tanquam palmites à vite, ſanctitatis humorem à Chriſto deriuant, iuxta illud Ioann. 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus*. Et ſic varijs appellatur nominibus, vel metaphoricè, vel propriè propter eius multiplicem in nos gratiam, vel propter infinitam Diuinitatis, & ineffabilem humanitatis perfectionem: Vnde nobis plurimi vtilitatis fontes promanarunt; prout ex dictis conſtat.

omnis ſanctitatis ſiue initiũ ſiue profectus, à Chriſto tamquam à fonte deriuatur.

Quare dici non poteſt, modicum profeciſſe in hominum ſanctificatione: quia omnis fructus qui in Orbe cernitur ſanctitatis, ex ipſo deriuatus eſt: cùm omnes in Adam peccarint, & originale peccatum exindè contraxerint. Chriſtus verò ſolus iuſtus, & infinitæ dignitatis, pro omnibus, vt dictum eſt, exoluit; & pro omnibus Dei gratiam meruit, iuxta illud Iſaiæ 53. *Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit: & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum.*

Obla-

Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. Ex quo Iſaiæ loco patet ratio metaphoræ, cur Agnus dicatur? & non ſolùm eſſe Chriſto in Euangelio Agni nomen tributum, ſed etiam in veteris Teſtamenti paginis.

Perturbationes in orbe cur excitatæ, dum Chriſti fides mundum ingrederetur.

Perturbationes autem ideo in Orbe excitatæ ſunt (Non prout obijcis: quia Chriſtus non eſſet Deus) ſed: quia, cùm Deus eſſet, & veram Dei legem & agnitionem vniuerſo Orbi eſſet traditurus; Diaboli, qui per Idololatriam, verique Dei ignorantiam, mundum vniuerſum occupauerant, per ſuos miniſtros, ne de vſurpato dominio expellerentur, pro viribus obſtiterunt. Dixerat enim Chriſtus Ioann. 12. ſeu ſect. 29. *Nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Talis igitur pugna ſine perturbationibus fieri nequiuit. Eaſq. perturbationes per Chiſti legem excitandas à Diaboli miniſtris in Orbe, prænuntiauit pſal. 2. Propheta, dicens pariter & admirans, quanam ratione mundus in Chriſtum inſurgeret, ſuumque Deum non agnoſceret. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius!* Deinde ipſum Chriſtum in hæc verba inducit loquentem: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te, &c.* Quem locum omnes, etiam Mahometani, vt ex libro Camus in dictione ولد ſupra probauibus, de Chriſto intelligunt, qui ibi Dei Filius aſſeritur. Ergo perturbationes illæ potiùs ſignificant, Chriſtum eſſe Dei Filium, quam è contra. Voluit aut Deus illas perturbationes permittere, ratione ſuperiùs allegata, vt in Chriſtianæ fidei propagatione Dei oſtenderetur potentia, quæ poſſet Fideles ſuos inter inimicorum arma ſtabilire; ita vt occumbendo vincerent, & moriendo triumpharent. Quanto magis enim Imperatores, plures occidendo, in Chriſtianos ſæuiebant, eo magis creſcebant; ita vt mundum impleret Chriſtiana Religio, vndequaque Idololatriæ proſternens ſuperſtitionem; vt conſtat ex veterum monumentis, & ſanctorum Martyrum geſtis.

Vndè, nec dæmonum nec hominum cõtrà Chriſtum præualuit nequitia; ſed, mirabili & nouo pugnandi ordine, Chriſti vicit potentia; iuxta ſuam fidelem, Eccleſiæ factam, pollicitationem, Matth. 16. dicentes. *Portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam.* i. Eccleſiam, de qua loquebatur. Quibus verbis prænuntiauit illi pugnam, ſed quam ſequeretur victoria: Nec enim fuiſſet conueniens; in Orbe, cuius vita (ſancto Iob teſte) non niſi militia eſt, Chriſti Eccleſiam ſine pugna militare. Sic namq. non virtutes, ſed ſocordiam Chriſtus in Orbem induxiſſet. Conueniens igitur fuit, ſicut & decet nunc etiam, non niſi per pugnam triumphare. Quòd ſi Regiones plurimæ, poſt Chriſti fidem ſuſceptam, ab ipſa fide exciderunt: non propter fidei defectum; ſed propter inhabitantium ſcelera factum eſt, Deo in pœnam ordinante, vt à fide exciderent, qui nollent ſuos mores ad fidei regulam menſurare; vt ſupra latiùs explicauimus, dum de prima Diuinæ legis conditione ageremus. Et ex his patet ſolutio ad omnes, quas propoſuiſti difficultates.

Cùm igitur nulla ſit implicantia, Chriſtum Deum eſſe; eandemque eſſe Diuinæ & humanæ naturæ ſubſiſtentiam: & Chriſtum, Deum eſſe, Sacra teſtentur eloquia: omnino credendum eſt, cum Sanctis Chriſti Diſcipulis, Patribus, Doctoribus, & vniuerſa Chriſti Eccleſia.

EX

EX DICTIS.

Ad veram Dei legem ſuſcipiendam, Mahometani excitantur.

HIs igitur omnibus attenta animi conſideratione perpenſis (prout oro perpendas: cùm de toto aſſe agatur, & de tanti ponderis articulo; vt non ſolùm præſentis vitæ felicitas, ſed etiam inde futuræ dependeat æternitas) ſi non adſit in voluntate duplicitas, aberit quoque ab intellectu falſitas; & ad Diuini Solis exortum, menti illuceſcet veritas. Si inquam non animo reluctandi, ſed ſtudio inquirendi, An veritati ſint conſona quæ dicuntur, inſpiciantur. Sic enim his conſideratis; non dubito, quin euidentiſſimè conſtet, vniuerſa, pro Chriſtiana Religione ſuperiùs allata, nihil à veritate diſcrepare.

Et primò, eos tantummodo libros Diuina teſtimonia continere, quos initio recenſuimus; eoſque ad hæc vſque tempora, puriſſimam fluere de fonte Diuinæ authoritatis aquam cæleſtis Sapientiæ: cùm ſit probatum, nuſquam dici poſſe, vel perditorum hominum peruerſitate, vel temporum antiquitate, vel Chriſtianorum incuria, vel Iudæorum iniuria, vel Paganorum inuidentia, vel quorumcumque nequitia, tã purum S. Scripturæ fontem fuiſſe, vel prophanæ loquacitatis cœno turbatum, vel falſitatis veneno infectum, aut humanæ ſapientiæ commixtione confuſum; vel ex ea aliquid abraſione deletum, aut in ea aliquid additione vitiatum. Ita vt, tàm Euangelia, quàm Veteris Legis volumina, & Prophetarum, cæterorumque ſacrorum Librorum teſtimonia, eamdem quam priùs, Diuinam ſeruent authoritatem.

E contra verò Alchorani patefactæ ſunt næniæ, turpitudines, iniuſtitiæ, mendacia, confuſiones, contradictiones; ita vt, nulla ratione, Dei illius, qui nihil turpe, nihil inhoneſtum, nihil iniuſtum, nihil falſum, nihil contradictorium proloqui poteſt; ſuſpicari poſſit, fuiſſe vmquam eloquia.

Idque præterea confirmatum eſt magis, penſatis hinc Euan-

gendum, de iudicio inuiſibili, quo ſolus Pater, independẽter ab omni alio, præcipit, & iudicat: Filius enim & Spiritus ſanctus pręcipiunt & iudicant ſimul cum Patre, ſed Pater per intellectū & voluntatem à nemine deriuata, ſed habitam independenter & à ſe: Filius autem, & Spiritus ſanctus, per intellectum eumdem, eamdemque voluntatem, à Patre acceptam. Quarè ſolus Pater, hoc modo, independenter præcipit & iudicat, inuiſibiliter, ſeu ſpiritualiter. Cùm verò dicit, Pater non iudicat, ſed omne iudicium dedit Filio, ſeu omnem poteſtatem, vt pręcipiat: intelligi debet, de mandato ſenſibili, & iudicio viſibili, vt præallegata verba ſignificant. *Quia filius hominis eſt*. Pari modo, de peccatorum dimiſſione, reſpondendum eſt. Chriſtum, per gratiæ infuſionem, ſimul cum Patre & Spiritu ſancto, peccata dimittere inuiſibiliter. Senſibilibus autem ſignis peccatorum dimiſſionem ſignificare, ſoli Chriſto conuenit, qui per ſuos miniſtros modò; & aliquando per ſe, vt Magdalenæ, paralytico, pleriſque alijs, peccata illis dimiſſa ſuis verbis ſignificauit. Præterea non benè infert, qui hoc modo diſcurrit. Pater dedit Filio poteſtatem dimittendi peccata, præcipiendi, & iudicandi. Ergo Pater eiuſmodi poteſtatem amiſit: quia, etſi Rex Iudici iudicandi tribuat poteſtatem, non per hoc ipſe Rex (ſi velit) iudicare nequit; ſed dat poteſtatem, eamdem retinendo. Vnde inferri non poteſt, Patrem iudicare non poſſe. Nec aliquid ſequitur, vel contra Euangelia, vel Diuinam Trinitatem, vel Chriſti Diuinitatem, vt ex dictis patet.

Diuerſa dicũtur de Patre & de Chriſto: vel ratione perſonalis diſtinctionis, vel ratione humanitatis.

Quartò, Nec obſtant quæcumque, in Euangelijs, aut in alijs ſacrarum Scripturarum libris, diuerſa dicuntur de Chriſto, ac de Deo: aut de Filio, ac de Patre. Quia de Chriſto dicuntur, vel quoad humanitatem, vel quoad Diuinitatem, ratione perſonalis diſtinctionis. Sic dicitur, ratione perſonalis diſtinctionis, Ioan. 1. *Verbum eſſe apud Deum*, ideſt Filium apud Patrem. Item, Filium eſſe in ſinu Patris. Similiter, ratione perſonalis diſtinctionis, dicit, ſe cum Patre non eſſe ſolum teſtem, ſed plures. Ratione aſſumptæ humanitatis, Chriſtus videri poterat, cùm aliàs in Euangelio dicatur: *Deum nemo vidit vmquam*. Ratione etiam humanitatis dicebat Chriſtus: *Pater maior me eſt*. Et aliàs: *Pater clarifica Filium tuum*. Et eadem ratione dixit, ſuum non eſſe, collocare hunc à dextris, & illum à ſiniſtris, ſed hoc pertinere ad Patrem, ideſt, ad Deum, non ad Chriſtum,

qua-

quatenus homo erat. Plorauit, paſſus eſt, miratus eſt, orauit, cæteraſque humanas oſtendit paſſiones; vt ſe verùm hominem agnoſcendum præberet. Nec inconueniens à te cenſendum eſt, quòd Chriſtus tamquam homo à Deo peteret, tam ſibi, quàm alijs; quia petitio eſt per intellectum, ſed ex voluntatis affectu, & petimus à potentiore. Chriſtus autem habebat, non ſolùm intellectum & voluntatem Diuinam, ſed etiam humanam: Erat etiam humana natura imbecillior. Cur ergo à potentiore, quæ inferiori conuenirent, non poterat efflagitare? Præterea, Chriſtus non ſolùm nos aduenerat redempturus; ſed etiam nobis virtutum exempla præbiturus: ac proinde, quamuis oratione non indigeret, vt à ſe acciperet, quod flagitabat; quia, natura indigens, eſſet in ſuppoſito omnipotens; maluit tamen orare, ad præbendum exemplum. Propter hanc etiam rationem, pro perſequentibus in Cruce pendens orauit, dicens: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt*. Vt, quod prius verbis præceperat, de inimicorum dilectione, exemplo confirmaret. *Et exauditus eſt* (vt inquit Apoſtolus ad Hebræos cap. 5. num. 7. *pro ſua reuerentia*. Vnde tandem conuerſi ſunt aliqui, quamuis non omnes. Nec, per hoc, aliquod inconueniens ſequitur; quia oratio Chriſti fuit ſecundùm humanam naturam, cum reſignatione in Diuinam voluntatem; ad eum modum, quo ſignificauit, ante paſſionem in horto ad Patrem orans: *Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte; fiat tamen voluntas tua*. Et quidem Deus, per Chriſti orationem, paratus fuit, omnibus parcere, ſi pœnitentiam egiſſent: Ipſi tamen ſua peruerſitate maluerunt in peccatis veteraſcere. Inſuper, per Chriſti orationem, vltrix ira Dei præpedita eſt, ne vniuerſos in Chriſti mortem conſpirantes, illicò in Infernum detruderet, & vt inquit Chryſoſtomus Tom. 5. ſermone de Manſuetudine, *Ne Pater cæleſtibus aduerſus impios telis vteretur*. Vnde, propter Chriſti orationem, omnibus conceſſum eſt pœnitentiæ ſpatium. Sic ergo Chriſtus exauditus eſt, pro ſua reuerentia, in omnium vtilitatem.

Cùm verò in Euangelio dicitur, Chriſtum ad Dei dexteram ſediſſe: tam longè abeſt, vt ex eo deduci poſſit, Chriſtum non eſſe Deum; quàm certum eſt, ex eo probari Diuinitatem, & Chriſti cum Patre æqualitatem. Sedere enim ad dexteram, eſt certè ſedere, in loco, ſaltem æqualis dignitatis & honoris

Chriſtus dicitur ſedere ad Patris dexteram, quia Patri æqualis.

Zzz 2 cum

cum eo, qui ex altera parte ſedet: non enim poteſt inferri, Si Filius eſt ad dexteram; Ergo Pater eſt à ſiniſtris; Ergo minoris dignitatis. Nam de Patre nulli dubium eſt, illi non eſſe maiorem. Notandus autem eſt ſacrarum vſus loquendi Scripturarum, quæ, pro dextera, æqualitatem ſignificant, vt pſalm. 109. vbi de duabus perſonis ſimul dicit Propheta, vtramque ad alterius dexteram ſedere. Dicit enim: *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.* Deinde, illi perſonæ, ad Domini dexteram ſedenti rurſus dicitur: *Dominus à dextris tuis.* Sic ergo vterque ad dexteram alterius ſedere dicitur. Quod quidem intelligi non poteſt, materialiter, de locali ſitu; quia hac ratione, dum vnus eſt ad dexteram, alterum, neceſſe eſt, eſſe ad ſiniſtram. De æqualitate igitur dignitatis intelligendum eſt. Niſi intelligere velimus, ſicut intelligit hunc locum Chryſoſtomus; ſcilicet, quòd Chriſtus ſedeat à dextris, ratione æqualitatis, quoad eius Diuinitatem; à ſiniſtris verò ratione humanitatis, quæ inferior eſt. Verùm quocumque modo intelligamus, ſemper inde potiùs Chriſti Diuinitas probatur, quàm in dubium reuocetur.

Sancti dicuntur filij Dei adoptiui, Chriſtus verò vnigenitus & naturalis Et verus filius.

Quòd ſi Apoſtoli, cæterique Sancti, filij Dei etiam appellantur in Scripturis; non tamen eodem modo Dei filij dicuntur, ſicut Chriſtus. Chriſtus enim, vt ſupra dictum eſt, appellatur Vnigenitus, vt Ioan. 3. ſeu ſect. 7. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* Epiſt. 1. Ioan. cap. 4. num. 9. *Filium ſuum vnigenitum miſit Deus in mundum, vt viuamus per eum.* Dicitur filius verus, eadem Ioannis Epiſt. cap. 5. circa finem: *Scimus, quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, vt cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio eius.* Et tandem ibidem, ſtatim poſt prædicta, dicitur verus Deus: *Hic eſt verus Deus.* Apoſtolorum verò, reliquorumque Sanctorum filiatio, non dicitur aliquando vera, vel vnica; ſed adoptiua, & metaphorica: ſicut etiam pſalm. 81. aliquando metaphoricè etiam dicuntur Dij. *Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes.* Numquam verò veri Dij ſunt appellati, nec poterant. Conſtat autem in Euangelio, Ioannis cap. 1. filiationem Sanctorum dependere ex libera eorum voluntate. Dicit enim: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem, filios Dei fieri.* Ergo, filiatio hæc, non eſt naturalis & neceſſaria, ſed adoptiua & voluntaria.

Quan-

Sanctorũ duplex natiuitas: per naturam, & per gratiam.

Quando autem ſubdit Euangeliſta, quòd ſancti non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; ſed ex Deo nati ſunt: non eſt intelligendus, de naturali generatione, qua homines naſcuntur: ſed de ſpirituali regeneratione, qua per Diuinæ gratiæ ſuſceptionem Sancti fiunt: iuxta illud Chriſti dictum, Ioan. 3. ſeu ſect. 7. *Niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei*. Et poſt pauca: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Quod natum eſt ex carne, caro eſt: & quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt. Non mireris, quia dixi tibi: Oportet vos naſci denuò*. Hæc dixit Chriſtus Nicodemo, ſignificans duplicem Sanctorum natiuitatem, carnalem vnam, ſpiritualem alteram: Illa naſcuntur veri hominis filij, hac verò in Dei adoptionem regenerantur. Dicuntur verò filij per adoptionem, & metaphoricè, vel propter obedientiam, vt inquit Apoſtolus Roman. 8. *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ij ſunt Filij Dei*. Vel propter imitationem, 1. Ioan. 2. *Deus iuſtus eſt, & omnis qui facit iuſtitiam, ex ipſo natus eſt*. Et 1. Ioan. 3. *Qui facit iuſtitiam iuſtus eſt: qui facit peccatum ex Diabolo eſt, quoniam ab initio Diabolus peccat. In hoc manifeſti ſunt filij Dei & filij Diaboli*. Vel ratione charitatis, qua diliguntur à Deo, 1. Ioan. 3. num. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & ſimus*. Vel ratione charitatis, qua diligunt Deum, 1. Ioann. 3. num. 10. *Omnis qui non eſt iuſtus, non eſt ex Deo; & qui non diligit, &c.* ibi.

Ergo non eodem modo dicuntur filij, ſicut Chriſtus.

Sancti idem cum Chriſto ſunt, affectu & gratia; nõ natura, ſicut eſt idem cum Patre.

Si quando dicuntur Diſcipuli, eſſe idem cum Chriſto. Seu orat Chriſtus, vt ſint idem omnes diſcipuli, vt Ioann. 17. ſeu ſect. 37. *Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos*. Et infra, num. 20. & 21. eiuſdem capitis. *Vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint*. Non eſt ſenſus de vnitate naturæ, ſed de vnnaimi voluntate. Illa enim particula, ſicut, non importat ibi explicationem, ſed ſimilitudinem; æque ac ſi diceret: Sicut ego, & tu Pater, ſumus vnum natura, ſic ipſi ſint vnum voluntatis affectu, vt non ſit diſſenſio inter eos. Quod ſi quis contendere velit, particulam, *ſicut*, eſſe ibi explicatiuam, poteſt hoc modo intelligi: nempè; cum Pater & Filius, non ſolum ſint vnum natura; ſed etiam vnum affectu, ſemper vnanimes:

præ-

præſcindendo ab identitate naturæ, illa particula, ſicut, poteſt importare explicationem, ſeu æqualitatem, concordis voluntatis: ita vt ſenſus ſit: Sicut ego & tu Pater numquam diſſentimus, ſed quicquid tu vis, volo & ego: & quicquid ego, vis etiam & tu: ita & ipſi concordes ſint, & vnanimes. Sic etiam per obedientiæ promptitudinem, volũtati noſtræ ſubijciantur, vt vna videatur eſſe omnium voluntas. Et ita completum eſt, vt Act. 4. narratur, *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna*. Idem habetur cap. 5. num. 12. Et per Sophoniam Prophetam cap. 3. prænunciatum fuerat à num. 9. *Tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & ſeruiant ei humero vno*. Quæ vnitas, vt patet, non eſt naturæ, ſed affectus.

Paulatim per profectus ſuos Apoſtolos Xps ad perfectionem perduxit & propterea quæ nõ adhuc caperent ſilebat.

Miror autem, Mahometanum aliquem, ex eo quòd à Chriſto dicatur in Euangelio: Ioann. cap. 16. num. 12. & in text. Arab. ſect. 35. *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo.* Audere ſic obloqui contra Chriſtum, vt dicat, illum non omnia Apoſtolos docuiſſe, ſed propter metum Iudæorum pleraque ſiluiſſe: Sic enim obloquendo in Chriſtum, contra Alchoranum etiam obloquuntur, qui Chriſtum nulla, vel leui quidem criminis nota, fatetur vnquam potuiſſe inquinari. Et quonam modo Iudæos timuiſſe, dici poteſt, eum, qui mortẽ ſpontè ſubijt, nec vnquam lædi potuit inuitus? Non ergo propter metum Iudæorum, ſed propter rationem ibidem ſignificatam: quia Apoſtoli non ampliùs capiebant; propterea inquit Chriſtus: *Multa habeo vobis dicere; ſed non poteſtis portare modo*. Quia ſcilicet adhuc rudiores erant: Et poſt paſſionem (vt oſtenderet, per mortem ſuam, illis, ſicut & Sanctis omnibus, peccatorum remiſſionem & gratiæ amplitudinem meruiſſe) Spiritus ſancti gratiam in illos erat diffuſurus, quo roborati ſunt & plenè & abundanter erudití. Interim verò quędam illos docuit, quæ capere poſſent; cætera verò ſiluit, iuxta illud Eccleſiaſt. cap. 32. num. 6. *Vbi auditus non eſt, non effundas ſermonem*. Et ex his patet reſponſio ad quæ in tuo libro à Mahometanis obijciuntur. Spiritus ſanctus autem, non dicitur mutaturus Chriſti legem, ſed confirmaturus, & ad eandem legẽ pertinentia inſpiraturus, vt ex illis Chriſti verbis. *Suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis*. Quæ habentur in Euangel. Io. 14. num. 26. & in text. Arab. ſect. 34.

Si

Quodnam ſit peccatum in Filium per appropriationẽ. leuius peccato in Spiritũ ſanctum.

Si autem in Euangelijs, peccatum contra Dei filium, minoris dicitur eſſe grauitatis, quàm peccatum in Spiritum ſanctum: non propterea ſequitur, Chriſtum non eſſe Deum: Quia poteſt intelligi dictum de Filio inquantum eſt homo. At ſi intelligatur de Filio abſolutè; nec etiam ſequitur, Chriſtum non eſſe Deum, aut Spiritu ſancto omnimodis eſſe minorem. Sed pro huius rei intelligentia animaduertendum eſt: quodnam ſit peccatum in Spiritum ſanctum; quodnam verò peccatum in Filium: Quodquidem ex tractatu de Diuina Trinitate facilè poteſt deduci. Diximus enim ibi: Filium procedere per intellectum, & Spiritum ſanctum procedere per voluntatem; vnde, per appropriationem, peccatum in Filium eſt illud, quod opponitur ſapientiæ: Eſtque peccatum commiſſum per ignorantiam. Peccatum autem in Spiritum ſanctum eſt per defectum ab ea rectitudine, quæ pertinet ad voluntatem, ideſt à bonitate, & dicitur malitia. Peccatum igitur in Spiritum ſanctum, dicitur peccatum, per malitiam perpetratum: quando quis noſcens Dei voluntatem, & quid ſit agendum; vult tamen oppoſitum operari. Et certè nulli dubium eſt, peccantem per malitiam, cæteris paribus, grauius peccare. Vndè Chriſtus in Euangelio, Lucæ 12. num. 47. ſeu ſectione 49. *Ille autem ſeruus, qui cognouit voluntatem Domini ſui, & non fecit ſecundùm uoluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis*. Illud verò, quod ſubdit: *Non dimittetur*. Et Marci 3. num. 29. ſeu ſect. 12. *Non habebit remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti*. Non dixit Chriſtus, quaſi nullo modo peccatum in Spiritum ſanctum ſit remiſſibile: Sed ad ſignificãdum, tali modo peccantem vix pœnitere; cùm ſciens & volens peccet, non ex fragilitate naturæ, tentationis vehementia, aut alia aliquo modo excuſabili cauſa; ſed ex mera malitia: Ac proinde difficilis eſſe remiſſionis. Ita Chryſoſtomus Hom. 42. in cap. 12. Matth. Vnde, talis locus Euangelicus, intelligendus eſt iuxta explicationem, quam de conſimili tradidit Chriſtus Matth. ſect. 61. ſeu cap. 19. à num. 24. & infra. Vbi, poſtquam dixerat: *Facilius eſt, camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum*. Et mirantibus Apoſtolis, & dicentibus: *Quis ergo poterit ſaluus eſſe?* Explicauit Chriſtus, quod dixerat: *Apud homines*, inquiens, *hoc impoſſibile*

bile eſt: apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt. Sic ergo ſupponendum eſt: non poſſe dari tantæ grauitatis peccatum, quod Deus verè pœnitenti non parcat; Tamen communiter & ordinariè loquendo, difficilè ab huiuſmodi in Spiritum ſanctum criminibus quis reſipiſcit. Facilè autem reſipiſcit, qui per ignorantiam peccauit: vnde veniam facilè meretur, cùm defectus ſit præcipuè in intellectu, dum per ignorantiam peccat. Defectus verò peccantis per malitiam, eſt primò, & per ſe, in voluntate. Vnde ignorans, ſi aduertat quod ignorabat, à crimine ſe retrahit; qui verò ſciens peccauit, per aduertentiam tantùm, non reſurget à crimine. Hic autem animaduertendum eſt; non dici crimen in Filium, quaſi non ſit etiam in Patrem, & Spiritum ſanctum: nec dici crimen in Spiritum ſanctum, quaſi non ſit pariter in Patrem, & Filium; ſed ratione, vt ſuperius dictum eſt, appropriationis, quia in Filium dicitur, quod per ignorantiam commiſſum eſt: peccatum verò in Spiritum ſanctum, quod non eſt, vel ex ignorantia, vel ex fragilitate, vel ex alio defectu, qui aliquo modo excuſabilis videatur, ſed ex mera voluntatis peruerſitate, & malitia; ita vt directè bonitati opponatur, quæ per appropriationem Spiritui ſancto tribuitur, cùm procedat per voluntatem.

Chriſtus dicitur Agnus Dei, propter patientiã & mãſuetudinẽ.

Dicitur quoque in Euangelijs Chriſtus Agnus Dei, metaphoricè, propter patientiam, & manſuetudinem; ſicut alibi Leo, propter fortitudinem, & animi magnitudinem: Vitis, quia quotquot ſancti fiunt, tanquam palmites à vite, ſanctitatis humorem à Chriſto deriuant, iuxta illud Ioann. 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus*. Et ſic varijs appellatur nominibus, vel metaphoricè, vel propriè propter eius multiplicem in nos gratiam, vel propter infinitam Diuinitatis, & ineffabilem humanitatis perfectionem: Vnde nobis plurimi vtilitatis fontes promanarunt; prout ex dictis conſtat.

omnis ſanctitatis ſiue initiũ ſiue profectus, à Chriſto tamquam à fonte deriuatur.

Quare dici non poteſt, modicum profeciſſe in hominum ſanctificatione: quia omnis fructus qui in Orbe cernitur ſanctitatis, ex ipſo deriuatus eſt: cùm omnes in Adam peccarint, & originale peccatum exindè contraxerint. Chriſtus verò ſolus iuſtus, & infinitæ dignitatis, pro omnibus, vt dictum eſt, exoluit; & pro omnibus Dei gratiam meruit, iuxta illud Iſaiæ 53. *Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit: & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum.*

Obla-

Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. Ex quo Iſaiæ loco patet ratio metaphoræ, cur Agnus dicatur: & non ſolùm eſſe Chriſto in Euangelio Agni nomen tributum, ſed etiam in veteris Teſtamenti paginis.

Perturbationes in orbe cur excitatæ, dum Chriſti fides mundum ingrederetur.

Perturbationes autem ideo in Orbe excitatæ ſunt (Non prout obijcis: quia Chriſtus non eſſet Deus) ſed: quia, cùm Deus eſſet, & veram Dei legem & agnitionem vniuerſo Orbi eſſet traditurus; Diaboli, qui per Idololatriam, verique Dei ignorantiam, mundum vniuerſum occupauerant, per ſuos miniſtros, ne de vſurpato dominio expellerentur, pro viribus obſtiterunt. Dixerat enim Chriſtus Ioann. 12. ſeu ſect. 29. *Nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Talis igitur pugna ſine perturbationibus fieri nequiuit. Eaſq. perturbationes per Chiſti legem excitandas à Diaboli miniſtris in Orbe, prænuntiauit pſal. 2. Propheta, dicens pariter & admirans, quanam ratione mundus in Chriſtum inſurgeret, ſuumque Deum non agnoſceret. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius!* Deinde ipſum Chriſtum in hæc verba inducit loquentem: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te, &c.* Quem locum omnes, etiam Mahometani, vt ex libro Camus in dictione ولد ſupra probauibus, de Chriſto intelligunt, qui ibi Dei Filius aſſeritur. Ergo perturbationes illæ potiùs ſignificant, Chriſtum eſſe Dei Filium, quam è contra. Voluit aut Deus illas perturbationes permittere, ratione ſuperiùs allegata, vt in Chriſtianæ fidei propagatione Dei oſtenderetur potentia, quæ poſſet Fideles ſuos inter inimicorum arma ſtabilire; ita vt occumbendo vincerent, & moriendo triumpharent. Quanto magis enim Imperatores, plures occidendo, in Chriſtianos ſæuiebant, eo magis creſcebant; ita vt mundum impleret Chriſtiana Religio, vndequaque Idololatriæ proſternens ſuperſtitionem; vt conſtat ex veterum monumentis, & ſanctorum Martyrum geſtis.

Vndè, nec dæmonum nec hominum cõtrà Chriſtum præualuit nequitia; ſed, mirabili & nouo pugnandi ordine, Chriſti vicit potentia; iuxta ſuam fidelem, Eccleſiæ factam, pollicitationem, Matth. 16. dicentes. *Portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam*. i. Eccleſiam, de qua loquebatur. Quibus verbis prænuntiauit illi pugnam, ſed quam ſequeretur victoria: Nec enim fuiſſet conueniens; in Orbe, cuius vita (ſancto Iob teſte) non niſi militia eſt, Chriſti Eccleſiam ſine pugna militare. Sic namq. non virtutes, ſed ſocordiam Chriſtus in Orbem induxiſſet. Conueniens igitur fuit, ſicut & decet nunc etiam, non niſi per pugnam triumphare. Quòd ſi Regiones plurimæ, poſt Chriſti fidem ſuſceptam, ab ipſa fide exciderunt: non propter fidei defectum; ſed propter inhabitantium ſcelera factum eſt, Deo in pœnam ordinante, vt à fide exciderent, qui nollent ſuos mores ad fidei regulam menſurare; vt ſupra latiùs explicauimus, dum de prima Diuinæ legis conditione ageremus. Et ex his patet ſolutio ad omnes, quas propoſuiſti difficultates.

Cùm igitur nulla ſit implicantia, Chriſtum Deum eſſe; eandemque eſſe Diuinæ & humanæ naturæ ſubſiſtentiam: & Chriſtum, Deum eſſe, Sacra teſtentur eloquia: omnino credendum eſt, cum Sanctis Chriſti Diſcipulis, Patribus, Doctoribus, & vniuerſa Chriſti Eccleſia.

EX DICTIS.

Ad veram Dei legem ſuſcipiendam, Mabometani excitantur.

HIs igitur omnibus attenta animi conſideratione perpenſis (prout oro perpendas : cùm de toto aſſe agatur, & de tanti ponderis articulo ; vt non ſolùm præſentis vitæ felicitas, ſed etiam inde futuræ dependeat æternitas) ſi non adſit in voluntate duplicitas, aberit quoque ab intellectu falſitas ; & ad Diuini Solis exortum, menti illuceſcet veritas. Si inquam non animo reluctandi, ſed ſtudio inquirendi, An veritati ſint conſona quæ dicuntur, inſpiciantur. Sic enim his conſideratis; non dubito, quin euidentiſſimè conſtet, vniuerſa, pro Chriſtiana Religione ſuperiùs allata, nihil à veritate diſcrepare.

Et primò, eos tantummodo libros Diuina teſtimonia continere, quos initio recenſuimus; eoſque ad hæc vſque tempora, puriſſimam fluere de fonte Diuinæ authoritatis aquam cæleſtis Sapientiæ : cùm ſit probatum, nuſquam dici poſſe, vel perditorum hominum peruerſitate, vel temporum antiquitate, vel Chriſtianorum incuria, vel Iudæorum iniuria, vel Paganorum inuidentia, vel quorumcumque nequitia, tã purum S. Scripturæ fontem fuiſſe, vel prophanæ loquacitatis cœno turbatum, vel falſitatis veneno infectum, aut humanæ ſapientiæ commixtione confuſum ; vel ex ea aliquid abraſione deletum, aut in ea aliquid additione vitiatum. Ita vt, tàm Euangelia, quàm Veteris Legis volumina, & Prophetarum, cæterorumque ſacrorum Librorum teſtimonia, eamdem quam priùs, Diuinam ſeruent authoritatem.

E contra verò Alchorani patefactæ ſunt næniæ, turpitudines, iniuſtitiæ, mendacia, confuſiones, contradictiones; ita vt, nulla ratione, Dei illius, qui nihil turpe, nihil inhoneſtum, nihil iniuſtum, nihil falſum, nihil contradictorium proloqui poteſt; ſuſpicari poſſit, fuiſſe vmquam eloquia.

Idque præterea confirmatum eſt magis, penſatis hinc Euan-

gelij reliquarumque Scripturarum, quas Chriſtiani colunt, Authorum ſanctitate: inde verò Mahometi, Alchoranici adinuentoris, peruerſitate. Qui, vt in cunctis, quæ perpetraret flagitijs, flagitioſior eſſet, turpitudinem iniquitatis excogitauit fucare velamine ſanctitatis: vt iuxta Philoſophi ſententiam, Ethicorum 7. cap. 6. magis iniuſtus fieret, cùm magis occultè procederet, & inſidias faceret. Sed iam detecta eſt eius iniquitas, & remoto fuco, appàruit impoſtura: dum ſonans verba probitatis & iuſtitiæ, deprehenſus eſt in operibus prauitatis & nequitiæ. Nec enim ipſe eos titulos, quos vſurpauerat, opere comprobauit. Nam titulum dixit ſanctitatis: at opera oſtendit improbitatis. Titulum aſſumpſit caſtitatis & virtutis: at opera exercuit carnis & inhoneſtatis. Titulum ſibi adſcripſit ſigillum Prophetarum: at operibus ſe potiùs exhibuit ſigillum vitiorum. Titulum vſurpauit excellentiſſimæ creaturæ: at hos omnes titulos, iam patet, fuiſſe fucos impoſturæ. Cùm, nulla ratione (non inquam) cum Chriſto, qui de Virgine natus, peccare non potuit, & conſtat, habuiſſe omnem ſanctitatis fontem, & ipſam Deitatem: ſed nec cum Moyſe, Elia, Iob, Eliſeo, aut alio ex Prophetis, poſſit conferri. Impoſtor ergo Mahomet, Alchoranicæ legis effictor. Non purus homo, ſed etiam Deus, Chriſtus Dominus, Euangelicæ Legis lator: vt ſupra, Diuina authoritate ſacrarum Scripturarum, authoritate Sanctorum, teſtimonio Sibyllarum, & continuata ſuccedentium ſibi ſæculorum conteſtatione, probatum eſt. Inſuper & omnes difficultates, quæ impoſſibilitatem videbantur aſtruere, ex dictis ſolutæ ſunt. Ita vt etiam Sacroſanctum Trinitatis myſterium; ſicut & cætera, quæ continet Chriſtiana Religio; exinde vera eſſe comprobentur: cùm ita prædicauerit Chriſtus, ita Apoſtoli, ita ſacra Concilia: & vniuerſa Chriſti Eccleſia, ab initio vſque nunc, firmiter crediderit: Et Hæreticis in diuerſa ſemper abeuntibus, per varios mendaciorum anfractus errantibus; his ſemper veſtigijs, rectâ, via veritatis, inceſſerit.

Ad hanc igitur errantes quoſcumque reuocamus: ad hanc ignorantes dirigimus: ad hanc, à Mahometo deceptos, ab impoſturis retrahimus; & fraterno, quo par eſt, charitatis affectu hortamur, & inuitamus. Ad hanc, quam propoſuit ab initio Deus: ad hanc, cui per Legem ſcriptam diſpoſi-

tio

tio facta eſt per Moyſen : ad hanc, quam omnes prænunciauerunt Prophetæ:ad hanc,quam inſtituit Chriſtus,prædicauerunt Apoſtoli, propugnauerunt Martyres, cuſtodierunt Sancti, celebrarunt Doctores, quam loquuntur ſacra Euangelia, conteſtantur miracula, colit vniuerſa Chriſti Eccleſia. Inſuper & quam hoſtes ipſi (poſt ſuam legem, quam clauſis inſpiciunt oculis, ne eius fœditatem agnoſcant) aſſerunt quoque eſſe Diuinam, prout etiam,vi veritatis coactus,aſſerit Alchoranus.

Hanc velim inſpicias, mediteris, contempleris, ſuſcipias, aſſeras, confitearis, profitearis. Non, ſolem occidere in feruentis aquæ fontem; prout loquitur Alchoranus. Non, terræ extremum aliquod cælo eſſe contiguum; prout idem docet. Non, terram eſſe ſuper tauri cornu fundatam, prout inquit Mahomet in Sonnat. Non, Angelos morituros. Non, beſtias ſuſcitandas. Non, irrationabilia Diuinæ gloriæ aſpectibus fruitura. Non, cæteras pueriles nænias & impoſturas, quas Alchoranus, cæterique Mahometicæ ſectæ libri, effingunt. Sed quæ Deus loquitur in Scripturis, abſcondita à ſæculis, Sacroſanctæ Trinitatis, & Deitatis Chriſti, Diuina Sacramenta; cæteraque omnia, quæ ſacra teſtantur volumina, & Dei loquuntur teſtimonia. Per horum enim fidem conſequimur Dei gratiam, vitæ integritatem, morum probitatem: honeſtè viuimus ad nos,cleměter ad proximum,piè ad Deum, iuſtè ad omnes. Et poſt huius vitæ terminum conſequimur: non puellares complexus: non Alchorani conuiuia:non Mahometici paradiſi viridaria; ſed eum finem, eamque gloriam, ad quam ab initio creationis à Deo ordinati ſumus,Dei ipſius viſionem beatificam, fruitionem perpetuã, æternamq. poſſeſſionem. Ad quam non omnes (prout Alchoranus effingit) tàm Pagani, quàm Chriſtiani, tàm Iudæi, quàm Mahometani (qui tam diuerſa, diſparatà, & inuicem oppoſita, profitentur) perueniunt; ſed ij dumtaxat, qui veram Dei fidem ſequuntur: quæ alia non eſt,vt ex dictis conſtat, niſi ſola Chriſtiana,Catholica, ſeu Euangelica. Quam (deprecor Deum) tibi agnoſcendam præbeat: vt, ex eius myſteriorum fide per gratiam, ad eorumdem ſcientiam & intuitum eleuet tandem per gloriam.

FINIS.

PRaefatio. 1.
Quo ordine, quibuſue medijs, ſit in reſponſione procedendum. 2.

Tractatus I. De Sacris Scripturis.

CAp.I. *An, & quæ ſint Diuinæ Scripturæ.* pag. 5.
Cap. II. *Sacrarum Scripturarum libri recenſentur.* 11.
Cap. III. *Probatur, Alcoranum fateri ſingillatim omnes ſupra recenſitas Scripturas eſſe diuinas.* 14.
Cap. IV. *Proponitur obiectio Mahometanorum contra ſacras Scripturas, & ſoluitur.* 24.
Cap. V. *Probatur, ſacras Scripturas non fuiſſe in vniuerſum adulteratas.* 32.
Sect. I. *Non poſſe aſſignari omnium Scripturarum, in vniuerſum adulteratores.* ibid.
Sect. II. *Quòd nullo fine moueri potuerint Chriſtiani ad Scripturarum adulterationem.* 35.
Sect. III. *Non poſſe aſſignari tempus, quo ſacra volumina fuerint vitiata.* 38.
Sect. IV. *Non poſſe locum aſſignari, vbi ſacra volumina fuerint adulterata.* 55.
Sect. V. *Nullum Scripturæ locum fuiſſe adulteratum ab Eccleſia Catholica.* 56.
Cap. VI. *An aliquo modo ſacræ Scripturæ à priſtina integritate exciderint.* 63.
Cap. VII. *Reſpondetur ad obiectiones contra ſacras Scripturas.* 68.
Sect. I. *Reſpondetur ad primam difficultatem.* 68.
Sect. II. *Reſpondetur ad ſecundam difficultatem.* 74.
Sect. III. *Reſpondetur ad tertiam difficultatem.* 79.
Sect. IV. *Reſpondetur ad quartam difficultatem.* 81.
Sect. V. *Reſpondetur ad quintam difficultatem.* 83.
Sect. VI. *Reſpondetur ad ſextam difficultatem.* 85.
Sect. VII. *Reſpondetur ad ſeptimam difficultatem.* 86.

Sect. VIII. *Reſpondetur ad octauam, nonam, decimam & vndecimam diſſicultatem.* 91.
Sect. IX. *Reſpondetur ad duodecimam difficultatem.* 94.
Sect. X. *Reſpondetur ad decimam tertiam difficultatem.* 103.
Sect. XI. *Reſpondetur ad decimam quartam, & decimam quintam difficultatem.* 104.
Sect. XII. *Reſpondetur ad decimam ſextam, decimam ſeptimã, decimam octauam, decimam nonam, & vigeſimam difficultatem.* 107.
Cap. VIII. *Reſpondetur ad ea, quæ obijciuntur contra Euangelium, in quantum eſt Moſaicæ legis abrogatorium.* 111.
Sect. I. *De Chriſti authoritate ad Moſaicam legem abrogandam.* ibid.
Sect. II. *Quàm conueniens fuerit, Moſaicam legem per Euangelicam abrogari.* 115.
Sect. III. *Imperfecta quædam legis Moſaicæ ad perfectum reuocata per Euangelicam.* 123.
Sect. IV. *De triplici legis Moſaicæ præceptorum genere.* 126.
Sect. V. *Quomodo Moſaica lex dicatur æterna.* 129.
Sect. VI. *Chriſtus quædam præcepta Veteris legis abrogauit per Apoſtolos ſuos.* 130.
Sect. VII. *De conuenientia abrogationis Circumciſionis.* 133.
Sect. VIII. *De abrogatione ſacrificiorum Moſaicæ legis: & de ſacroſancto Euangelicæ legis ſacrificio.* 134.
Sect. IX. *De mutatione Sabbati in Dominicam.* 141.
Sect. X. *Soluuntur aliæ quædam difficultates.* 145.
Sect. XI. *De ſacris Imaginibus.* 147.

Tractatus ſecundus. De Alchorano eiuſque authore Mohammede.

PRæfatio. *Cui fides adhibenda, in quibus Alchoranus à Tora & Euãgelijs diſſentit.* 152.
Cap. I. *Quænam ſint Diuinæ Scripturæ qualitates.* 153.
Cap. II. *An Alchoranus ſit Scriptura conuertens animas.* 154.
Sect. I. *De miraculorum neceſſitate.* 155.

Sect. II. *An Alchoranus ſit conuertens animas, ratione miraculorum.* 161

Sect. III. *An Alchoranus ſit conuertens animas, ratione Diuinæ cooperationis.* 175

Cap. III. *Teſtimonium Domini fidele.* 184

Sect. I. *Quòd lex Diuina in promiſſione fidelis ſit.* 184

Sect. II. *De Moſaicæ legis, Prophetarum, & Euangelij fidelitate.* 185

Sect. III. *De Mahometicæ legis infidelitate.* 193

Cap. IV. *Sapientiam præſtans paruulis.* 208

Cap. V. *Iuſtitiæ Domini recta, lætificantes corda.* 223

Sect. I. *De legis rectitudine.* 223

Sect. II. *De Euangelicæ legis rectitudine.* 228

Sect. III. *De Alchoranicæ legis iniuſtitia.* 233

Sect. IV. *An Alchoranica lex corda lætificet.* 251

Cap. VI. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* 253

Cap. VII. *Timor Domini ſanctus, permanens in ſæculum ſæculi.* 258

Sect I. *De Alchoranicæ legis inhoneſtate.* 258

Sect. II. *De Diuinæ legis conſtantia.* 261

Sect. III. *De Alchoranicæ legis inſtabilitate.* 266

Cap. VIII. *Iudicia Domini vera.* 274

Cap. IX. *Iuſtificata in ſemetipſa.* 283

Cap. X. *De Mohammede, ſeu Mahomet, Alchoranicæ ſectæ Authore.* 297

Sect. I. *De Mahometi parentibus, ortu, educatione, patria, & legiſlatione.* 297

Sect. II. *Probatur, Mohammedem Idololatram fuiſſe, & peccatorem.* 303

Sect. III. *De præcipuo fine, quo motus eſt Mahomet ad pſeudoprophetiam.* 310

Sect. IV. *Mahomet impoſturam machinatum eſſe, ad carnis licentiam, ex dictis infertur.* 319

Sect. V. *Mahometi calliditas magis aperitur.* 326

Sect. VI. *De titulis à Mahometo gratis vſurpatis.* 330

Sect. VII. *Reſpondetur ad allata pro Mahometo.* 336

Sect. VIII. *Reſpondetur ad alia, quæ pro Mahometo afferuntur.* 341

Sect. IX. *Reſpondetur ad obiecta pro Alchorano, cæteriſque Mahometi libris.* 345.

Sect. X. *Concluditur, Mahomed impoſturam fuiſſe machinatum.* 348.

Sect. XI. *Excuſationes pro Mahometo adductæ refelluntur.* 355.

Sect. XII. *Cum ſanctis viris Mahomed non eſſe conferendum.* 360.

Sect. XIII. *Concluſio ex dictis.* 365.

D*E præcipuis Chriſtianæ Religionis myſterijs. Præfatio.* 369.

Tractatus tertius, De Sacroſancto Trinitatis Myſterio.

CAp. I. *Explicantur termini.* 371.

Cap. II. *Proponitur & explicatur Sacroſanctæ Trinitatis myſterium.* 375.

Cap. III. *Afferuntur teſtimonia ſacrarum Scripturarum, quibus probatur Sacroſanctum Trinitatis myſterium.* 379.

Cap. IV. *Probatur authoritate ſanctorum Patrum, & Conciliorum, Sacroſ. Trinitatis myſterium.* 383.

Sect. I. *Sacrorum Conciliorum, & ſanctorum Patrum ſententiæ, plurimum deferendum, in his quæ ad fidem pertinent.* 383.

Sect. II. *Quinam Chriſtiani veram Chriſti fidem profiteantur.* 387.

Sect. III. *Sacroſ. Trinitatis fidem, ab Apoſtolis vſque ad hæc tempora, ſemper in vera Chriſti Eccleſia viguiſſe.* 398.

Sect. IV. *Sanctorum Conciliorum, & Patrum authoritates, pro Sacroſ. Trinitatis myſterio.* 399.

Cap. V. *Probatur, ad hominem contra Mahometanos, ex eorum libris.* 419.

Cap. VI. *Oſtenditur Diuinarum Perſonarum diſtinctio.* 421.

Spiritum ſanctum à Patre & Filio procedere. 422.

Cap. VII. *Probatur Dei Filium verum Deum eſſe.* 424.

Cap. VIII. *Ex ſacris Scripturis probatur, Spiritum ſanctum eſſe verum Deum.* 425.

Cap.

Cap. IX. *Spiritus ſancti Diuinitas, ſanctorum Patrum authoritate, probatur* 431.
Cap. X. *Propoſitis ſatiſſit difficultatibus* 434.
Sect. I. *Satiſſit difficultati, primò propoſitæ* ibidem
Sect. II. *Satiſſit difficultati, secundò propoſitæ* 440.
Sect. III. *Satiſſit difficultati, tertio propoſitæ* 447.
Sect. IV. *Satiſſit difficultati, quarto propoſitæ* 452.
Sect. V. *Reſpondetur ad quintam difficultatem* 456.
Sect. VI. *Reſpondetur ad ſextam & ſeptimam difficultatem* 460.
Sect. VII. *Explicantur quædã de Spiritu ſancto propoſita* 464.
Sect. VIII. *Soluitur difficultas, ex Dei ſimplicitate allata, contra pluralitatem Diuinarum perſonarum* 465.
Sect. IX. *Soluitur difficultas, propoſita contra æqualitatem Diuinarum perſonarum.* 468.

Tractatus Quartus, De Chriſti Diuinitate.

P*Ræfatio* 475.
Cap. I. *Diuina afferuntur teſtimonia, Chriſti Diuinitatem teſtantia* 477.
Sect. I. *Teſtimonia, de Chriſti Diuinitate, ex veteri Teſtamento* 477.
Sect. II. *Afferuntur Diuina Teſtimonia, de Chriſti Diuinitate, ex Nouo Teſtamento* 486.
Sect. III. *Alia Teſtimonia, de Chriſti Diuinitate, ex Nouo Teſtamento* 494.
Sect. IV. *Teſtimonia, de Chriſti Diuinitate, ex Epiſtolis Pauli* 497.
Sect. V. *Ex vtroque ſimul Teſtamento probatur Chriſti Diuinitas* 500.
Sect. VI. *Ex diuinis Nominibus, Attributis, & Operibus, quæ Chriſto in ſacris Scripturis tribuuntur, eius Diuinitas probatur* 503.
Cap. II. *Probatur, auctoritate Conciliorum, & Patrum, Chriſti Diuinitas* 511.

Cap. III. *Probatur Chriſti Diuinitas, Teſtimonio Sibyllarum, & aliorum* 512.
Cap. IV. *Ex Mahometanorum libris, Chriſti Diuinitas probatur* 516.
Cap. V. *Quomodo Catholica fides, Verbi Incarnationem accipiat* 519.
Cap. VI. *Ad propoſitas reſpondetur difficultates* 532.
Cap. VII. *Reſpondetur ad ea, quæ ex Euangelio obijciuntur, contra Incarnationis Myſterium* 544.
Ex. *Dictis. Ad veram Dei legem ſuſcipiendam, Mahometani excitantur* 555.

IN-

INDEX RERVM NOTABILIVM.

Aaron mentionem facit Alchoranus. 6
Abdias prophetauit de initio Euangelicæ prædicationis per Apoſtolos. 190
Abraham Patriarchæ meminit Alchoranus. 6.9
Tentationis eius. 15
In tertio cælo, ex Mahometo. 167
Abraham, Iſaac, Iacob, & Noe, Mahometanos fuiſſe, effingit Alchoranus. 280
Abubachri ſeu Vbechar, Mahometi ſocer, & ſectator, & miles. 302
Actiones fiunt ſecundum naturam, & ſuppoſito tribuuntur. 525
Adami peccatum memorat Alchoranus. 15
eum in primo cælo eſſe, dixit Mahomet. 166
Adinuentiones contra Deum omnes tādem diſſoluuntur. 181
Vide, Impoſtura.
Adriano I. Summo Pontifice celebratur Concil. II. Nicænum. 52
Adriano II. Summo Pontifice celebratur Concilium quartum Conſtantinopolitanum. 53
Adulteri & fornicarij pœnis ſubijciuntur etiam per Mahometi legem. 237. 310
Adulteria Mahometi. 304.307.308 309. 311. 312
Adulterij & fornicationis prohibitio relaxatur à Mahometo. 271.272.
Adulteram à Iudæis lapidari, quomodo noluit Chriſtus. 125
Aequalitas Diuinarum Perſonarum. 468. 469. 470. 471. 472. 473
AGAR liber, multum authoritatis habet, apud Mahometanos. 265
Mahometi progeniem, recenſet & effingit. 297. 298. & ſeq.
Mahometo effingit ablatam fuiſſe guttam nigram de corde, & extinctum in eo peccati fomitem. 169.305.306
Mahometum iam virum ſupra trigeſimum annum, matrimonium conſummaſſe cum Aïa, adhuc octauum annum non excedente. 260.364
Alborachi fabulam narrat, & Mahometi aſcenſionē in cælū effingit. 165. & ſeq.
Alia quædam effingit ridenda miracula. 170
Adiutores Mahometi in Alchorani cōpoſitione fuiſſe quoſdam gladiorum artifices, Chriſtianos, captiuos Mecæ. 301
Quomodo Mahometus Zaido vxorem abſtulerit. 307.308.309
Lapidem Idolo aliquando inſeruientem venerari Mahometanos, ex Mahometi præcepto, 327
Cæremonias Idololatrarum Mechenſium retineri, ex præcepto Mahometi, à Mahometanis. 328
Agathone Summo Pontifice celebratur Concilium tertium Conſtantinopolitanum. 52
Aggæus, Chriſti aduentum prophetat. 190. 191.
Ahmed commendatur, eo quòd ſciſcitatus ſit rei veritatem per rationem & diſcurſum, tanquam homo, & non per arma ſeu per vim, quæ eſt beſtiarum & non hominum. 250
Albertus Magnus. 418
Alborach, iumenti genus effictum à Mahomet. 165. & infra.
Eius velocitas. ibidem, & 212
Primum ex iumentis ingreſſurum in Para-

Paradiſum, ex ſententia Mahomet. 165. 166
Alchauthar, ſons Mahometici Paradiſi. 197. 198

Alchorani loca in hoc opere allegata.

Capita quædam inſcribuntur Medinenſia, quædam verò Mechenſia. 284. 285
Plurimi tituli Alchorani inſulſi. 220

Cap. 1. *De Vacca.*

Illa Scriptura non habet ſuſpicionis notam aliquam. 45. 46. 291
Et ipſi Chriſtiani & Iudæi meditantur ſacras Scripturas. 7. 34
Num credetis quibuſdam Scripturis, & quibuſdam non? Qui talia facit punietur. 9. 10
Cumque diuideret Talut (ſcilicet Gedeon) milites, dixit: Deus probabit vos in fluuio. 15
Et occidit Dauid Goliath, & dedimus ei Regnum. 16
Et ſuſcepit Adam à Deo verba miſericordiæ, &c. Ecce veniet à me miſſus ad vos magiſter, & quicumque obedierit ei ſaluus erit. 120. 262. 263
Et quidam colunt imagines, & tribuunt eis diuinum cultum, fideles autem maiori cultu Deum venerantur. 149
Maledictio Dei ſuper infideles. 194
Illi quibus dedimus Scripturas, & in vero earum ſenſu accipiunt, illi ſunt fideles. Qui autem non ſuſcipiunt, infideles ſunt & damnandi. 194
396. 498.
Et quod accidit duobus Angelis in Babylonia, Haruta, & Maruta. 211
Licet vobis nocte ieiunij copula, &c. Et bibite & comedite, &c. 215. 244.
Diabolus præcipit turpia. 225. 248
Vino ineſſe iniquitatem. 255. 269
Quomodocumque copulam cum vxoribus licere. 259. 327
Vxorem tertiò dimiſſam, non licere amplius ſuo viro, niſi alterius libidini ſubijciatur. 259
Vultum vertendum tempore orationis verſus templum Mecæ. 270
Ieiunium Iudæorum præſcribitur Mahometanis. 271
Et menſe Ramadan, quando datum dicit Alchoranum. 271. 284
Lex circa Teſtamentum. 272
Certè quod Mahometani, & Iudæi, & Chriſtiani, & Pagani aſſequentur mercedem à Domino, & non erit contra eos timor nec contriſtatio. 43
286. 385. 415. 497
Numquam te gratum habebunt, neque Iudæi, neque Chriſtiani. 287
Damnatorum pœna non minuetur. 292
Alchoranum datum fuiſſe Moyſi. 293
Si tu ſectatus fueris deſideria eorum, peccator eris. 306. 307
Sanctificauimus Chriſtum Spiritu ſancto. 338. 419. 426. 516

Cap. 2. *De familia Amram.*

Miſit Deus legem Moyſi; & Euangelium ad dirigendos homines. 7. 226. 227
290. 291
Dic, credimus in Deum, &c. & quod datum eſt Moyſi & Ieſu & Prophetis, non diſtinguimus inter eos. 9
Cumque animaduertiſſet Ieſus infidelitatem Iudæorum, dixit: Quis erit mecum pro Deo? Reſponderunt Apoſtoli: Nos. 41
Afferte legem Moyſi, & perlegite eam, ſi verum loquimini. 44
Dixit Ieſus: Ecce creo vobis volucres, & ſano infirmos, & ſuſcito mortuos, &c. in probatione eius quod operor, & dico vobis &c. 114. 158. 383. 482

Paradiſus cuius amplitudo cælum & terra paratur iuſtis. 196
Domine Deus noſter, ne ſeducas corda noſtra. 294
Non nouit quid ſignificet Alchoranus, niſi Deus. 213. 281
Interfectores iuſtorum, in infernum detrudentur. 246. 247
Ieſu Chriſti Matrem eſſe ſororem Moyſi & Aaron. 276. 277
Primum Deo conſtructum templum, dicit templum Mecæ.. 280
Non eſt in hominis poteſtate, vt det ei Deus ſpiritum prophetiæ. 314
Qui ſectatus fuerit aliam legem præter Mahometicam damnabitur. Sic dicit impoſtor Mahometus. 286
Commendantur, & mox vituperantur Hebræi & Chriſtiani. 288
Dicit Alchoranus blaſphemans ibi: Et doloſe egit Deus: & Deus eſt omnibus doloſè agentibus magis doloſus. 294

Cap. 3. De mulieribus.

O fideles, credite in Deum, &c. & Scripturam quam tradidit iam pridem. 6. 28
Abraham, Iſmael, Iſaac, Iacob, Tribus, Ieſu, Iob, Ionas, Aaron, Salomon, & Dauidis pſalmos, & quoſdam Apoſtolos notos fecimus tibi, quoſdam verò non. Et locutus eſt Deus ad Moyſen. 6
Mentionem fac de Eſdra, quia ipſe fuit Propheta. 7
Qui non omnes ſcripturas ſuſcipiunt, infideles. 8. 9
Chriſtus eſt Verbum Dei, & Spiritus ab eo. 22. 59. 419. 435. 516 517
Quidam ex Iudæis delent verba de locis ſuis. 64
Aut maledicemus eis, ſicut malediximus Sabbatizantibus. 144
Sufficit Dei teſtificatio. 185
Copulam propinquarum prohibet. 234 312
Plures vni ſimul vxores permittit. 351.
Deus verax, & fidelis. 275. 276
Non eſt à Deo ſermo, in quo contradictoria inuoluuntur. 283. 284
Vocat hìc Alchoranus Deum deceptorem. 294
Deus eſt immenſus. 425
Iudæos tentaſſe Chriſtum crucifigere; tamen non eum, ſed eius imaginem crucifixiſſe. 492

Cap. 4. De Menſa.

O Scripturarij, vos non eſtis quicquam, niſi credideritis Tora & Euangelio. 10. 395
Quidam cibi prohibentur. 254. 269
Vinum eſſe opus Diaboli. 255. 269
Tora, ſeu legem Moyſi, & Euangelium eſſe regulam, & lucem. 291
Chriſtianos ſaluari. 286. 385. 415. 497
Miracula quædam Chriſti. 482
Effingit colloquutionem, inter Deum & Ieſum in cælo. 491
Iudicem eſſe venturum. 507

Cap. 5. De Brutis.

Et Zacharias, & Ioannes, & Ieſu, & Elias omnes Sancti: & Iſmael, & Eliſeum, & Ionâ & Loth exaltauimus. 17
Dicunt: Non miſit Deus quicquam ad homines. Reſponde: Ecquis miſit Scripturam quam attulit Moyſes in lucem & directionem hominum, quâ ſcribitis in chartis? 28
Homines & Diaboli ſibi inuicem machinantur impoſturas. 155
Et quando venerit Alchorani articulus, dicunt: Nequaquam credemus: niſi oſtendatur nobis ſicut oſtenſum eſt per Dei Apoſtolos. 163
Etiam ſi Angelos mitteremus ad eos, & loquerentur eis mortui, & ſuſcitaremus

mus ad eos omnia, non eſſent credituri, niſi vellet Deus. 163. 172
Num fortè reſpicient, niſi venerint ad eos Angeli, aut Dñs tuus, aut aliqua miracula à Domino tuo? Die qua venerint talia, non proderit animæ fides eius, ſi non crediderit ante viſa ſigna, &c. 163
Et non eſt brutum, ſeu iumentum, neque auis, aliud, niſi gentes ſimiles vobis hominibus. Et ad Dominum Deum ſuſcitabuntur. 221
Cibi aliquot prohibentur. 254. 269
Mahometum ignoraſſe occulta. 357
Quomodo eſt Deo filius, cum non habeat vxorem? 420

Cap. 6. De Muro.

Non intrabunt in cælum, ita vt facilius tranſeat camelus per foramen acus. 20
Mahometum neſciſſe occulta. 356
Idiota & neſcius. 357. 358
Deus non præcipit turpia, ſed iuſta. 224 332
Cum perpetrant turpia, excuſant ſe dicentes, Deus præcepit nobis. 246 282. 332
Quis eo iniquior qui Deo mendacia aſcribit? 332

Cap. 7. De Spolijs.

Exuuias & prædam pertinere ad Deum & ad Mahomet. 239. 363

Cap. 8. De Pœnitentia.

Si ſeptuagies pro eis oraueris, nequaquam parcet eis Deus. 20
Ipſi quidem ex vobis proceſſerunt, ſed non ſunt ex vobis. 23
Dicunt Chriſtiani: Chriſtus eſt Filius Dei. 61. 394. 415.
Pugnate cum infidelibus. 178. 352
Quia Deus mercatus eſt à fidelibus animas eorum, &c. pollicitatione gloriæ, propterea pugnabunt pro Deo & occident alios, & occidentur etiam &c. & eſt hoc lucrum magnum. 178 352
Impij iniqua tractant, fideles verò iuſta 225. 226

Cap. 9. De Iona.

Si tibi occurrit dubitatio de Alchorano, interroga Chriſtianos & Iudæos. 7 30. 287. 385. 415. 498
Hic liber non eſt effictus ſine Deo: ſed eſt explicatio ſcripturæ illius, quæ nullam habet ſuſpicionis notam, quin ſit à Deo. 46
Non eſt in verbis Dei retractatio. 261

Cap. 12. De Tonitruo.

Etiamſi per Alchoranum mouerentur montes, aut dehiſceret terra, aut loquerentur mortui: tamen Deo repoſitum eſt omne negotium. 172

Cap. 15. De Ape.

Deus præcipit iuſta. 225
Vinum licere ait. 255. 270

Cap. 16. De Tranſitu.

Laus ei qui tranſtulit ſeruum ſuum, &c. vt videret ſigna ſua. 165
Et dixerunt: non credemus tibi, niſi hæc miracula feceris, &c. Reſponde: Laus Deo, numquid ſum ego aliud quàm homo, Apoſtolus? 161. 172
Si conueniſſent Angeli & homines, non poſſent

poſſent facere compoſitionem ſimilem Alchorano. 357

Cap. 17. De Antro.

Et progreſſus vlterius, donec perueniret ad locum, vbi occidit Sol, & reperit eum ſe demittere in fontem feruentem. 209. 356

Cap. 18. De Maria.

Mariam ſororem Moyſi filiam Amram, eſſe Ieſu Chriſti matrem. 276 277. 278

Cap. 20. De Prophetis.

Et iam ſcripſimus in pſalmo, quòd iuſti hereditabunt terram. 18

Cap. 22. De Fidelibus.

Et poſuimus filiũ Mariæ & matrem eius in ſignum. 21
Beati ſunt deuoti, humiles, recedentes à ludo, eleemoſinarij, & caſtè viuentes. 201

Cap. 23. De Luce.

Fornicarij & adulteri flagellandi. 237
Ad modeſtiam & virginitatem hortatur dolosè. 311. 321

Cap. 24. De Alſorcan.

Et non miſimus te, niſi annunciatorem, & comminatorem 163. 164
Alchoranum acceptum totum ſimul. 285

Cap. 25. De Poetis.

Hoc eſt ſcriptum in pſalmis antiquorum. 18
In inferno iniqui dixerunt: per Deum errauimus. 19

Cap. 26. De Formica.

Afferte probationem veſtram, quòd verum dicatis. Reſponde: Nemo nouit abſcondita, niſi Deus. 4
Quoniam tu non ſuſcitas mortuos, nec das auditum ſurdis, propterea retrocedunt. 171. 161
O formicæ introite in tabernacula veſtra, ne lædat vos Salomon. 210

Cap. 27. De Narratione.

Quis eo peruerſior, qui ſectatur concupiſcentiam ſuam? 201

Cap. 28. De Aranea.

Sufficit Dei teſtificatio, 4

Cap. 29. De Romanis.

Quia tu non ſuſcitas mortuos, neque das auditum ſurdis, propterea retrocedunt. 161. 171.

Cap. 32. De Hæreſibus.

A ſe cognitas, nulli licere voluit. 318
Commendatur, inter cæteras virtutes, caſtitas, modeſtia, virginitas. 310
Præceptum Dei æquum in menſura. 216
Peculiariter ſibi Mahometus etiam pro-

pinquarum copulâ licere vult. 235. 311
Conatur oẽs pellicere ſibi. 315. 316. 317
Sibi etiam ad libitum vxores pertractare ait licere. 237. 317
Mahomet vxorem Zaido reſtituere prohibetur. 238. 267. 352.
Adulter. 307. & ſeqq.

Cap. 33. De Saba.

Diaboli non animaduerterunt Salomonẽ eſſe mortuum, donec caderet cadauer eius. 214

Cap. 34. De Creatore.

In Dei lege non eſt retractatio. 261

Cap. 35. سورة يس

Venit de vico ciuitatis quidam currens & dicens: O populę, ſequimini Apoſtolos, quia non petunt mercedem, & ſancti ſunt. 42. 108. 158

Cap. 36. De Hierarchia.

Et Elias fuit vnus ex Prophetis, cum dixit populo ſuo: Cur inuocatis Baal, & relinquitis Deum. 16. 17

Cap. 37. De litera ص

Ne ſequaris concupiſcentiam, quia abducet te à via Dei. 241. 326

Cap. 39. De Credente.

Nõ poteſt Apoſtolus facere ſignum aliquod, niſi ope Dei, quando verò adeſt opus Dei, agnoſcitur veritas, & deficiunt ibi impoſtores. 157

Promiſſio Dei vtiq. fidelis. 184

Cap. 40. De Lampadibus.

Non dicitur tibi, niſi quod dictum eſt ad Apoſtolos ante te. 267
In poſterum non veniet lex ſeu Propheta à Deo. 484

Cap. 41. De Conſilio.

Mahometum neſciſſe quid ſignificarent Alchorani verba. 281. 282
Et neſciſſe fidem. 303. 356

Cap. 42. الزخرف

Et cum Ieſus faceret miracula, dixit: Veni ad vos, vt explicem quædam in quibus eſt controuerſia. 114. 115

Cap. 43. De Fumo.

Vna quadam nocte acceptum fuiſſe Alchoranum. 285

Cap. 45. الاحقاف

Affer te ſcripturas traditas à Deo ante hunc librum. 4. 6
Audiui Diabolorum cateruã dicentem: Audiuimus librum miſſum à Deo poſt librum Moyſi, veridicum confirmatorem. 77. 248. 249
Et ante eum, liber Moyſi in obedientiam & miſericordiam, & hic liber veridicus, lingua Arabica. 29. 46

Cap. 46. De Mahomed.

Infideles ſectantur mendacia, fideles verò ſequuntur veritatem Dñi ſui. 45

Cap.

Cap.47. De Apertione.

Exemplum illud & parabola reperitur in Euangelio: Sicut ſemen profert germen ſuum & dureſcit, & creſcit, & adæquatur in culmo. 21

Mahomed Apoſtolus Dei. & qui cum eo duri contra infideles pij inter ſe, &c. 204

Nos tibi aperuimus apertionem magnã, vt dimittat tibi Deus peccata præterita, & futura. 305. 363

Cap.53. De Luna.

Aduenit tempus, & ſciſſa eſt Luna, & ſi vident ſigna, dicunt: hæc eſt incantatio pertranſiens. 164. 170

Cap.56. De Ferro.

Deinde ſuppleuimus per Ieſum, & poſuimus in corde Diſcipulorum eius pietatem & religionem. 42

Cap. 57. De Altercatione.

In Sanctorum corde Deus ſcripſit fidem, & ſanctificauit eos Spiritu procedente ab eo. 23

Cap. 65. De Prohibitione.

Permittitur viris copula cum ancillis, etiam vxoribus contradicentibus. 239 267. 268. 271. 352.

Mariam filiam Amram, ſororem Moyſi dicit Virginem Chriſti matrem. 278

Mahometus adulter eſſe deprehenditur & periurus. 304. 363

O Propheta, cur prohibes quod Deus permittit. 307

Cap. 67. De Calamo.

Iuramenta friuola. 218

Cap.71. De Diabolis.

Diabolos eſſe profeſſores Alchoranicæ legis. 249

Cap. 74. De Reſurrectione.

Non iurabo per diem reſurrectionis. 219

Cap. 78. Nàzeàt.

Qui abnegauerit ſe à concupiſcentia, hic intrabit in Paradiſum. 201. 263

Qui inſolenter egerit, & prætulerit vitam huius ſæculi, in infernum detrudetur: qui verò abſtinuerit à concupiſcentia, in Paradiſum ſuſcipietur. 201 242

Iuramentis inſulſis incipit. 217

Cap. 80. De Faſciæ inuolutione.

Quando beſtiæ ſuſcitabuntur. 221. 276

Cap. 84. De Zodiaci faſcia.

Iuramenta friuola. 218

Cap. 88. De Aurora.

Iuramenta inſulſa. 217

Cap. 89. De Prouincia.

Non iurabo per hanc prouinciam. 219

Cap 90. De Sole.

Iuramenta inſulſa. 218

Cap. 92. De progreſſu Solis.

Nonne inuenit te orphanum, & protexit: & reperit te errantem, & direxit: & reperit te pauperem, & ditauit. 303. 363

Cap. 94. De Ficu.

Iuramenta inſulſa. 218. 220

Cap. 96. Elcadar.

Vna quadam nocte acceptum fuiſſe Alchoranum. 285

Prӕterea.

Alchoranus fatetur ſacras Scripturas, ante Mahometum traditas hominibus 4. 5. 6. 7
Eas extare in Orbe. 4. 6. 7.
Extare apud Iudæos, & apud Chriſtianos. 7. 14
Eſſe Chriſtianos, fideles Scripturarum interpret. 7. 30. 287. 384. 385. 415. 498
Fatetur pſalmos, Dei afflatu, à Dauid cõpoſitos. 6
Omnibus ſacrarum Scripturarum libris eſſe fidem adhibendam. 6. 8. 9. 10
Eſſe infidelem eum, qui non ſuſcipit omnes, & damnandum. 8. 9. 10. 194. 396 498
Fatetur Mahometum non nouiſſe omnes Prophetas aut Apoſtolos. 6. 8
Eam fidem inanem eſſe, quæ non eſt iuxta regulam ſacrarum Scripturarum. 10. 395. 396
Fatetur Teſtamentum Nouum & Vetus, ſeu Tora & Euangelium. 7. 9. 10
Nominatim libros Iob, Ionæ, Salomonis, Eſdræ, Pſalmos Dauid, Euangelium. 5. 6. 7. 8
Nominatim fatetur libros ſacros. 14
Nominatim authores à Deo inſpiratos. 14
Nominatim ſanctos Prophetas Eliſeum, Eliam, Zachariam, Ioannem Baptiſtam, Ionam, Dauid, &c. 16. 17
Nominatim poſſeſſores & meditatores ſacrarum Scripturarum recenſet. 14
Ex libris Moyſi plura loquitur Alchoranus. 14. 15
Ex libro Iudicum. 15. 16
Ex libr. Regum. 16. 17
Ex lib. Eſdræ. 17
Ex lib. Eſther. 17
Ex lib. Iob. 17
Ex Pſalmis. 17. 18
Ex libris Salomonis. 18. 19
Ex Prophetarum libris. 19
Ex Euangelijs. 19. 20. 21. 22
Ex Epiſtolis Pauli. 22. 23
Ex Epiſt. Ioannis. 23
Ex Apocalypſi. 23
Alchorani fides nulla eſt in quibus repugnat Veteri aut Nouo teſtamento. 29 30. 31. 295
Alchorani author neſciens loquebatur, vel malitioſè. 517
Alchoranum, cæteroſque libros Mahometicæ ſectæ, inintelligibiles eſſe hominibus, dixit Mahomet. 213
In Alchorani probationem, nullum verum perpetratum fuiſſe miraculum. 161. vſque ad 174
Alchorani legem, ideo in Orbe propagatam, quia carnis fræna relaxat, & vi cogit quos poteſt. 177. vſque ad 183
Alchorani infidelitas. 193. vſque ad 207
Alchorani inſipientia. 208. vſque ad 222
Iniuſtitia. 233. vſque ad 252
Mendacia. 274. vſque ad 283

Alchoranus, confuſa compoſitio. 253 vſque ad 257
Furtim incedit ad inſtar latronis. 256
Tamquam lacera veſtis ex ſciſſuris. 257
Plura ex ſacra Scriptura deſumpſit ad fucum iniuſtitiæ. 257
Alchorani lex, oculos mentis excæcat. 257. & 253. & ſeq.
Alchorani inhoneſtas. 258. 259. 260
Alchoranicæ legis inconſtantia. 266 vſque ad 272. & 253. vſque ad 257.
Alchorani lex permittit fornicationem, & adulterium. 267. 271. 272
Vxores quocumque modo adeundi. 326 327
Alchorani ſenſum, & quid ſignificent eius verba Deum tantummodo noſcere dicit Mahomet in Alchorano. 281. 282. 213
Alchoranus ſibi contradicit. 284 vſque ad 294
Alchoranum lingua Arabica acceptum, ipſe Alchoranus ait. 29. 46
Alchoranum ſimul vnico contextu totũ ſibi traditum, fingit Mahomet, in vna nocte menſis Ramadan. 284. 285
Alchorani capita aliqua efficta Medinæ, & aliqua efficta Mecæ, & ſucceſſiuè vnum poſt aliud, & non ſimul. 284 285. 299. 300
Alchoranum traditum fuiſſe Moyſi mentitur Mahomed. 293
Alchoranum ſeu Alforcanum, totum (dicit Mahomed) recitare ſolitum Dauid, breuiſſimo temporis ſpatio. 293
Alchoranus blaſphemias in Deum obloquitur. 294
Alchoranus impoſtura Mahomet eſt, & non Dei ſcriptura. 295. 296
Alchoranum nulla ratione potuiſſe ſubrogari in Euangelij locum. ibid.
Alchorani fides nulla eſt. 296
Mentitur contra totius Orbis conteſtationem, dicens, Chriſtum non dixiſſe, ſe eſſe Deum. 491. & ſeqq.
Dicit, non Chriſtum, ſed eius imaginem Iudæos crucifixiſſe. 492
Vide. Lex Mahometica, ſeu Alchoranica.
Alete, Aloza, Idola quæ Mecæ colebantur. 297
Coluit ea Mahomet. 298
Alexander Aleuſis. 418
Alexander Magnus obſerauit gentes Gog & Magog, ex dicto Mahomet. 210
Alexandro III. Summo Pont. celebratur Concil. iij. Lateranenſe. 53
Alhozeni filius Ali, & interfector Mohaiæ, occiditur ab eius conſanguineo. 205
Ali, Mahometi gener & diſcipulus, Othmani interfector, occiditur à Mohaia. 205
Alteratio, quid. 528
Nomen (Altiſſimus) abſolutè, in Scripturis, ſoli Deo vero tribuitur. 504
Ambroſius Mediolan. Epiſc. cum Chriſti Deitate Diuinam aſſerit Trinitatem. 409
Amor Deo eſſentialis & notionalis. 461
Per amoris exercitium, Pater & Verbum producunt Spiritum ſanctum. 461 & ſeqq.
Amos, de Chriſti regno prophetauit. 190
Andreas & Petrus quomodo à Chriſto vocati. Nec in eo ſanctos Euangeliſtas diſſentire. 81. 82
Angelos iuſſos à Deo homini ſe ſubdere, & vt hominem adorarent, dixit Mahomet. 212
Angelos morituros, dixit Mahomet & Alchoranus. 211
Angelos duos deſcendiſſe quotidie de cælo, ad iudicium inter Babylonios ferendum. 211
Angelos, nomine Maruta & Haruta, adulterium attentaſſe, eorumque pœna, ſecundum Mahomet. 211
Angeli interrogantes hominem in ſepulchro, ex poſitione Mahomet. 206 207
Angeli efformati ex igne, ſecundum Mahometi fictionem in Alchor. 282

An-

Angelus mortis effictus à Mahomet. 167
Angelorum monſtruoſæ formæ à Mahomet efficta. 166. 167. 168. 212
Anima inuiſibilis eſt, licèt in corpore viſibiles operetur effectus. 91. 92
Anima rationalis per vnionem ad corpus, mutatur & perficitur intrinſecè, & quare. 528. 529
S. Annæ Matris B. M. V. ſanctitas & deuotio, etiam fatente Alchor. 277. 278
S. Anſelmus aſſerit cum Chriſti Deitate Sacroſ. Trinitatem. 417
Apollinaris error, de perſona Chriſti. 386. 520. 526.
Apoſtolorum Chriſti ſanctitas, ex ipſo etiam Alchor. 40. 41. 42. 43. 108. 158
Apoſtoli dicti Elhauariuna: ideſt coadiutores Prophetarum. 40. 41
Apoſtolis à Chriſto tributa gratia miraculorum. 156. 157
Apoſtolorum Chriſti miracula. 42. 108 158
Apoſtolorum tempore non potuerunt vitiari ſacræ Scripturæ, quod illorum ſanctitas numquam permiſiſſet. 41 & ſeqq.
Apoſtoli, ante Chriſti paſſionem imperfecti, poſtea Spiritus ſancti virtute roborati. 88. 89. 550
Apoſtoli dicuntur filij Dei, adoptiui ſcilicet & per gratiam. 88. 89
Apoſtolos perfici ſanctitate poſt Chriſti paſſionem, & non antea, fuit conueniens. 91. 550
Apoſtoli per totum Orbem Chriſti fidem prædicauerunt. 108. 109
Apoſtoli diuerſis regionibus occubuerunt, ſeu martyrio coronati ſunt. ibid.
Apoſtoli, & Chriſti miniſtri, qua ratione claues cæli habere dicantur. 537
Per Apoſtolos, Orbi Chriſtus inſinuauit Præcepta ſua. 130. 131
Apoſtoli prædicauerunt ſacroſ. Trinitat. Myſterium. 381. 382. 398 399. 426. 427. 424
Et Chriſti Diuinitatem aſſeruerunt. 424
Apparitiones Chriſti poſt reſurrectionem. 105. 106
Applicatio meritorum Chriſti ſecundum eius ordinationem. 534
Per Sacramenta. 535. 537. 538
Arbor in cælo à Mahometo efficta, nomine Beatitudo. 196. 197
Arcam Noe memorat Alchoranus. 15
Archiſynagogi filia à Chriſto ſuſcitata. 109. 110
Ariſtocratia ſeu gubernatio optimatum in communem Reip. vtilitatem. 233
Arij error de Diuina Trinitate & de perſona Chriſti. 386. 389. 520. 526
Damnatur in Conc. Nicæno, 49. & ſeqq.
Moritur impœnitens turpiter. 49
Armis, bello, & vi defenditur Mahometi lex, non autem ratione. 177. 178 179. 249. 250. 302. 352
Armis & vi non licet ad fidem cogere. 179. 180
Inter Arphaxad & Sale, cur generatio Cainan interpoſita. 78. 79
Aſa adhuc octo annorũ, oppreſſa à Mahometo, iam trigeſimum annum excedente. 260. 364
Aſſamail, liber quidam Mahometanorũ, refert, Mahometum vndecies in hora cõcubere ſolitũ. 259. 260. 318. 319. 358
S. Athanaſius refert ſententias ſanctorũ Doctorum & Patrum, Chriſti Diuinitatem & Dei Trinitatem aſſerentium. 402. 403
Ipſe etiam aſſerit, tam Diuinarum perſonarum Trinitatem, quàm Chriſti Diuinitatem. 405. 406
Athenagoras vir doctiſſimus ſacroſ. Trinitatis myſterium, cum Verbi Diuinitate, aſſerit. 401
Meminit Sibyllinorum oraculorum. 512
Attributa Diuina pariter & humana Chriſto conueniunt, qua ratione, & quomodo. 520. 521. 524. 525. 532. 533
Auctoritate, vel ratione, rei veritatem inquirimus. 3
Auctoritas Diuina omnem veritatem attingit. 3
S. Auguſtinus, tam Chriſti Deitatem, quã Diuinam Trinitatem aſſerit. 411. &c.
Sibyllarum mentionem facit, carumque ora-

oraculorum. 511. 514
Auicennæ opinio, de Beatitudine, & vltimo hominis fine. 200
Auium ſeu volucrum exercitus, ex Mahometo, ſub Salomone militans. 210
Aulus Gellius meminit Sibyllinorum oraculorum. 512

BAbylonis vaſtatio, ab Iſaia prænunciata. 316
Baptiſmi Sacramentum à Chriſto inſtitutum. 535
Neceſſarium omnibus ad ſalutem. 538
Baruch prophetat Verbi Incarnat. 188
S. Baſilius Magnus, Epiſcopus Cæſarienſis, non ſolum aſſerit Trinitatis myſterium, & Chriſti Diuinitatem, ſed etiam texit ſeriem antiquiorũ Patrũ, vtrumque Chriſtianæ fidei myſterium aſſerentium. 406. & ſeqq.
Baſilio Imperante celebratum eſt Conc. iv. Conſtantinopolitanum. 53
Beatitudo in quo conſiſtat. 193. 199. 200
Beatitudo rationalis creaturæ, viſio Dei cum fruitione. 118 119. 193. 199. 200
Eſt vltim' finis, quo adepto, ſiſtit ibi. 203
Ratione vtentibus tantummodo conuenit: non brutis. 193
Eatenus creaturæ tribui poteſt, quatenus Creatori aſſimilatur. 193
Mahometus fabulatur, beatitudinis etiã bruta eſſe capacia. 165. 166. 193. 221. 281
Præcipuè in carnis voluptate eam ſitam eſſe cenſuit Mahometus. 196. vſque ad 199. & 202. 203. 204
Quiſque ſibi iuxta ſuam propenſionem effingebat. 203. 204
Vide, Paradiſus.
Beda Venerabilis aſſerit cũ Chriſti Deitate ſacroſ. Trinitatem. 415
Bellum præcipitur à Mahomet Mahometanis, contra omnes qui Mahometani non eſſent. 178. 352
S. Bernardus aſſerit, tam Chriſti Deitatem, quàm Sacroſ. Trinitatem. 417
Biblia ſacra, Latina, Vulgatæ editionis, authentica. 54
Blaſphemiæ Alchorani & Mahometi in Deum. 294
Boetius aſſerit Sacroſ. Trinitatem & Chriſti Deitatem. 414
Bonitas increata, & creata, eſſentialis, & accidentalis. 545
Nemo bonus niſi ſolus Deus, quomodo. 545
Borach. Vide, Alborach.
Bouis cornu, ſecundum Mahomet, terra ſuſtinetur. 208
Bruta non ſunt beatitudinis capacia. 193
Mahometus verò dixit, eſſe capacia. 165. 166. 193. 221. 281
Illa etiam reſurrectura, Mahometus dixit. 221. 276
Item, in ſuis operationibus mereri & demereri. 221. 222. 281
Item, eſſe gentes & populos, ſicut homines. 221. 281

CAdauer ab Angelis in ſepulchro interrogatur, & ſecundum demeritũ punitur, ex poſitione Mahomet. 206 207
Cæleſtino I. Sum. Pont. celebratum eſt Concilium Epheſinum. 51
Cæremoniæ Idololatrarum Mechenſium à Mahometanis retinentur, ex Mahometi præcepto. 328
Camela quædam fabuloſa per Mahometum. 214. 215
Carnalia per Mahometi legem præcepta. 243. & ſeqq.
Carnalis copula, ſecundum Mahometum Paradiſi gloria. 346. 347
Caro Chriſti. Vid. Corpus Chriſti.
Catholici Chriſtiani qui nã, & qui Hæretici. 385. vſque ad 399
Petri Succeſſorem Romanũ Pontificem Caput agnoſcunt. 392. & ſeqq.
Caſtitas elegantiſſima virtus. 319. 320
A Mahometo etiam commendatur. 310 311. 321
Cauſa ſeu titulus reddit paſſionem decoram vel indecoram. 542
Cauſæ omnes Mahometicæ legis in eam influunt iniuſtitiam. 247. 248
Cælos ex fumo formatos dicit Mahomet 212. 281

Piu-

Plura fabuloſa à Mahometo in cælis efficta. 166.& ſeqq.
Primum cælum dicit ex argento. 166 212
Secundum ex auro. 167. 212
Tertium ex lapide prætioſo. 167 168
Quartum ex ſmaragdo. 167
Quintum ex adamante. 168
Sextum ex carbunculo. ibid.
Septimum ex Diuina luce. ibid.
Carealis Epiſc. aſſerit ſacroſ. Trinitatem & Chriſti Diuinitatem. 413
Caliſto II. Summo Pontifice celebratur Concilium Lateranenſe Primum. 53
Carolo V. Imperante inchoatur Concilium Tridentinum. 54
Chaldaica paraphraſis. 66. 67
Chamuſi Dictionarij author, Mahometanus inſignis, verba ex pſalmis allegat, illa præcipuè ex 2. pſalm. Filius meus es tu, &c. Et de Chriſto Ieſu fatetur intelligenda. 18. 58. 186 395. 420. 435. 478. 479. 518
Fatetur Lazarum à Chriſto ſuſcitatum. 22
Apoſtolorum nomẽ الحواريون quo nomine cenſentur ab Arabibus, ſignificare coadiutores Prophetarum. 40 41
Dictionem الربّ abſolutè Deo ſoli tribui. 503. 504
Cherinthi error de perſona Chriſti. 386 519
Chriſtiani non vitiauerunt ſacras Scripturas. 32. 33
Non conuenerunt cum Iudæis ad eas vitiandas. 33
Sunt fideles Scripturarum interpretes, ipſomet fatente Mahomet & Alchorano. 7.30.34.287.385.415.416.498
Salutem æternam conſequuntur, etiam Alchorano fatente. 43. 193 194. 285. 286. 385. 415. 416. 497
Vera credunt, & non falſa, ex conceſſione etiam Alchorani, & Mahometi. 44. & ſeqq.
A Mahometo & Alchorano nunc commendantur, nunc verò tamquam infideles arguuntur. 285. vſque ad 290
Chriſtiani, Iudæi, Mahometani, in quo præcipuè diſſentiant. 195
Chriſtiani veri, Chriſtum Dei Filium confitentur. 60. 61. 394. 395. 415
Et Sacroſ. Trinitatis Myſterium. 416
Chriſtiani veri qui ſint. 387. vſque ad 397
Ili ſunt, qui ſecundum Euangelia & ſacras Scripturas, & prout à Chriſto per Apoſtolos acceptum eſt, Chriſti fidem profitentur. 394. & ſeqq. 416
Chriſtiani veri, à Chriſto denominationem accipiunt: Pſeudochriſtiani vero ab Hæreſiarcha. 389. & ſeqq.
Chriſtiani non veri, ſeu Pſeudochriſtiani, Hæretici. 388. vſque ad 397
Chriſtiani veri, cognomento Catholici. 388. & ſeqq.
Petri Apoſtolorum Principis Succeſſorem, ideſt Romanum Pontificem, caput agnoſcunt, tamquam Chriſti Vicarium. 391. & ſeqq.
Chriſtianorum Concilijs, ſicut & Patribus, fidem præſtare debere Mahometanos, ex ipſomet Alchorano conuincitur. 52. 383. & ſeqq.
Chriſtianos decet honeſtiores eſſe profeſſoribus olim Moſaicæ legis. 126 127
Chriſtiana lex, non à Conſtantino deriuata, ſed à Chriſto. 50. 51. 395 vſque ad 419
Ipſa ſola verum Deo cultum reddit. 52. 557
Vide, Lex Euangelica.
Chriſti Diſcipuli. 187
Vnanimes. 205. 206
Vide, Apoſtoli, Diſcipuli.

Chriſtus Deus.

Chriſti Diuinitas probatur teſtimonio ſacrarum Scripturarum. 57. & ſeqq. 186. & 477. vſque ad 511.
Teſtimonio SS. Patrum & Conciliorum. 399. & ſeqq. 511.
Teſtimonio Sibyllarum, & aliorum. 512. & ſeqq.
Teſtimonio ex libro Camus, & aliorum Mahometanorum. 58. 59. 60. 419. 420. 478. 479. 516. & ſeqq.
Ex miraculis ab eo perpetratis. 509 & ſeqq.
Teſtimonio ipſiuſmet Dhriſti. 486 & ſeqq.
Abſolutè Deus dicitur in Scripturis. 504
Dominus. 504. &c.
Iehouah. 483. 504. & ſeq.
Primus & Nouiſſimus. 502
Verus Deus. 498. 548
Vita æterna. 498
Deus gloriæ. 505
Rex gloriæ. 505
Altiſſimus. ibid.
Dominus dominantium, ibid.
Adorandus. 508
Aeternus, 506
Immenſus. ibid.
Optimus. 507. 508
Dei Filius à Deo Patre genitus. 57. 58 456. & ſeqq. 477. & ſeqq. 486. & ſeqq. 517
Coguntur fateri etiam Mahometani. 185. 362
Dei Verbum, etiam Mahomet fatetur. 22. 58. 59. 60. 362. 419. 435. 516. 517
Dei Sapientia. 421. 452. & ſeqq. 460 507
Vnigenitus Dei. 447. 448. 548
Verus Dei Filius. 548
Omnipotens. 506. &c.
Creator. 508
Conſeruator. 508
Dicitur Lux, Splendor, Imago, &c. 375
Incarnatio eius. 186. 188. 405. 406

Chriſtus homo.

PROGENIES. 185. &c
Genealogia Chriſti. 68. & ſeqq.
Cur diuersè à Matth. & Luca texatur. 68. & ſeqq.
Eius aduentus prænunciatur. 185. 189
Conceptus. 186. 188
De Spiritu ſancto ex Virgine, etiam fatentibus Mahometanis. 22. 59. 60. 475 476
Natiuitas. 186. 192
Vbi futura eſſet prædicitur. 190. 506
Ex Virgine. 188. 347. 348. 475. &c.
VITA. 188. 483. 506
Decuit communem vſum ſeruare in victu. 86
Prudens reſponſio eius ad Iudæos, de adultera ad lapidationem expoſtulata. 125
Tentari à diabolo fuit conueniens. 542 & ſeq.
Prædicatio. 187
Oretenus prædicauit, & non volumen Euangelij proprium ſcriptum reliquit 26. & ſeqq.
Reuelauit nobis tàm Sacroſ. Trinit. Myſterium. 381. 382. 398
Quàm Diuinam Filiationem & Deitatẽ ſuam. 486. & ſeqq.
Diſcipuli. 187
Vnanimes. 205. &c.
Ipſe primus ſua præcepta exequebatur. 231. & ſeq.
Conſcenſus eius ſuper aſinæ pullum, prænunciatur à Zacharia. 191. 336 & ſeq.
Qua ratione oraret, cum eſſet in perſona Deus. 547
Sanctitas, Innocentia, bonitas. 186 189. 360. 361. 507. &c.
Quo modo dixerit, teſtimonium ſuum verum & non verum. 92. & ſeq.
Quomodo: Nemo bonus, niſi Deus. 545
Verum teſtimonium eius. 486 & ſeqq.

Confirmatum ſeu plenum Spiritu ſancto etiam Mahometani teſtantur. 338 419. 426. 516
Peccare non poterat. 493
Eius virtutes & actiones nobis imitandæ. 143
Quædam verò admiranda tantum. 146 147
MIRACVLA. 114. 158. 187. 383 481. 482. 509
Præſciebat futura, & cordium cogitationes intuebatur. 509
Miracula à nemine prius facta perficiebat. 360
Propria virtute miracula perpetrabat. 509. 510
Etiam Mahomet fatetur eam Chriſti potentiam. 157. 158
POTESTAS, Imperium. 111. & ſeqq. & 187. 193
Potuit legi Moyſi derogare: etiam ex Alchorano. 111. vſque ad 115. 158 383. 482
Abrogauit, ex pertinentibus ad Moſaicam legem, quædam per ſe, quædam per Apoſtolos ſuos. 130. 131
PASSIO. 187. 191
Diſperſio Diſcipulorum eius, tempore paſſionis ipſius, prædicitur. 191
Crucifixus à Iudæis, & quare. 591. &c.
Chriſti imaginem, & non ipſum crucifixum, fabulatur Alchoranus. 492
Vulnera præuidentur. 187. 191
Mors. 187. 188
Quando futura eſſet, prædicitur. 189
Mahometus negat mortem & crucifixionem Chriſti. 492
Sepelitio corporis eius. 193
Deſcenſus animæ eius ad inferos. 189
MERITVM, & ſatisfactio pro peccatis. 135. 187. 188. 191. 534. 539 540. & ſeqq.
Infiniti valoris meritum, & qua ratione. 136. 534
Omne meritum Sanctorum ab ipſo, tanquam à fonte, deriuatur. 552. 553
Solus ipſe potuit condignam ſatisfactionem Deo reddere. 136
RESVRRECTIO. 104
Potuit ſe ſuſcitare & qua ratione. 93
Qualiter die tertia. 104. 105
Quo ordine Diſcipulis & mulieribus rediuiuus apparuerit. 105. & ſeqq.
ASCENSIO. 492
Qua ratione ſedere à dextris Dei dicatur. 547. 548
Efficta colloquutio in Alchorano inter Deum & Chriſtum. 491
Mahomet fabulatur, Chriſtum eſſe in ſeptimo cælo. 168
GLORIA. 186. 187. 505
Omnem excellentiam Chriſto tribuunt Mahometani, præter Diuinitatem. 475
PRAESENTIA eius in Sacramento Euchariſtiæ. 137. 138. 139. 535. 536
Qui comedit vel etiam bibit, habet vitam æternam, quomodo. 536
Vide, Euchariſtia, Corpus Chriſti, Sacrificium nouæ legis.
ADVENTVS eius ſecundus ad iudicandum, etiam fatentibus Mahometanis. 189. 362. 501. 507. 516
Omne iudicium, quomodo Pater dederit Filio. 545. 546
Iudicat Chriſtus viſibili & inuiſibili iudicio. 545. 546
Vtroque modo peccata remittit. 546
Iudicij diem qua ratione dixerit ſe neſcire. 544. 545

Chriſtus, Homo Deus.

Promiſſio præcipua Moſaicæ legis. 185 186
Redemptor. 332. 333. 508. 509. 534
Illico poſt lapſum hominibus promiſſus. 120. 121. 262. 263
Prophetiæ & præfigurationes de ipſo. 134. 135. 185. & ſeqq.
Chriſto conueniunt humana & Diuina. 91. 520. 521.
Quomodo Catholica fides hypoſtaticā vnionem accipiat. 519. & ſeqq.

De

De Chriſto oppoſita dicuntur. 91
520. 521. 532
Qua ratione dici poſſint & quomodo. 521. 524. 525. 532. 533
Dicuntur diuerſa de Chriſto & de Deo Patre, vel ratione perſonalis diſtinctionis, vel ratione humanitatis. 93
546. 547
Chriſtus creatura non eſt, quamuis humanitas eius ſit natura creata. 533
Viſibilis quoad humanitatem, inuiſibilis quoad Diuinitatem. 91. 92
Dicitur petra offenſionis. 187. 501
Agnus Dei, Leo, Vitis. 552
Vide, Filius Dei.
Chryſoſtomus. Vide, Ioannes Chryſoſtomus.
Ciborum nouem genera prohibentur in Alchorano. 254. 269
At alio loco, Alchorani etiam, quatuor tantummodo. 253. 254. 255. 269
Ciborum prohibitio in lege Moyſi ad cæremonialia pertinebat. 147
Cibi omnes licent ſuis temporibus in Euangelica lege. 147
Cicero. Vide, Marcus Tullius Cicero.
Circumciſio abrogata. 49. 131
Conuenienter abrogata. 133
De Circumciſione, antequam in ſcriptis per Moyſen Iſraelitis præciperetur, mandatum fuerat Patribus Abraham, Iſaac, & Iacob. 133. 134
Circũſtantiæ cohoneſtare poſſunt quod eſt malum per accidens & ab extrinſeco: non autem quod eſt malum per ſe, & ab intrinſeco. 324. 325
Clemens I. S. Petri diſcipulus & ſucceſſor, aſſerit Sacroſanctum Trinitatis Myſterium & Chriſti Diuinitatem.
399
Clemente V. Sum. Pont. habetur Concilium Vienneuſe. 53
Clemens Alexandrinus, aſſerit Sacroſ. Trinitatis myſterium cum Chriſti Diuinitate. 401
Meminit Sibyllinorum oraculorum. 512
Colorũ diuerſitatem in hominibus, prouenire, ex pugillo diſcoloris terræ à Deo immiſſo in primo hominis plaſmate, fabulatur Mahomet. 212
Commeſtio de Beatis in gloria, metaphoricè dicitur in Euangelio. 345
346
Libri Mahometanorum, propriè fabulantur, commeſtionem in cælo cum copula. ibid.
Vide, Cibi.
Compoſitum, vel ex materia & forma.
521. 522
Vel ex miſcibilibus. 522
Vel ex accidente & ſubiecto. 522
523
Vel ex natura & ſubſiſtentia. 522
Compoſitio per accidens. 523
Compoſitio perſonæ Chriſti qualis. 520 & ſeqq.
Conciliorum & Patrum Chriſtianorum authoritatem ſuſcipi debere à Mahometanis, ex eorum libris. 52. 383. & ſeqq.
Concilia quomodo & vnde. 393. &c.
Concilium I. Eccleſiæ. 49
Concilium Nicænum I. 49. 404
Concilium Nicænum II. 52. 53. 417
Concilium Conſtantinopolitanum I. 51
409
Conſtantinopol. II. 52. 413
Conſtantinopol. III. 52. 415
Conſtantinopol. IV. 53. 417
Concilium Epheſinum. 51. 411
Concilium Chalcedonenſe. 51. 52
411
Concilium Romæ celebratum ſub Cornelio contra Nouat. 404
Alterum ſub Silueſtro. 409
Aliud ſub Iulio I. ibid.
Concilium Lateranenſe Primum. 53
418
Secundum. ibid.
Tertium. ibid.
Quartum. ibid.
Quintum. ibid.
Concilium Lugdunenſe Primum. ibid.
Secundum. ibid.
Concilium Vienneuſe. ibid.
Concilium Florentinum. ibid.

Concilium Tridentinum. 53.54.418
Conciliorum occaſio hæreſes inſurgentes contra Catholicam veritatem, 49. 393. 394
Concilium Carthaginenſe. 410
Alterum. ibid.
Concilium Colonienſe. 409
Concilium Pariſienſe I. 415
Concilium Aurelianenſe. ibid.
Concilium Sirmienſe. 409
Cōcupiſcentiæ petulantiam refrænanti paradiſus debetur. 201.242
Concupiſcentia auertere conatur hominem à via veritatis. 242.326
Qui illi obedit, in infernum detruditur. 201
Concupiſcentiæ carnis ſubijcitur Spiritus per Mahometi legem.243.& ſeqq.
Confeſſionis ſeu Pœnitentiæ Sacramentum à Chriſto inſtitutum. 536. &c.
Confirmationis Sacramentum à Chriſto inſtitutum. 535
Non eſt ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem. 538
Confuſio Alchorani. 253.& ſeqq.
Coniugem vnicam vni eodem tempore, non plures ſimul ſociandas, natura ipſa monemur. 117.& ſeq.
Vnicam tantum primo homini Deus copulauit. 117
Pluralitas, quantorum ſit cauſa malorum 117.& ſeq.
Plurium permiſſio, imperfectio Veteris Legis. 117. 123
Conſanguinearum illicitus coitus etiam ex Mahomet. 274. 312
Sibi verò aſſerebat licere. 235. 311
Conſilia Euangelica. 231.&c.
Conſtantia SS. Martyrum. 175.& ſeqq.
Conſtantia Diuinæ Legis. 261.& ſeqq. & 283
Conſtant. Magnus conuertitur ad Chriſtum, cum eſſet Idololatra. 50
Conſtantinus Magnus interfuit Nicæno Concilio. 49.404
Meminit Sibyllinorum oraculorum. 514
Pugnauit contra Maxentium, non ad illum cogendum ad fidem Chriſti, ſed quia indebita ſibi vſurparet. 180
Sanciuit ciuiles leges in Chriſtianæ Reipublicæ fauorem. 50. 405
Non fuit ipſe author Chriſtianæ Religionis. 50.&c.
Conſtantino VI. imperante celebratur Concil. II. Nicænum. 52
Conſtantinopolis capta à Turcis, quando & quare. 182.& ſeq.
Continentia & caſtitas virtus elegantiſſima. 319.&c.
Etiam fatente Mahomet. 311. 321
Contradictiones Mahometicæ legis. 284 & ſeqq. 342. 343
Contradictio non eſt in verbis Dei. 261 283. 284
Contradictoria, de eodem ſecundum idem, dici nequeunt. 521
Copula cum propinquis, ſine cauſa, illicita, etiam ex Alchorano. 312
Copula nimia ſteriles efficit. 314
Cornu bouis terram ſubſtineri inquit Mahomet. 208
Corpus & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini, per eius omnipotentiam 137.& ſeqq. 555. 536
Eſt ſacrificium. 137.& ſeqq.
Et Sacramentum. 535. 536
Corporum quorumdam immenſa moles ex Mahometo. 166.& ſeqq.198.212
Corruptio, tranſitus de forma ad priuationem in ſubiecto. 528
Crucem dignè veneramur. 150.&c.
Crucem, prius ſuis humeris Chriſtus baiulauit, deinde Simon Cyrenenſis, vſque ad Caluariæ locum. 110
Crudelitas ſectatorum Mahometi in inuicem. 204 &c.
Cyprianus Chartag. Epiſcop. & Martyr tam Chriſti Diuinitatem, quàm Diuinarum perſonarum Trinitatem aſſerit. 403.& ſeq.
Cyrillus Hieroſolym. confitetur Chriſti Diuinitatem & ſacroſ. Trinitat. 408
Cyrillus Alexan. floruit an.430. 48
Præſidet loco Summi Pontificis in Concilio Epheſino. 51.411
Aſſerit ſacroſanctā Trinitatem & Chriſti

ſti Diuinitatem. 413
Cyrus Alexandrinus Monothelita cum cæteris damnatur. 52

Dæmonum exercitus, Salomoni inſeruientes ex Alchorano & Mahometo. 210. 213. 214
Dæmones videntes ſedens cadauer Salomonis, viuum adhuc cenſebant, nec prius mortuum agnouerunt quàm caderet, baculo deficiente. 214
Dæmones, ſecundum Mahomet, à ſtellis repelli ab acceſſu cælorum. 215
Dæmon præcipit iniuſta. 225
Dæmon Alchoranicæ legis auctor, per Mahomet. 248. & ſeq.
Vide Diabolus.
Damaſo Papa celebratum eſt Concilium Conſtantinopol. I. 51
Damnatorum pœna æterna, non minuenda, etiam ex Alchorano. 292
Damnatos quoſdam, fabulatur ſe Mahometus, translaturum ab inferis ad cælos. 197. & ſeq.
Danielis ſtatua quid ſignificet, & quid lapis contèrens eam. 337. &c.
Prophetat vrbis Hieruſalem deſtructionem. 189
Chriſti aduentum. ibid.
Tempus. ibid.
Chriſti mortem. ibid.
Dauidis Prophetæ mentionem facit Alchoranus. 6
Fatetur Deo inſpirante pſalmos cecinisſe. 6
Occidiſſe Goliath. 16
Dauid Prophetam ſolitum recitare totũ Alchoranum ſeu Alforcan, breuiſſimo temporis ſpatio, fabulatur Mahomed. 293
Delectationes. Vide, Voluptates.
Deus ſolus Primus & Nouiſſimus. 502
Solus adorandus Latriæ adoratione. 150. 151
Nomen, Deus, abſolutè, non dicitur niſi de vero Deo. 503
Deus, etiam fatente Mahomet, nonniſi iuſta præcipit. 224. 225. 226. 330. &c.
Deum tantummodo noſcere, quid ſibi velint Alchorani verba, dicit Mahomet. 213. 281. 282
Deus dicitur ماكر & خادع idest, deceptor, in Alchorano, blaſphemante Mahometo. 294
Deum modò facit corporeum, modò verò ſpiritũ, Mahomet. 168. 281. 369
Deus continet omnes perfectiones perfectiſſimo modo. 369. &c.
Eſt ſimpliciſſimus naturà, quamuis Trinus in perſonis. 376. 465. & ſeqq.
Immenſus, etiam fatente Mahomet. 425
Super ſeptimum cælum Deum eſſe, Mahometus dixit. 168
In Deo quicquid eſt, Deus eſt, ſic intelligere, ſpecies, Verbum, &c. 517
Deus gloriæ, ſolus Deus verus dicitur. 504
Deus naturà Vnus, in perſonis Trinus. 375. & ſeqq.
Deus Pater, à Chriſto dicitur alius, vel ratione perſonalis diſtinctionis, vel ratione humanitatis Chriſti. 93. 546
Deus non fit compoſitus per hoc quòd concurrat ad perſonam Chriſti componendam. 526. 527. 530
Nec mutatur intrinſecè per terminationem vnionis hypoſtaticæ in Chriſto. 527. & ſeqq.
Deus abſolutè, in Scripturis, Chriſtus dicitur. 504
Deus per Verbi Incarnationem non eſt intrinſecè mutatus. 527. & ſeqq.
Deum non niſi ex Virgine naſci decebat. 347. & ſeq.
Deus fidelis. 184
Dei dilectio ſuper omnia. 230
Deus mentiri nequit. 4. 185. 261. 274. & ſeqq. 283. 284.
De Deo & Mahometo, arrogans & ſtultum pronũciatum, à Mahometo vſurpatum. Non eſt Deus, &c. 167. 328
Ex Deuter. loc. alleg. a Perſis pro Mahometo non facere. 341
Diaboli, deceptores & inimici ſunt hominum. 155. 248. 291. &c.
Infernì pœnis adiudicati. 291. &c.

Secun-

Secundum Mahometum, ſaluabuntur. 248. 249. 181
Diabolum authorem fuiſſe Alchoranicæ legis. 248
Diabolos commendaſſe Alchoranum, & in Deum credidiſſe, inquit Mahomet. 27. 248. 249. 292
Vide, Dæmon.
Dilectio Dei & proximi, omnem Diuinam & naturæ legem continet & implet. 229. & ſeqq. & 350. 351
Dionyſius Areopagita, Pauli Apoſtoli diſcipulus, aſſerit ſacroſ. Trinit. Myſterium. 399
S. Dionyſius Romanus Pontifex, aſſerit Sacroſ. Trinitatis Myſterium. 402. &c.
S. Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus, Chriſti Diuinitatem & ſacroſanctam Dei Trinitatem aſſerit. 402
Diſcipuli Chriſti quamdiu collecti intra domũ permãſerint propter metum. 90
Diſcipulorum Chriſti ſanctitas. 42
Charitas in inuicem. 205. & ſeq.
Filij Dei adoptiui. 88. 89. 548. 549
Inter ſe idem cum Chriſto, affectu. 549. & ſeq.
Vide, Apoſtoli, & Chriſtiani.
Diſcipulorum Mahometi odia in inuicem. 204. & ſeqq.
Differentium duplex genus. 1
Diuinitas Chriſti probatur ex Veteri Teſtamento. 477. & ſeqq.
Ex Nouo Teſtamento. 486. & ſeqq.
Ex vtroque ſimul. 500
Ex Diuinis nominibus, attributis, & operibus. 503. & ſeqq.
Ex miraculis eius quomodo probetur. 509. & ſeq.
Authoritate Patrum & Conciliorum. 511. 399. & ſeqq.
Teſtimonio Sibyllarum & aliorum. 512. & ſeqq.
Probatur etiam ex Mahometanorũ principijs. 478. 479. 489
Dominus abſolutè dicitur Chriſtus, 504
Nomen Dominus, Arab. الرب abſolutè, non dicuntur niſi de Deo. 503. & ſeq.
Dominica, ſeu Dies Dominicus, conuenienter ſubſtitutus in locum Sabbati. 141. & ſeqq.
Eſt dies memoratiuus beneficij Redemptionis. 142
Duratio Sectæ ſeu Legis non arguit eius rectitudinem. 181. 183

Ebionitarum error circa Incarnationis Myſterium. 386. 388. 519
Ab Ebione dicti. 388
Eccleſiæ Chriſti vigilantia, in pertinentibus ad fidem. 49. 50. & ſeqq.
Eiuſdem animaduerſio in cuſione librorum. 54
Eiuſdem Eccleſiæ perſequutores. 175 176
Vide, Lex Euangelica.
Ecclipſis Solis per Lunæ interpoſitionem. 209. & ſeq.
Efficiens cauſa Mahometicæ legis, Diabolus, per Mahometum. 247. & ſeqq
Eliæ mentionem facit Alchoranus. 16 & ſeq.
Eliſei mentionem facit Alchor. 17
S. Epiphanius Sacroſ. aſſerit Trinitatem, & Chriſti Diuinitatem. 408
Eſſentia rei quid. 371
Eſſentia Dei includit exiſtere. ibid.
Eſſentia creaturarum non includit exiſtere. ibid.
Eſſentia Diuina eadem prorſus, indiuiſa, ſubſiſtit in tribus perſonis realiter diſtinctis. 376. & infra.
Euangelium, non in ſcriptis, ſed oretenus, Chriſtus Diſcipulis tradidit: quod deinde quatuor Euangeliſtæ ſcriptis tradiderunt. 26. & ſeqq.
Toto Orbe diſſeminatum per ſanctos Apoſtolos Chriſtique Diſcipulos. 108. & ſeqq.
Euangelijs fidem tribuendam, & Tora, ſeu Veteri Teſtamento; non autem Alchorano. 29. 30. & à 152. vſque ad 368

Euangelij ſententiam allegat Alchoranus. 21
Euangelia vitiata minimè fuerunt, nec à fidelibus, nec ab infidelibus. 32. & ſeqq.
Propter nullum finem vitiari à Chriſtianis potuerunt. 35. & ſeqq.
Nullo tempore fuiſſe vitiata, dici poteſt. 38. & ſeqq.
Nec loco aliquo. 55. 56
Nec poſſe aſſignari locum adulteratum. 58. & ſeqq.
Nec dici poſſe vitiata, eo quòd Moyſis Legi derogent. 111. & ſeqq.
Euangelia numquam de Mahometo, nec de Ahmede mentionem faciunt. 339 340
Lux & directio hominum, etiam fatente Alchorano. 7. 126. 127. 290. 291
Regula fidei: Nihil eſt fides, niſi ad eius normam dirigatur. 10. 395. & ſeq.
Non eſt in eis aliqua ſuſpicionis nota; etiam fatente Alchorano. 44. & ſeqq. & 290. 291
Vide, Scripturæ ſacræ, & Lex Euangelica.
Euangeliſtæ quatuor præuidentur, & præfigurantur. 188
In nullo diſſentiunt. 68. vſque ad 111 & per totum cap. 7. & 8. primi tractatus, & 544. & ſeqq.
Euchariſtiæ Sacramentum à Chriſto inſtitutum, 535. & ſeq.
Qua ratione ſit etiam ſacrificium. 137. & ſeqq.
Quomodo neceſſarium ad ſalutem, eiuſque effectus. 538
Eugenio IV. Sum. Pontifice habitum eſt Conc. Florentinum. 53
Euſtathius Epiſcopus Antiochenus, ad Patres Concilij Nicæni, coram Conſtantino Magno, Orationem habuit. 51
Euthyches, Chriſti naturas confundebat. 519. 526
Damnatur in Concil. Chalcedonenſi. 51. & ſeq.
Excuſationes Mahometi friuolæ: cur non perpetraret miracula. 161. vſque ad 164. & 171. & ſeqq.
Exercitus triplex, ſcilicet dæmonum, hominum, & volucrum, ſub Salomone militans, ſecundum Alchoranum & Mahometum. 210. 281
Exiſtentia quid. 372
Diſtincta realiter à ſubſiſtentia. 372 373. 530. 531
Extremæ vnctionis Sacramentum à Chriſto inſtitutum. 537
Pro infirmis in vitæ periculo conſtitutis. 537
Eius effectus. 537
Exuuias ſibi deberi, Mahometus ſtatuit. 239. 363
Ezechiel prophetat de Matris Chriſti Virginitate. 188
De quatuor Euangeliſtis. 188

Fabulæ, & ſtultæ Mahometi propoſitiones. 208. & ſeqq.
Fabros quoſdam gladiorum, fuiſſe Mahometi adiutores in Alchorani fictione. 301
Fauſti Manichæi error circa Chriſti perſonam. 386. 519
Feminæ deſpiciuntur per Mahometi legem. 239. & ſeqq.
Vide, Mulieres.
Fides ſola, in præſenti vita, attingit ſupernaturalia myſteria. 3. 4. 5
Fides vera, neceſſaria ad ſalutem. 194 & ſeq.
Contradicit Mahomet. 193. 285. 286
Fides nulla eſt, niſi ſit iuxta regulam Teſtamenti Veteris & Noui, ſeu Tora & Euangelij: etiam fatente Alchorano & Mahometo. 10. 395. &c.
Fides ſemper vna fuit, tàm ante Chriſtum, quàm etiam poſt Chriſti aduentum. 264. & ſeq.
Per fidem in Chriſtum ſalui facti ſunt iuſti, etiam ante Chriſti aduentum. 122 263. & ſeqq.
Fides Chriſti. Vide, Lex Euangelica.
Fidelis Deus. 184

Fidelis Diuina lex. 184. & ſeqq.
Fidelis qui vera credit. 195
Fidelis veritatem ſectatur. 45
Fidelis qui in vero ſenſu accipit Scripturas. 194
Fidelis non eſt qui non omnes ſuſcipit ſacras Scripturas, etiam Alchorano fatente. 6. 8. 9. 28. 194
Fidelis, adæquatè omnibus credens ſacris Scripturis, ſalutem conſequetur, ex Alchorano etiam. Aliàs non. 8. 9
Fidelitas quid. 184
In quo differat à veritate. ibid.
Figuræ & Prophetiæ de Chriſto. 185 & ſeqq.
Figuræ Veteris Legis cõpletæ per Chriſtum. 128. 134. 135
FILIVS DEI, ſecunda Diuinæ Trinitatis perſona. 375
Naſcitur à Patre ſolo, per intellectum. 375. & ſeqq.
Eius proceſſio, eſt vera & perfecta generatio. 378. 379. 449. 450 451. 456
Eſt realiter diſtinctius, tam à perſona Patris, quàm à perſona Spiritus ſancti. 411. & ſeqq.
Filius Dei eſt verus Deus. 424
Filius Dei naturalis, verus, vnicus, eſt qui & Dei Verbum. 447. & ſeqq.
Eum Chriſtum eſſe etiam Mahometani fatentur, ſeu fateri coguntur. 419 420. 434. 435. 516. 517. 518
Filij Dei conceptus, generatio, partus, &c. 437. 438. 451
Eſt æqualis Patri. 458. & ſeqq.
Filium Dei Chriſtum eſſe. 477. & ſeqq.
Filius Dei dici poteſt vita Dei, & qua ratione. 463
Dicitur Verbum, Sapientia genita, Lux, Splendor, Imago, & omnia nomina intellectionis termino conuenientia, niſi imperfectionem inuoluant, de ipſo Dei Filio dici poſſunt. 375. 439
Filius Dei naſcitur per generationem perfectiſſimam in infinitum, quia habet cum Patre infinitam naturæ ſimilitudinem, quæ alia non eſt, niſi identitas ipſius naturæ. 458 459. 460
Filium Dei naſci ex coniuge, putabat Mahomet, Chriſtianos dicere. 426
Filij Dei Incarnationem quomodo Catholica fides accipiat. 520. & ſeqq.
Filius tantum Incarnatus eſt, & non propterea incarnatus eſt Pater aut Spiritus ſanctus. 524
Filius Dei intelligit eadem numero, Patris intellectione, non tamen Verbum producit. 442. & ſeqq.
Filius Dei verus, eſt ſolus Chriſtus. 548 & ſeq.
Filij Dei adoptiui omnes iuſti. 88. 89 447. 548. 549
Finis non eſt, quo moueri potuerint Chriſtiani, ad vitiandas ſacras Scripturas. 35. & ſeq.
Finis Diuinæ Incarnationis. 538
Finis vltimus, beatitudo, quo adepto quieſcit animus. 203
Finis vltimus hominis, ſummum bonum, Deus; ipſius viſio cum fruitione. 118. 119. 193. 199. 200. 203
Ad finem ſuum quantò vnumquodque fit propius, eò euadit perfectius. 201. 202
Fine proprio adepto, vniuerſa quieſcunt. 203
Vide, Beatitudo.
Fomitem peccati per guttam quamdam nigram in corde reſidere dixit Mahomet. 169. 364
Extinctum in Mahometo fabulantur. 169. 305. 307
Fons feruentis aquæ, in quem Sol occidens cadat, à Mahometo effictus. 209. 213
Fontes in cælo à Mahometo effictl. 197
Formicæ loquentis fabula à Mahometo effícta. 210. 281
Fornicationis & adulterij prohibitio relaxatur à Mahometo. 271 & ſeq.
Fornicarij & adulteri flagellandi ex lege Mahometi. 237 310
Fortitudo mira Samſonis. 358

For-

Fortitudo Mahometi non fuit ſupernaturalis. 358.&c.
Friderico I. Imperante celebratur Concil.III.Lateranenſe. 53
Fulgentius Epiſcopus Sacroſ.Trinitatem & Chriſti Diuinitatem aſſerit. 414

GAbriel Archangelus in quibus falsò inducatur à Mahomet. 165 vſque ad 170. & 198.298. & ſeqq.
Gabriel, alæ ſuæ percuſſione, Lunæ lumen abſtulit, ſecundum Mahomet. 213
Gabrielem Archangelum, Mahometani dicunt, Spiritum ſanctum. 464. &c.
Gaudentius vnà cum Chriſti Diuinitate aſſerit Sacroſanctam Trinitatem. 413
Gedeonem, Alchoranus vocat, Talut. 15
Genealogia Chriſti, cur diuerſo modo à Luca & à Matthæo. 69.& ſeqq.
Genealogiæ Chriſti arbor. 72
Generatio, tranſitus ſubiecti de priuatione ad formam ſubſtantialem. 528
Generatio quid, de viuentibus peculiariter. 378
Intendit naturæ ſimilitudinem. 378 379. 449. 450
Eò generatio eſt perfectior, quò filius patri naſcitur ſimilior. 456
Generatio in Diuinis ponit perfectiſſimum Filium, in infinitum Patri ſimilem, in natura, ideſt idem. 456
Generatio in Deo eſt in inſtanti æternitatis, etiam conceptus. & partus: & omnem perfectionem ſimul communicat genito. 437.&c.
Generatio actiua & paſſiua in Deo. 373 & ſeqq. & 434. & ſeqq.
Generatio actiua eſt conſtitutiua perſonæ Patris. 375
Generatio paſſiua perſonæ Filij. 375 & ſeq.
Generatio actiua importat in Patre infinitam perfectionem. 469.&c.
Generatio paſſiua in Filio importat infinitam perfectionem. 456.470
Generationes 14. quomodo apud Matthæum enumerandæ. 74. & ſeqq.
Cur tres à Matthæo neglectæ. 76. 77
Generatio Cainan quomodo à Luca interpoſita inter Sale & Arphaxad. 78 79
Ex Geneſi loca quædam allata à Perſis pro Mahomet, non faciunt. 341
Gladio pro ratione Mahometani vtuntur, ad cogendum ad Mahometi ſectam. 178 179.249.252
Gloria. Vide, Beatitudo & Paradiſus.
Gog & Magog, populos obſeratos ab Alexandro Magno, dicit Alchoranus. 210
Gratia ſeu Sanctitas, homini connaturalis non eſt; ſed ſupernaturaliter illi à Deo infunditur. 89
Gratiam amiſit homo per peccatum. 119
Eſt Legis Euangelicæ propria. 115
Gregorius Thaumaturgus aſſerit Sacroſ. Trinitatis & Diuinitatis Chriſti Myſteria. 402
Gregorius Nazianzenus ſimiliter. 408
Grgorius Nyſſenus pariter. ibid.
Gregorius Bæticus item. 409
Gregorius Magnus, inficiatores, ſiue Sacroſ. Trinitatis, ſiue Diuinitatis aut humanitatis Chriſti, Hæreticos appellat. 414
Gregorius Turonenſis aſſerit tum Sacroſ.Trinitatem, tum Chriſti Diuinitatem. 414. &c.
Gregorio X. Summo Pontifice celebratur Conc.II.Lugdunenſe. 53
Gubernationum ſpecies triplex. 233
Gubernatio Optimatum, Ariſtocratia, in communem Reipublicæ vtilitatem ibidem.
Gubernatio iuſta vel iniuſta. ibid.
Iuſta, quæ in communem vtilitatem. ibidem.
Gutta nigra (ſecundum Mahometi ſententiam) reſidens in corde, in qua

ſomes eſt peccati:expuncta de Mahometi corde. 169.305.307.364

Habacuc propheta Ieſum Saluatorem prænunciat. 190
Haruta & Maruta, duo Angeli, ſecundum Mahomet, attentauerũt de adulterio mulierem; & eorum pœna. 211
Hæretici, Pſeudochriſtiani qui nam ſint, & qui Catholici. 387.& ſeqq.
Singuli cognomentum acceperunt ab Hæreſiarcha, quem ſequuntur. 389 & ſeqq.
Hebræa editio ſacræ Scripturæ, vix in paucis deficit. 65. 66
Henrico V. Imperante celebratur Concilium Lateranenſe I. 53
S.Hilarius Epiſcop. Pictauienſis cum Chriſti Diuinitate ſacroſanctam aſſerit Trinitatem. 409
Homo in prima ſui creatione, ad finem ſupernaturalem à Deo ordinatus. 118
Per peccatum amiſit gratiam & infecit naturam. 119
Quamdiu eſt in hoc ſæculo poteſt peccare, & à peccato reſurgere. 88.89
Hominis duæ veluti portiones: rationalis ſeu ſpiritualis, ſuperior; & animalis ſeu ſenſualis carnalis, & inferior. 241.&c.
Hominem adorari ab Angelis, Deum voluiſſe, inquit Alchoranus. 212
Homicidas in infernum trudendos etiam Alchoranus fatetur. 246.&c.
Humana natura infirmata, per originale peccatum. 119.& ſeq.
Humana actio, præter circumſtantias loci & temporis, fit propter finem. 32
Gratis dicitur effecta; niſi conſtet, de efficiente, de fine, de loco, & tempore, & præcipuè de ipſo effectu. 32
Hypoſtaſis, idem quod ſubſiſtentia. 372

Iacob Patriarcha mentionem facit Alchoranus. 6.9.15
Iacob, Iſaac, Abraham, & Noe Mahometanos fuiſſe effingit Alchoranus. 280
Iconoclaſtæ damnantur. 52. 53
Idolum eſt falſa Imago. 147.& ſeqq.
Idola ſemper prohibita. ibid.
Idololatria eſt tribuere creaturæ debitũ Deo cultum. 148. & ſeqq.
Idololatria non eſt, Chriſti Crucem, & ſacras Imagines venerari. 150.&c.
Idololatria inſinuata per Mahometum. 327.& ſeqq.
Idololatria tamdiu viguit in Orbe propter humanam propenſionem ad carnis licentiam, cæteraque mala. 180.&c
Idololatriæ turpitudines. 181
Ieiunij fatuum & irrationale præceptum per Mahomet. 215.& ſeqq. 243 & ſeqq.
Ieiunium conueniens à Chriſtianis ſuſceptum. 216
Ieiunium Chriſti, admirandum nobis. 146. &c.
Ieiunij mutatio per Mahomet. 270.&c.
Ieremiæ prænunciationes aliquot de Chriſto. 188
De Herodis feritate in Innocentium cæde. ibid.
Ieſu Chriſti Dei noſtri, nomen & miracula quædam pluries meminit Alchoranus, quamuis fraudolenter. 6.9.17
Negat, blaſphemus, eius Deitatem. 475
Eſt Chriſtus Meſſias, etiam fatentibus Mahometanis. 562
Vides, Chriſtus.
Ignatius Martyr Antiochenæ Eccleſiæ paſtor, Ioannis Euangeliſtæ diſcipulus, aſſerit Sacroſanctæ Trinitatis Myſterium & Chriſti Diuinitatem. 400
Ignorantia Mahometi. 281.282.303 313.314.355 & ſeqq.
Imago non eſt idem quod Idolum. 147 & ſeqq.
Imagines numquam prohibitæ. ibid.
Imagines ſacras dignè veneramur: nec Idololatria eſt. ibid.
Impoſturæ diaboli, vel iniqui hominis præcauendæ. 155
Impoſturæ contra Deum, diſſoluuntur tandem: neſcimus autem quamdiu dura-

duraturæ. 181. 183
Permittuntur à Deo propter peccata. 181. & ſeqq.
Permittuntur & perdurant propter hominum propenſionem ad mala. 179 181. 183.
Impoſtores nequeunt facere vera miracula in impoſturæ confirmationem. 157
Impudicitia Mahometi, & Alchorani. 234. vſque ad 246. & 256
Incarnationis Diuinæ finis. 538
Incarnationis myſterium non eſt impoſſibile: nec ex parte Diuinitatis, nec ex parte humanitatis. 526. & ſeqq
Incarnatio Diuini Verbi prænunciata non ſolum à Prophetis, ſed etiam à Sibyllis. 512.& ſeqq. 264
Quomodo Catholica fides illam accipiat. 520.& ſeqq.
Non repugnat Diuinæ ſimplicitati. 526
Nec Diuinæ immutabilitati. 527
Non eſt per eam Deus mutatus intrinſecè. 527. & ſeqq.
Conueniens fuit Diuinæ bonitati, 541 & ſeq.
Incarnato Filio, non per hoc ſequitur quod ſit incarnatus Pater aut Spiritus ſanctus. 524
Inceſta Mahometi. 312
Inconſtantia Alchoranicæ legis. 253 & ſeqq. & 266. vſque ad 274.
Infidelis eſt etiam, quo vni tãtum ſacræ Scripturæ loco renuit credere. 8
Infideles ſectantur mendacia. 45
Infidelis, quamdiu talis, Deo placere non poteſt. 194
Punietur in futura præſertim vita. 8. 9 10. 107. 108
Infideles non poſſunt armis cogi, niſi ad legem naturæ. 180
Non potuerunt ſacras Scripturas vitiare. 35.&c
Infidelitas Mahometicæ legis. 193.&c.
Infinitas meritorum Chriſti. 136 540. 541
Infinitas meriti eſt intrinſeca paſſioni Chriſti. 540
Infinitas demeriti, eſt extrinſeca illationi paſſionis. ibid.
Inhærentia ſeu inexiſtentia, accidentis vnio cum ſubiecto. 172.&c.
Inhoneſtas Mahometi & Alchorani. 258. & ſeqq.
Iniqui iniuſta præcipiunt & cupiunt. 225. &c.
Iniquior, tribuẽte ipſi Deo mendacium, non reperitur. 332
Iniquiſſimus qui cõcupiſcentias ſuas ſectatur. 201
Iniuſta lex, quibus de cauſis. 233
Iniuſtitia Mahometicæ legis. 233. &c.
Iniuſtitia vniuerſa per Mahometi legem contra Deum, contra proximum, & contra ſe ipſum. 245.& ſeqq.
Innocentio II. Summo Pont. celebratur Conc. II. Lateranenſe. 53
Intellectio eſt Deo eſſentialis, creaturis accidentalis. 441
Per intellectionem Deus producit Verbum. 375.& ſeqq. 435. 440. 441
Eadem intellectio Patris, eſt Filij & Spiritus ſancti, ſed tamen nec Filius nec Spiritus ſanctus producunt per illam. 442.& ſeqq.
Vnicus eſt Dei intellectionis actus. 442 & ſeqq. 452. &c.
Eſt ipſamet Diuina eſſentia. 440.&c.
Vide, Sapientia, Verbum, Generatio, Filius Dei.
Intentio Spiritus ſancti in Chriſti genealogia narranda apud Lucam, & Matthæum. 73
Interrogatio cadaueris in ſepulchro, ex Mahomet. 206.&c.
S.Ioachimi Patris B.V.M. ſanctitas, etiã ex Alchorano. 278
Falsò exiſtimatum eſt ab Alchorani auctore, eum eſſe patrem Moyſi & Aaron, & eſſe Amram. 276. & ſeqq.
Ioannis Baptiſtæ præcurſoris facit mentionem Alchoranus. 17
Ioannes Baptiſta, Præcurſor Chriſti, in Scripturis dicitur Dei Præcurſor. 494 501. 502
Quomodo dictus à Chriſto vltimus Propheta.

Quomodo ipſe ſe negaret Prophetam. 84
Quomodo dici poſſet, eum non manducare neque bibere. 85
Ioannes Apoſtolus & Euangeliſta præfiguratus per faciem aquilæ. 188 & ſeq.
Quædam eius miracula ex Mahometo. 42
S. Ioannes Chryſoſtomus, tam Chriſti Deitatem, quam Diuinam Trinitatem aſſerit. 411 413
Ioannes Damaſcenus, tam Chriſti Deitatem, quàm Sacroſ. Trinitatem aſſerit. 415
Ioannes Caſſianus aſſerit Chriſti Diuinitatem & Sacroſanctam Trinitatem. 413
Ioannes Maſſentius aſſerit Diuinitatem Chriſti & Sacroſanctam Trinitatem. 414
S. Iob meminit Alchoranus. 6
Ioel prophetat de luminarium obſcuratione. 189
De miſſione Spiritus ſancti. 189 & ſeq.
Ionæ Prophetæ mẽtionem facit Alchoranus. 6. 17
Præfigurat Chriſtum. 190
Ioſeph Patriarchæ meminit Alchoranus 15
Eundem in quarto cælo Mahometus collocat. 167 & ſeq.
Ioſuæ aſſumptus, vt Dei inſtrumentum, ad puniendos Chananæos. 180
Irenæus Martyr Sacroſ. Trinitatis Myſterium cum Chriſti Deitate aſſerit. 400. & ſeq.
Irene imperante celebratur Concil. II. Nicænum. 52
Iſaac meminit Alchoranus. 6. 9. 15
Effingit fuiſſe Mahometanum. 280
Iſaiæ prophetia ex cap. 21. de aſcenſore cameli, non eſt de Mahometo, ſed de exercitibus Darij & Cyri in Babylonem. 336
Eius prænunciationes plurimæ, de Chriſto. 186. 187 & ſeqq.
S. Iſidorus aſſerit cum Chriſti Deitate Sacroſanctam Trinitatem. 415
Iſmael ferus homo vocatur. 335
Iſmaeli multiplicatio, diuitiæ, & mundi huius gloria promittitur; non autem prophetia aut Diuinum pactum. 335. 341
De Iſmaele meminit Alchoranus. 6. 9 15. 17
De Iſmaele ortum ducere Mahometus dicitur. 334. &c.
Iudæos, conatos Chriſtum crucifigere, tamen non ipſum, ſed eius imaginem crucifixiſſe, mentitur Alchoranus. 492
Iudæi & Chriſtiani, in Alchorano modò damnantur, modò arguuntur. 287 & ſeqq.
Iudæi non vitiauerunt ſacras Scripturas. 32. 33
Aliquos Iudæos aliquid delere conatos. 64
Iudæi & Chriſtiani non conuenerunt ad ſacras Scripturas vitiandas. 32 & ſeq.
Iudæi, veri erant Scripturarum interpretes, ex Alchorano. 7. 34
Iudæi, modò poſt Chriſtum, non ſaluantur. 195
Iudæi, Mahometani, Chriſtiani, in quo præcipuè diſſentiunt. ibid.
Iudæi, ſecundum Mahomet, ſaluantur cum Mahometanis & Paganis. 193 194. 285. 286. & ſeq.
Iudex venturus eſt Chriſtus. 189
Etiam fatentibus Mahometanis. 362 501. 507
Iudicium omne datum à Patre Filio. 545. &c.
Iudicium Chriſti viſibile & inuiſibile. 545 & ſeqq.
Iulio Secundo Summo Pontifice inchoatum

atum eſt Concilium V. Lateranenſe. 53
Iuramenta friuola & plurima impiè à Mahometo Deo tributa. 217 218. & ſeqq.
Iuramentum Deorum fabuloſum, per Stygiam paludem. 219
Iuramentum præſtatur, obteſtatione maioris ſeu ſummi. 220
Iuramentum Deo tribui nequit, niſi ad rei grauitatem ſignificandam, & in re graui. 220
Iurandi frequentia facilè in periurium prolabitur. 110
Iuſta præcipiuntur à Deo, non è contra. 224. &c. & 332
Iuſtus per bona opera ſemper augetur meritis. 183
Iuſti iuſta cupiunt & præcipiunt. 225 226
Caſtitatem colunt. 319
Iuſti honeſtè & rectè viuunt, & talia alijs præſcribunt. 225. & ſeq.
Iuſti & Prophetæ, non propria virtute, ſed Dei ope, miracula perpetrabant. 509 & ſeq.
Iuſti dicuntur Filij Dei, adoptione non natura. 548 549
Iuſtorum meritum vniuerſum, ex meritis Chriſti, tamquam à fonte deriuatur. 557. &c.
Idem cum Chriſto cum Deo & inter ſe, affectu & concordi animo. 549 & ſeq.
Iuſtorum duplex natiuitas, vna per naturam, altera per gratiam. 549
Iuſtiniano ſeniore Imperante, celebratur Concilium II. Conſtantinopolitanum 52
Iuſtinus Martyr Sacroſ. Trinitatis Myſterium aſſerit. 403
Meminit Sibyllarum. 512
Iuſtitia per legem præcipienda, aliàs lex eſſe nequit. 223. & ſeq.
Iuſtitiæ principium: Quod tibi vis, alteri facies; & è contra. 223 & ſeq.
Iuſtitia & rectitudo legis. 227. & ſeqq. & 233
Iuſtitia & rectitudo, Euangelicæ legis præſertim. 228. vſque ad 232
Iuſta lex, ratione quatuor cauſarum eius. 227 & ſeq.
Et Euangelica præcipuè. 229 230. & ſeqq.
Iuſtitia completa reſpicit omne debitum erga Deum, erga ſe, & erga proximum. 229. & ſeqq. & 245
Iuſtitiam vniuerſam perdit Mahomet per ſuam legem. 233. vſque ad 250

LActantius Firmianus Sibyllarũ meminit. 512 & 514
Lapis in Daniele conterens ſtatuam, Chriſtum & non Mahometum ſignificat. 337. 338
Lapidem qui Idolo inſeruiebat, præcipit Mahometus colendum. 327
Latina editio ſacræ Scripturæ, quæ Vulgata dicitur, ea authentica eſt, & in nullo deficiens. 67
Latriæ adoratione ſolus Deus per ſe colendus. 152 & ſeq.
Latrones crucifixi cum Ieſu, an ambo blaſphemarint in eum. 103 & ſeq.
Legiſlator iubens quæ intrinſecè & per ſe mala ſunt, peccat. 325
Legiſlatorem non mittendum nec prophetã in poſterum à Deo, inquit Mahomet. 483 & ſeq.
Legiſlatorem Euangelicæ Legis decuit dare perfectiora præcepta, præceptis Moſaicæ Legis. 126
Vide, Lex.

Leo

Leo I. circa annum 450. 48. 51
Eo Pontifice celebratur Concil. Chalcedonenſe. 51. 52
Aſſerit tam Chriſti Diuinitatem, quàm Diuinarum perſonarum Trinitatem. 413
Leone X. Sum. Pont. clauſum eſt Concil. V. Lateranenſe. 53
Lex dici nequit, niſi iuſta. 223. &c.
Legis iniuſtitia. 233
Legis rectitudo. 227. & ſeqq.
Non obligat ſubditum ante ſufficientem promulgationem, ita nec relaxatio, ante notitiam relaxationis ſortitur effectum. 304
Legis rectitudo non arguitur ex eius duratione. 181. 183
Lex Diuina immaculata. 153
Conuertens animas. 154
Efficax, ratione Diuinæ gratiæ. 175
Fidelis. 184
Iuſta. 224. &c.
Lætificans corda. 251. &c.
Clara & perſpicua. 253
Honeſta. 258
Conſtans. 261. & ſeqq.
Semper eadem quoad ſubſtantiam. 261 & ſeqq.
Iuſtificata in ſemetipſa. 283
Diuina lex mentiri nequit. 274. &c.
Lex naturæ indita eſt homini in prima ſui creatione perfectiſſima. 118. 119 252
Semper & vbique eadem, immutabilis. 325. 350. & ſeqq.
Mahometus naturalem legem non curat. 352
Naturæ legem frangens, peccat. 351
Tota lex naturæ pendet ex duplici principio, ſcilicet dilectionis Dei & proximi. 351
Præcepta Decalogi explicant omnem naturæ legem. 350. &c.
Lex Moyſi ſeu lex ſcripta lux & directio 7. 226. 227. 290. 291
Meditanda. 44
Imperfecta. 116. &c.
Imperfectiones eius. 116. 117. 122. &c.
Non per ſe intenta. 262
Diſpoſitio præparatoria ad legem Chriſti. 140. 262. & ſeqq.
Eo modo ſeruanda, ſicut à Deo præcipitur. 146
Abrogata per Chriſtum. 111. & ſeqq.
Et per Apoſtolos, ordinante Chriſto. 130. & ſeqq.
Quomodo æterna. 111. & ſeqq. 129
Fidelitas eius. 185. & ſeqq.
Præcipit, vt ſuſcipiatur lex Chriſti. 111 112. 146
Quid ſibi vult Apoſtolus illis verbis ad Galat. 5. Teſtificor, &c. quod debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ. 145
Conuenienter per Euangelicam abrogata. 115. & infra, & 140
Lex Euangelica, ex Dei ordinatione Moyſi legem abrogauit. 111. &c.
Fatentur etiam Mahometani. 114. 115 383
Legem Euangelicam non ſuſcipiens, transgreditur legem Moyſi. 112
Abrogat & perficit legem Moyſi. 112 & ſeqq.
Lex Euangelica ſeu lex gratiæ ab initio intenta ſtatim poſt hominis lapſum. 120. 121. 262
Lux & regula. 7. 226. & ſeq. 290. &c.
Efficax ad conuertendum animas propter miracula. 156. & ſeqq.
Efficax per Diuinam gratiam. 175 177
Gratia ipſi propria. 111
Fidelitas eius. 192
Eius rectitudo adæquata. 226. & ſeqq.
Omnem excludit imperfectionem. 116 117. 122. & ſeqq.
Legis Euangelicæ profeſſores, decet honeſtiores eſſe, vtique profeſſoribus Moſaicæ legis. 126. &c.
Præcipit quæ ſunt neceſſaria ad morum probitatem, contraria prohibet; & quæ ad maiorem perfectionem faciũt, ad illa hortatur ſubditos. 231
Lætificans corda. 251. &c.
Eius claritas, perſpicuitas, & conſtantia. 253

Ho-

Honeſtas eius. 258
Neceſſariam ad ſalutem omnibus. 344
Ea Orbem ingrediente, cur perturbationes excitatæ. 553.&c.
Legem Euangelicam, dicere à Deo mutatam in Alchoranicam Mahometiſnô ſolum eſt falſum, ſed ſtultum. 366 & ſeqq.
Lex Mahometi ſeu Alchoranica cœpit Heraclio Imperante. 387
Traxit multos propter carnis licentiam. 179.& ſeqq.
Et vi armorum. 177.& ſeqq.
Craſſa, vilis,& carnalis. 352
Talis agnoſcitur ab ipſis etiam Mahometanis. 352.&c.
Iubet occidi ſe non ſuſcipientes. 352
Plures vxores vni ſimul permittit. 235 236. 352
Repudium vxoris etiam ſine cauſa. 240
Fornicationem licere aſſerit & adulterium, cum ancillis præſertim. 239 352
Legi Dei & Chriſti repugnat. 349 350. 352
Diſſoluetur vtique. 143
INFIDELIS & mendax. 193.& ſeqq.
Pollicetur beatitudinem brutis etiam. 193. 165. 166
Pollicetur beatitudinem Mahometanis, Iudæis, Chriſtianis, & Paganis. 193 &c.
Promittit carnalem copulam & commeſtionem pro beatitudine. 196 & ſeqq.
Dicit bellantes dum vulneribus occumbunt voluptate maxima frui. 206
Minatur cadaueri pœnam in ſepulchro. 206. &c.
INSIPIENS & inſulſa. 208
Terram dicit tauri cornu cuſpide ſuſtineri. ibid.
Solem in feruentem fontem occidere. 209
Formicarum & auium locutionem fabulatur. 210
Angelos beatos mulieris forma captos. 211
Et pleraque alia inſulſa & ſtulta. 212 & ſeq.
Diabolos non animaduertiſſe Salomonem mortuum, quia eius cadauer ſederet. 214
Camelum & pullum triginta milliaria occupare ſuorum corporum mole. 215
A ſtellis repelli dæmones ab acceſſu ad cælos. ibid.
Ieiunandum eſſe die tantum, nocturno autem tempore omnem licere commeſtionem. 215.&c.
Iurantem Deum frequentiſſimè inducit, & inſulſis iuramentis. 217. & ſeqq.
Inſulſos & impertinentes titulos in ſuis libris ponit. 220.&c.
Dicit beſtias ſuſcitandas. 221
Mereri & demereri in ſuis actionibus. 221. &c.
Et iudicandas in die iudicij. ibid.
INIVSTA. 233. & ſeqq.
Tyrannica. 234. & ſeqq.
Oligarchicè, in fauorem potentium & oppreſſionem debilium. 239. & ſeq.
Popularis, vilis, carnalis in fauorem carnis contra ſpiritum. 241.& ſeqq.
Omnem iuſtitiam frangit. 245.&c.
Vim infert ad credendum falſa. 246 249. &c.
Vel ad tributum. 233
In eam legem omnes eius cauſæ iniuſtitiam influunt ſuo modo. 247. &c.
Iniuſtitiæ pelagus. 250
Eius author diabolus. 248. &c.
Mahometus author, tamquam diaboli miniſter. 249
Finis eius, Mahometi commoda. 247 252
Vi armorum ſeruatur. 249.&c.
Triſtitiam infert mentibus. 251.&c.
CONFVSA & anceps. 253. & ſeqq.
Modò præcipit hæc, modò illa. 253 & ſeqq.
Excæcat mentis oculos propter carnis licentiam. 257
INHONESTA. 258
Permittit vxores tam ſecundum naturã

quàm contra, cognoſcere. 259
Vxorem tertiò dimiſſam, prius proſtituendam alteri, quàm ad ſuum virum reuertatur. 259
De copula & turpibus frequenter loquitur. 260
Celebrat Mahometi effrænatam libidinem. 259. &c.
Beatitudinem, carnalem copulam dicit. 260
INCONSTANS & vacillans. 253 & ſeqq & 266. & ſeqq.
Mutat Diuina præcepta. 267. & ſeqq.
Mutat præceptum de cibis. 269
De potu vini. 269. 270
De oratione. 270
De ieiunio. 270. &c.
De licentia copulæ cum ancillis. 271 & ſeq.
De teſtamento. 272
Et pleraque alia. 272. &c.
Author ipſius dicit, ſe eius præcepta neſcire. 273
MENDAX. 276. 280. &c.
Dicit, Mariam ſororem Moyſi eſſe Matrem Chriſti. 277. & ſeqq.
Templum Mecæ eſſe primum templum Deo ædificatum. 280
Neſciens loquebatur Mahometus, eius author. 282
SIBI non conſtat. 283. & ſeqq.
Dicit vna nocte ſimul datum eſſe Alchoranum: & aliàs patet, ex eadem lege, diuerſis temporibus traditum eſſe, per partes. 284. &c.
De Iudæis & Chriſtianis contradictoria profert. 285. & ſeqq.
De ſacris Scripturis diuerſa profert. 290. & ſeq.
De diabolis contraria loquitur. 291. &c
De Alchorano etiam profert contraria. 293
Blaſphemias profert in Deum. 294
Legis Mahometicæ profeſſores tantummodo ſaluari, ait Mahomet. 286
Contra dicit, omnes ſaluari ſuam legem ſeruantes, Chriſtianos præſertim. 43. 286. 385. 415. 497
Vide, Alchoranus, Mahemetus, Sonna, Agar liber.
Legum mutatio, non eſt à Deo, propter maiorem vel minorem hominum perſpicacitatem, hoc vel illo ſæculo degentium. 353. &c.
Libido effrænis Mahometi. 259. 260 318. 319. 364
Libidinis commoda, à Mahometo ſibi præparata. 235. 237. 238. 267. 307 & ſeqq. & 352.
Libido, iniquorum eſt, non verò iuſtorum. 319. & ſeqq.
Libido hominem à Deo auertit. 325
Loth mentionem facit Alchoranus. 17
S. Lucas Euangeliſta præfiguratur per faciem bouis. 188. &c.
Texit Chriſti Genealogiam. 69
Qua ratione inter Arphaxad & Sale interpoſuerit Cainan. 78. 79
Lucifer Caralitanus cum Chriſti Deitate Diuinam aſſerit Trinitatem. 409
Lunæ effecta ſciſſio per Mahomet. 164 170
MAcedonius, in Spiritum ſanctum blaſphemus, damnatur. 51
MAHOMET ſeu Mohammedis ortus, parentes, patria, educatio. 297
Adoleſcens, mulioniam ſeu camelariam exercet. ibid.
Factus iam vir & diues, mercaturam facit. ibid.
A 38. vſque ad 40. annum eremiticam. 297. &c.
Idololatra. 297. 303 & ſeqq.
Etiam poſt propheticam ſimulatam. 305 306
Fuit Pſeudopropheta. 387. 415. &c.
Euadit furioſus. 298
Se vult dare præcipitem. ibid.
ADVLTER. 307. & ſeqq. 363
Aufert Zaido vxorem. 307. & ſeqq. 237. 238. 312
BLASPHEMVS in Deum. 282. 294 326. 331. &c.
Proponit credenda oppoſita. 342. &c.

Conatus eſt omnem Dei legem peruertere. 349. & ſeqq.
Nihil oſtendit, quo ſe prophetam comprobaret. 161. & ſeqq. 171. 356. 358
Fatetur ſe miracula non perpetraſſe. 161. 171
Excuſationes eius: cur non perpetraret miracula. 162. 163. 171 & ſeqq. 355
Effiſta quædam eius miracula & viſiones 164. & ſeqq. 298. & ſeqq.
Nuſquam de eo locuta ſunt ſacra Euangelia. 340
Nec aliqua ſacrarum Scripturarum, niſi forte in malum 319. 320. 345
De Antichriſto prædicta à Daniele Mahometo quadrant. 320. &c.
IGNORANS fidem & religionem. 281. 282. 303. 304. 313. &c.
Neſcius non ſolùm occultorum. 356. &c.
Imò etiam loquebatur, neſciens quæ loqueretur. 273. 281. 282. 17
Inſipiens & neſcius. 355. & ſeqq.
Falſò ei tribuitur ſcientia infuſa. 345 & ſeqq.
Eius fabulæ & ſtultæ propoſitiones. 208 & ſeqq.
IMPOSTOR. 172. 173. 245. 310. & ſeqq. 343. & per totum Tractat. II.
Quomodo Alchorani impoſturam inſinuarit. 198. & ſeqq.
Commẽdabat fictis verbis virginitatem cæteraſque virtutes. 310. & ſeqq. 321. 326. & ſeqq.
Ad ſua commoda legem effinxit. 234 & ſeqq. & 307. vſque ad 318.
Sibi deberi etiam omnem prædam, exuuias, & ſpolia. 239
Eius falſæ promiſſiones. 193. & ſeqq.
Mahometum aſſerunt compoſuiſſe librũ 12000 propoſitionum, & 3000. tantum veras eſſe. 281
INCESTVOSVS. 312
Sibi ſoli licere ait propinquas. 234 &c. 311. & ſeqq.
LIBIDINOSVS. 259. 260. 311. & ſeqq. 318 319. 358. &c. 364. 377
Propheticam ſimulauit ad explendam libidinem. 310. & ſeqq. 364. 368
Omnes mulieres ſibi licere, ſoli. 235 311. &c.
Ad procreandos prophetas, quidam Mahometani reſpondent. Quod redarguitur. 313. & ſeqq.
Non cogitabat de propagatione, ſed de libidinis expletione. 315. & ſeqq.
Ampla licentia & cõmoditas ſibi in ea re vſurpata. 235. & ſeqq. 311. & ſeqq.
Incurabilis, ex Ariſt. ſententia. 365
A ſe cognatas nemini in poſterum licere ſtatuit. 318
PECCATOR peſſimus etiam poſt ſimulatam prophetiam. 303. & ſeqq. 315 316. 363. & ſeqq.
Quidquid ad ſanctitatem pertinet à Mahometo eſt alienum. 332
Nihil meriti apud Deum habet. 334
Eo iniquior quo ſimulatior. 345
Deceptus à Diabolo. 305. &c.
Periurus. 304. 363
SVPERBVS, arrogans. 167. 318
Etiam Dei gloriam ſibi vſurpare conatur. 198. 328. &c.
Complures ſibi dignos titulos vſurpat. 333 350 & ſeqq.
Falſò ſe dicit Redemptorem. 330 & ſeqq. 362.
Falſò dicitur Spiritus ſanctus aut Paraclitus. 338. & ſeqq. 349. & ſeqq. 362. &c.
Falſò ſe dicit ſigillum prophetarum. 362
Falſò ſe iudicaturum iactat 362
Summæ nobilitatis gloriam falſò vſurpauit. 348. 361. &c.
Priuilegia, quæ ſibi à Deo conceſſa ſ fabulatur. 169. 247
Mahometi ſectatores inuicem ſe occiderunt. 204. &c.
Salutem ipſi non conſequuntur, ſed ſoli Chriſtiani veri. 193 & ſeqq.
Mahometani Chriſtianis credere debent in his quæ ad Religionem pertinent. 30. 31 497 &c.
Mahometani fateri conuincuntur Sacr. Trinit Myſterium. 157 & ſeqq.
Conuincuntur item fateri Chriſtum Deum & hominem. ibid.

Mahometi ſectatores ſaluari ſimul & Iudæos & Paganos & Chriſtianos, dixit Mahomet. 286
Mahometanos ſolos ſaluari, dicit Mahomet. 286. 287
Mahometanorum Paradiſus. 196 & ſeqq.
Mahometani, Iudæi, Chriſtiani, in quo præcipuè diſſentiant. 195
Ad veram Dei legem ſuſcipiendam excitantur. 555. & ſeqq.
Malachias prophetat de Sacrificio Euagelicæ legis. 191
De Chriſti Præcurſore. 192
De Chriſti natiuitate & præſentatione in templo. ibid.
Malitia Mahometi. 246. 282. 331. &c.
Malum, aliud per ſe & intrinſecè, aliud per accidens & ab extrinſeco. 324 & ſeq.
Malus peccat frequentius circa voluptatem. 354
Manichæi à Fauſto Manes ſeu Manichæo dicti. 388. &c.
Manichæorum error de Chriſto. 386. 519
De creatione. 519. &c.
S. Marcus Euangeliſta præfiguratur per faciem Leonis. 188. &c.
Marcus Tullius Cicero, Idololatra ante Chriſti aduentum, egregius Orator, commendat inimicorum dilectionem. 124
Meminit Sibyllarum. 512. 514
Maria Virgo, Dei Mater, Deo oblata, dum adhuc in vtero eſſet matris, etiã Alchorano fatente. 277
Eam, exiſtimauit Alchorani effictor, eſſe ſororem Moyſi & Aaron, & filiam Amram. 276. & ſeqq.
Præſentata in templo. 277
Vterus eius Deo non indignus. 347
Mater & Virgo. 188. 475
Maria complura diuerſi generis per Mahomet. 212
Martiano Imperante, Concilium Chalcedonenſe celebratur. 51. &c.
Martyrum Chriſti conſtantia. 125 & ſeqq.
Maruta. Vide, Haruta.
Materia cælorum ex Mahometo. 212
Matrimonij Sacramentum à Chriſto inſtitutum. 537
S. Matthæus Apoſtolus & Euangeliſta, præfiguratur per faciem hominis. 188. &c.
Quædam eius miracula. 42
Mecha Mahometi patria. 297
Ibi compoſuit quædam Alchorani capita. 284. 297
Medinæ cõpoſuit Mahomet alia Alchorani capita. 284
Illuc aufugit Mecha eiectus. 284. 302
Membra non ſunt ex ſe turpia, ſed talia redduntur ex turpi actu. 347
Mendacia Mahometi. 276. & ſeqq.
Mendacia infideles ſectantur. 45
Menſe Ramadan dicit Mahomet, ſibi datum Alchoranum. 271. 284
Meritum ſingularum Chriſti operationũ infinitum. 136. 137. 534. 539. & ſeqq.
Meritorum Chriſti applicatio, ad eius nutum. 534
Per Sacramenta. 535. & ſeqq.
Micheas prophetat Chriſti ortum, locum, & Diuinitatem eius. 190
Miracula naturæ vires excedentia à Deo tantum patrabilia. 93. 94. 157. 169
Oſtendunt rei veritatem. 157
Miracula fieri debent coram teſtibus vel populo. 173. &c.
Neceſſaria, ad Diuinam legem inducendam in Orbe, ne detur locus impoſturæ. 155. & ſeqq.
Nonniſi ad bonum finem à Deo fiunt. 174
Miracula apparentia, vel naturæ vires non excedentia, per dæmonem poſſe fieri, & quomodo. 93. 94
Miracula perpetrata in Moſaicæ Legis confirmationem. 155. &c.
Miracula Chriſti fatetur Alchoranus, 114. 158. 383. 482
A nemine prius facta perfecit. 369
Miracula Chriſti, qua ratione oſtenderent, ipſum eſſe Deum Deiq. Filium, 509. &c.

Mi-

Miracula perpetrata in Euangelicæ Legis confirmationem. 158. & ſeqq.
Miraculorum perpetrandorum facultas, Apoſtolis data à Chriſto. 42. 108 142. 155. & ſeqq.
Miracula requiruntur à Mahomet, ipſe verò ſe excuſat. 151. & ſeqq.
Miracula quædam ridenda, efficta à Mahomet. 164. & ſeqq.
Miracula fieri nequeunt in impoſturæ confirmationem. 157
Miraculum nullum perpetratũ pro Mahometica lege. 161. 162. 171. & ſeqq.
Modeſtia doloſe à Mahometo commendatur & præcipitur. 311. 321
Monarchia Vide, Regia poteſtas.
Moralia præcepta. Vide, Præcepta.
Moyſis Prophetæ mentionem facit Alchoranus. 6. 15
Eum fatetur facie ad faciem cum Deo colloquutum. 6
Accepiſſe Legem à Deo. 9. 28. &c.
Oſtendit miracula, ad probandum ſe à Deo delegatum. 155. &c.
Ei traditum fuiſſe à Deo Alchoranum, inquit Mahomet. 293
Aliquando reprehenditur. 361
In quinto cælo à Mahomet collocatur. 168
Sua commoda vel incommoda non curabat, propter populi ſui vtilitatẽ. 235
Moyſi Lex. Vide, Lex Moyſi.
Mulieres deſpiciuntur in lege Mahometi. 239. & ſeqq.
Mulierum gloriæ non fit mentio in lege Mahometi. 240
Mulieres omnes, ex Mahometi lege, tam conſanguineæ, quàm affines, poterant ſe ipſi Mahometo proſtituere, quod cæteris nõ permittitur. 234. &c.
Mulieres omnes cuiuſcumq. indolis, allicit Mahomet. 316. &c.
Etiam coniugatam proſtituit ſibi Mahomet. 307. & ſeqq.
Mulier à Mahometo cognita, nemini ex eius lege vlterius licebat. 318
Mundana contemnenda. 201
Mundana concupiſcens mergitur in profundum. 242
Mutatio eſt tranſitus de vno in aliud in ſubiecto. 518
Myſteria ſupernaturalia, naturali intellectus lumine, non attinguntur. 3. 4 369

NAhaſſon, non eſt ingreſſus terram promiſſionis. 79. 80
Nahum prophetat Idolorum diſperditionem per Chriſt. Euangelium. 190
Natura creata, realiter diſtincta à propria ſubſiſtentia. 530. &c.
Naturæ & ſubſiſtentiæ vnio complet perſonam. 522
Natura Diuina communicatur tota indiuiſa & prorſus eadem tribus diſtinctis perſonis. 376
Non diſtinguitur à ſubſiſtentia Patris, nec à ſubſiſtentia Filij, neque Spiritus ſancti, niſi ratione dumtaxat. ibid.
Natura humana. Vide, Humana natura, & Homo.
Naturæ duæ in Chriſto, Diuina & humana, in eodem Diuino ſuppoſito. 523
Naturalis cognitio deficit in ſupernaturalibus. 3
Naturalis lex. Vide, Lex naturæ, & Lumen naturale.
Naturalia præcepta ſemper eadem & immutabilia. 264. & ſeqq. 350. &c.
Quæ. 350. &c.
Mahometus conatus eſt ea peruertere. 352
Non ſunt mutanda propter maius vel minus ingenij acumen. 353
Negationes Petri. Vide, Petrus.
Neſtorius, Chriſtum in duas partiebatur perſonas. 519
In Conc. Epheſino damnatur. 51
Noe Patriarchæ meminit Alchoranus. 6
Noe Patriarcha in ſecundo cælo à Mahomet collocatur. 167
Effingitur per Alchoranum, Noe fuiſſe Mahometanum. 280
Notiones in Diuinis, quid. 374
Quinque. ibid.
Patris duæ, innaſcibilitas & Paternitas.

ſi tas. 374
Filij, Filiatio ſeu generatio paſſiua. ibid.
Patris & Filij ſimul, Spiratio actiua. ibid.
Spiritus ſancti, vna tantum ſpiratio paſſiua. ibid.
Conſtituentes autem perſonas, tres tantum ſunt; Paternitas, Filiatio, Spiratio paſſiua. ibid.

O

Oligarchia, ſeu opulentorum aut paucorum potentia. 233
Oligarchica lex Mahometica. 239. &c.
Omar Mahometi ſectator & ſocer. 301
Bellator pro Mahomet. 388
Operatio perfectiſsima, ſcilicet intellectus cum voluntatis, eſt beatitudo formaliter, obiectiue Deus ipſe. 195
199. &c.
Oppoſita de eodem ſecundum diuer ſa dici poſſunt. 521. 529. &c.
Optimatum gubernatio quæ & Ariſtocratia. 233
Oratione Chriſtus quare peteret à Deo cum eſſet Deus. 547
Orationis tempore, Mahomet præcepit, vt verterent faciem verſus templum Ieruſalem; poſt 12. annos iuſsit verti faciem ad templum Mechæ. 276
Ordinis Sacramentum à Chriſto inſtitutum. 535. &c.
Pro Eccleſiæ miniſtris. 535. 537
Oſeas prophetat de Redemptione. 189
De Iudicio. ibid.
Othman Mahometi ſectator & gener occiditur ab Ali, etiam genero & ſectatore eiuſdem Mahometi. 205

P

Pagani ſalutem non conſequuntur æternam. 194. & ſeqq.
Pagani etiam ſaluantur ſ. ſecundum Mahomet. 193. &c. 285. 286
Paraclitus quid. 376
Vide, Spiritus ſanctus.
Paradiſus Mahometi. 196. & ſeqq.
Etiam brutis à Mahometo promittitur. 193
In Paradiſi gloria nihil turpe erit. 346
347
Iudæi, Pagani, Mahometani etiam, Paradiſum conſequentur; ſecundum Mahomet. 193. &c.
Mahometus ponit in Paradiſo exercitiū turpitudinis. 346. &c.
Septem Paradiſi à Mahometo eſſicti. 196. &c.
Paradiſi amplitudo quanta, ſecundum Alchoranum. 196
Vide, Beatitudo.
Partus ſeu fœtus creatus, prius generatur & concipitur: deinde augetur: deinde excluditur: deinde adeſt, &c. per ordinem: Fœtus autem Diuinus ſtatim & ab æterno omnia ſimul obtinet, ſine ſucceſsionis imperfectione. 437. &c.
Paſsio redditur decora vel indecora, ex titulo vel cauſa. 540
Paſsio Chriſti ordinata in redemptionē noſtram, non paſsionis illatio. 539
540
Proportionatum medium ad ſalutem omnium. ibid.
Infiniti eſt meriti. ibid. & 136.
Ipſum quoque peccatum, quo illata eſt, delere poterat. 541
Quammaximè decens fuit Chriſti paſſio, quatenus ex parte Chriſti. 542
Ex charitate, obedientia, & virtute fuit, non ex propria culpa aut ex impotentia. 542
Eius repræſentatio in S. Sacrificio Euangelicæ Legis. 538
Pater, prima Diuinæ Trinitatis perſona. 375
Eſt Perſona diſtincta realiter à Perſona Filij & à perſona Spiritus ſancti. 421 & ſeqq.
Pater, in Diuinis, æqualem ſibi Filium producit, per omnia æqualem. 437
438. 468. & ſeqq.
Non eſt propriè cauſa Filij, quamuis producat Filium. 468. & ſeqq.

Pater

Pater non eſt incarnatus, ſed Filius tantum. 524
Paternitas, in Diuinis, eſt relatio cõſtitutiua Perſonæ Patris. 373. 375
Eius proprietas, notio, relatio. Importat in Patre perfectionem infinitam. 469 & ſeqq.
Patientia ſanctorum Martyrum. 176
Pauli Apoſtoli charitas, dum diceret: Optabam ego anathema eſſe pro fratribus. 43
Eius miracula quædam. 42. 497
Vera docuit & ſcripſit. 497. &c.
Paulo III. Sum. Pontifice, inchoatum eſt Conc. Tridentinum. 54
Pauli Samoſateni error. 386
Paulus Conſtantinopolitanus Monothelita damnatur. 52
Peccator in peccato perſiſtens, nihil mereri poteſt apud Deum. 334
In dies ſemper magis demeretur. 183
Tamquam ſi nihil eſſet apud Deum computatur. 334
Diaboli ſeruus. 88. 89
Obſtinato, fides quoque in pœnam aufertur. 181. & ſeqq.
peccator tenetur confiteri peccata, per quæ gratiam poſt baptiſmum amiſit. 537
Peccatum ex ignorantia, dicitur in Filium: ex malitia, dicitur in Spiritum ſanctum. 551. &c.
Quod eſt ex malitia, difficilius dimittitur. ibid.
Peccati fomes. Vide fomes.
Peccata Mahometi. 303. & ſeqq. 363
Pentateuchum Moyſi ex Deo fatetur eſſe Alchoranus. 6. 7
Eſſe lumen & regimen hominum. ibid. Vide, Tora.
Perfectius vnumquodque fit, quanto fit ſuo fini propinquius. 202
Periurium Mahometi. 304
Permiſſio lapſus in nouum peccatum, eſt pœna veteris delicti. 320. &c.
Perſecutores Chriſtianorum. 175
Perſona quid. 372. &c.
Tres perſonæ in Diuinis. 375
Conſtituuntur per relationes. 373
Secunda procedit à Prima, & Tertia ab Vtraque. 421. & ſeqq.
Et ſunt realiter diſtinctæ. ibid.
De perſona dicuntur actiones vel paſſiones, quæ tamen ſiunt per naturam. 521. 524. 525. 534
Petri Apoſtolorum Principis affectus erga Chriſtum, dum diceret: Et ſi omnes ſcandalizati fuerint, &c. 90. 91
De Petri & Andreæ vocatione, Euangeliſtæ non diſſentiunt. 81. &c.
Petrus cur prius beatus, mox deinde Sathanas à Chriſto fuerit appellatus. 87. &c.
De Petri negationibus earumque circumſtantijs Euangeliſtæ non diſſentiunt. 94. & ſeqq.
Petri & Pauli Apoſt. miracula quædam, fatente etiam Alchorano. 42
Petro commiſſa eſt à Chriſto Eccleſiæ prælatio. 130. 392. &c.
Pharaonis obſtinationem memorat Alchoranus. 15
Photini error de Chriſti perſona. 386
Pio IV. Summo Pontifice clauſum eſt Concil. Tridentinum. 54
Pœna peccati perpetrati, lapſus in alterum. 320. &c.
Pœna damnatorum æterna, & numquã minuenda. 292
Contra hoc etiam dicit Mahomet. 297 & ſeq.
Pœnitentiæ Sacramentum à Chriſto inſtitutum. 536. &c.
Pro his qui poſt Baptiſmum in peccata prolapſi ſunt. ibid.
Pœnitentiam, inquit Mahomet, Deum à Diabolis acceptare, à quibuſdam verò infidelibus, non. 292. &c.
Pontifex Romanus Petri ſucceſſor. 392 393
Popularis ſtatus Reipublicæ, malus. 433
A Mahometo quomodo inſtituitur. ibid.
Potentia paucorum, in gubernatione. ibid.
Vide, Oligarchia.

Præ-

Præcepta proponentia fidei obiectum, mutari in oppoſita nequeunt. 342. &c
Præcepta Moſaicæ Legis: vel moralia, vel cæremonialia, vel iudicialia. 126
Moralia & naturalia conuenienter per Chriſtum ad perfectius eleuata. 126. 127. 131. 140
Quæ ſint. 350. &c.
Iudicialia conuenienter per Legem Euãgelicam abrogata. 127. 128. 132
Cæremonialia iurè per Euangelium abrogata. 128. 131. & ſeqq. 139. &c.
Vide, Lex, Lex Diuina, Lex naturæ, Lex Moyſi, Lex Euangelica, &c.
Prædam ſeu exuuias, ſibi deberi Mahometus decreuit. 239. 363
Præfigurationes & prophetiæ de Chriſto. 185. & ſeqq.
Prælium. Vide, Bellum.
Præmium in Euãgelica lege in promptu poſitum, requirit perfectiores mores quàm requireret lex Moyſi. 127
Prima principia ex ſe nota. 323
Promiſſionis terram quinam ingreſſi. 79 80
Promiſſio Dei fidelis. 184
Promiſſio præcipua Moſaicæ legis, Redemptoris aduentus. 185
Promiſſiones Diuinæ legis omnes impletæ quarum tempus aduenit. 192
Promiſſiones Mahometicæ legis, falſæ. 193. & ſeqq.
Prophetæ & Sancti, non propria, ſed Dei virtute, ſe miracula perpetrare ſignificabant. 509. &c.
Prophetarum teſtimonia ſuſcipienda eſſe, fatetur etiam Alchoranus. 6. 9
Prophetia Iſa. c. 21. de aſcenſore aſini & de aſcenſore cameli, non benè Mahometo applicatur ab authore Politoris ſpeculi. 336
Prophetam aut prophetiam in poſterum à Deo non eſſe mittendam, dixit Mahomet. 315. 483. &c.
Prophetarum ſigillum ſe iactat Mahomet. 315
Prophetas omnes à Diabolo tentatos inquit Mahomet. 306
Prophetia non ſuſcipitur aut obtinetur per humanam propagationem. 313 314
Proprietas quid. 374
Quatuor in Diuinis. ibid.
Proximi dilectio, ſecundum illud principium: Quod tibi vis, alteri facies. Quod tibi non, nec alteri. 230. &c.
Pſalmos Diuino afflatu à Dauid compoſitos, fatetur Alchoranus. 6
Ex pſalmis allegat ſententiam Alchoranus. 18
Camus etiam ex pſalmis verba refert. 18
Ex Pſal. 71. allata à Perſis pro Mahometo non facere. 342
Pſeudoprophetæ qualia miracula oſtendere poſſint. 93. &c.
Vide, Mahomet.
Puellæ in paradiſo à Mahometo fictæ. 196. & ſeqq.
Pugna. Vide, Bellum.
Pyrrus Conſtantinopol Monothelita, cum cæteris damnatur. 52

Quæ ſunt idem vni tertio, ſunt idem inter ſe, explicatur quomodo habeat locum in Diuinis. 457 & ſeqq.
Quantitas alia in Deo non eſt, niſi ipſamet eſſentialis Diuinæ naturæ perfectio. 468
Eadem in Patre, ac in Filio, ac in Spiritu ſancto. 468. & ſeqq.

Rectitudinem legis non arguit eius duratio. 181. 183
Redemptio & Redemptor, illico poſt lapſum homini promiſſus, etiam fatente Alchorano. 120. 262. &c.
In Redemptione, Diuini Solis duplices viciſſim emicant fulgores, & iuſtitiæ & miſericordiæ. 121
Redemptio beneficium amplius quàm creatio. 142. &c.
Ex Dei acceptatione & ordinatione per Chriſtum. 534
Redemptionis effectum cur non omnes aſſequantur. 534. &c.

Re-

Redemptoris titulum gratis & impiè Mahometus vſurpauit. 332.& ſeqq.
Redemptor Chriſtus eſt. 333
Regia poteſtas,cum vnus in communitatis vtilitatem gubernat. 233
Relatio quid. 373
Quatuor relationes in Diuinis. ibid.
Relatiuum eſt, quod perſonam conſtituit in Diuinis. ibid.
Relationes oppoſitæ tantummodo, in Diuinis, realiter diſtinguuntur, in cæteris verò omnimoda identitas eſt. 376
Relatio effectus ad cauſam ſeu producti ad producentem, & è contra, importat neceſſariò diſtinctionem inter vtrumque. 460.&c.
Relatio ſcientiæ ad obiectum non importat neceſſariò diſtinctionem inter obiectum & ſcientiam. 460
Remedium homini poſt lapſum illicò à Deo promiſſum. 120. 121. 262.&c.
Non illicò homini datum,& quare. 121. 263.
Ante remedium poſt lapſum, prouiſum eſt per fidem in futurum mediatorem tunc temporis decedentibus. 122,263
Remiſſio peccatorum, non merè gratis eſt à Deo, ſed ex meritis à Chriſto exhibitis. 534
Repudij libellus cur in lege Moyſi permiſſus. 123
Repudij permiſſio imperfectio quædam Moſaicæ legis. ibid.
Reſpublica iuſta vel iniuſta. 233
Reſurrectio Chriſti tertia die. 104.&c.
Die Dominica. 142
Reſurrectio brutorum, ex Mahometo. 221. 276
Retractata à Mahometo. 266. & ſeqq. & 253 & ſeqq.
Rex gloriæ, Deus verus tantum dici poteſt. 504

SAba Regina, literas Salomonis accipit per auem tranſmiſſas, ſecundum Mahomet. 210
Sabæ Reginæ ſolium, miniſterio diaboli, Hieroſolymam Salomon tranſtulit in ictu oculi, ſecundum Mahomet & Alchoranum. 210
Sabam Reginam, eiuſq. gentes, Solem coluiſſe, vpupa dixit, ſecundum Mahometum. ibid.
Sabbati dies hebdomadæ poſtremus. 141
Sabbati cuſtodia in Euangelica lege mutata in Dominicæ. 141. 143 &c.
Sabbati cuſtodia an dici poſſet de lege naturæ. 141.&c.
Quatenus præceptum naturale, & quatenus poſitiuum. 141
Sabbati cultus ad Dei imitationem inſtitutus. 143
Memoratiuus dies beneficij creationis. 142
Illud Chriſti, Cauete, ne ſit fuga veſtra hyeme vel ſabbato, quid ſibi velit. 144
Sabbati cultus non amplius ſeruandus in lege Euangelica, etiam fatetur Alchoranus. 144
Sabbatum ſeruantes maledicti dicuntur. ibid.
Sabellij error, de Diuina Trinitate, confutatur. 386.421
Sacerdotes, ſeu miniſtri Eccleſiæ, qua ratione claues cæli habere dicantur. 537
Sacramenta à Chriſto inſtituta. 535 & ſeqq.
Sacrificium quid. 137.138
Sacrificij mutatio conſequitur ad Diuinæ legis mutationem. 133
Sacrificia Moſaicæ legis conuenienter abrogata per Euangelicam. 134. 135.139.140
Erant figuræ de Chriſto, & Euangelica lege. ibid.
Et illis delectabatur Deus, ratione figurati, & non per ſe. ibid.
Sacrificium à Chriſto Deo oblatum per ſuum ſanguinem, infiniti valoris & meriti. 136
Sacrificium Euangelicæ legis à Chriſto inſtitutum. 137.138.139
Eſt etiam ſacramentum, & qua ratione. 535.536
Sacrificium nouæ legis, Chriſti paſſionem

nem & mortem repræſentat. 138
Liter Sale & Arphaxad, cur à Luca generatio Cainan interpoſita. 78. &c.
Salmon filius Nahaſſon ingreſſus eſt terram promiſſionis. 80
Salomonis mentionem facit Alchor. 6
Salomonis, fabuloſi exercitus à Mahometo efficti. 210
Salomon (ex Mahometo) auium ſermonem intelligebat, eiſque militibus vtebatur. ibid.
Salomonis riſus ex locutione formicæ, ſecundum Mahometum. ibid.
Salomoni dæmones ſeruiebant ex Alchorano & Mahometo. 210.213.&c.
Salomon rex & iudex auium, minatur à ſe vpupam capitis damnandam. 210
Salomon cum vpupa colloquitur ex Alchorano & Mahometo. ibid.
Salomon per vpupam auem litteras ad Reginam Sabam mittit, ſecundum Mahomet. ibid.
Salomonem iam mortuum, ſed ſedentem & baculo ſuſfultum ne caderet, diaboli viuum adhuc cenſebant, ſecundum Mahomet. 214
Sancti. Vide, Iuſti.
Sanctitas in quo ſita eſt. 85.&c.
Supernaturalis. 89
Vniuerſa à Chriſto deriuatur. 552.&c.
Sapientia in Deo eſſentialis, vel notionalis. 440.442
Sapientia Deo eſſentialis. 440.&c.
Per eius exercitiū Pater producit Verbum. 460
Sapientia notionalis ſeu perſonalis, eſt Verbum Dei, qui & Filius Dei verè dicitur, ex Scrip. & ratione. 434 & ſeqq.
Sapientiæ Diuinæ conceptus, generatio, partus, omnipotentia, Diuinitas. 437. &c.
Sapientiæ nomen, Filius Dei in Scr pt. obtinet. 437
Sapientia genita Dei, Filius Patris, per intellectum à Patre procedit. 375
Sapientia in creatis accidentalis eſt. 441
Sapientia & ſcientia in nobis duplicem reſpectum importat, vnum ad obiectum cognitum, & alterum ad intellectum a quo eſt. 460
Ratione reſpectus obiectiui non importat neceſſariò diſtinctionem, ſed ratione reſpectus effectiui. 460
Sanguis & corpus Chriſti ſub ſpeciebus vini & panis per eius omnipotentiam 137. & ſeqq. 535. &c.
Qua ratione ſit Sacrificium, & qua Sacramentum. ibid.
Satisfactio condigna pro peccatis per Chriſtum. 136
Vide, Chriſtus.
Scripturæ ſacræ qualitates. 153. & infra.
Scripturæ ſacræ Chriſtianorum integræ ſine vlla ſuſpicione erant tempore Mahomet, ipſomet fatente Alchorano. 44. & ſeqq. 290. &c.
Scripturas ſacras extare in Orbe, & olim extitiſſe ante machinationem Alchorani, Alchoranus etiam fatetur. 4 &. ſeqq. & 28.
Scripturarum ſacrarum plures meditatores a Deo inſpirati, ex conceſſione ipſiuſmet Alchorani. 6.7
Scripturarum ſacrarum libri olim à Iudæis, nunc à Chriſtianis habentur. 34
Scripturarum interpretes, ex Alchorani etiam conceſſione, Iudæi & Chriſtiani. 7.34.287.&c.
Scripturæ Diuinæ ſunt libri quinque Moyſi & Euangelium ſecundum quatuor Euangeliſtas. 8
Scripturæ ſacræ ſunt Fidei regulæ, etiam fatente Mahomet. 10. 395. 396
Scripturæ ſacræ eæ tantum ſunt, quæ tales habentur à Chriſtianis, veram Chriſti fidem profitentibus. 8
Scripturis ſacris Chriſtianorum tenentur Mahometani credere, aliàs non ſaluabuntur: ex ipſomet Alchorano probatur. 7 & ſeqq.
Scripturæ ſacræ quæ ſint. 7.11 & ſeqq.
Vide, Euangelium.
Scripturæ ſacræ non fuerunt vitiatæ à Chriſtianis aut à Iudæis. 31. & ſeqq.
Scripturæ ſacræ non potuerunt ab infidelibus

delibus vitiari. 34.&c.
Scripturæ ſacræ propter nullum finem vitiari potuerunt à Chriſtianis. 35 &ſeqq.
Scripturæ ſacræ nullo tempore vitiatæ dici poſſunt.
Non ante Chriſti aduentum. 38.&c.
Nec poſt aduentum Chriſti. 39
Nec poſt Chriſti aſcenſionem in cælum. 40
Nec tempore Apoſtolorum. 40.& ſeqq.
Nec poſt Apoſtolorum dormitionem. 43
Nec vllo tempore vſque ad Mahometi ſæculum. 44.& ſeqq.
Nec vnquam vſque nunc. 47.&c.
Scripturarum ſacrarum verſionem, qualis hebræa, qualis Chaldaica, qualis 70. Interpretum, & Vulgata Latina. 65.& ſeqq.
In Scripturarum integritate ſeruanda & tuenda, aſſidua Eccleſiæ vigilantia. 49.& ſeqq.
Scripturæ vitium quamuis minimum, SS.Patres illicò aduertebant & ſeduli adnotabant, ne ſinceri codices inficì poſſent. 63.&c.
Scripturæ locus aliquis vitiatus in vno codice vel verſione, ſtatim deprehenditur collatione cum cæteris, nec poteſt vniuerſorum ſinceritatem tollere; ſed potius locus vitiatus, ex ſinceris redarguitur. 63
Nullus ſacræ Scripturæ locus aſſignari poteſt, qui à Chriſtianis vitiatus dici poſſit: de locis præcipuis quibuſdam oſtenditur. 57.& ſeqq.
Scripturæ ſacræ ſenſus aut lectio ne viriarentur, quanta fuerit & quàm aſſidua Eccleſiæ vigilantia. 49.& ſeqq.
Scripturæ ſacræ vbi fuerint vitiatæ, aſſignari non poteſt. 55.&c.
Scripturæ ſacræ loca, à Perſis pro Mahometo allegata, non facere pro Mahometo. 336.& ſeqq.
Scripturæ ſacræ libri recenſentur. 11 & ſeqq.

Loca Sacrarum Scripturarum, prout in hoc Opere, notabiliora.

Ex Geneſi.
Cap.5. Verſio 70.Interpretum, addit ante generationes ſingulorum centenos annos. 66
Cap. 17. Super Iſmael quoque exaudiui te, &c. non facere pro Mahometo. 335. 341
Cap. 22. Nunc cognoui, quòd timeas Deum. 544
Ex Exodo.
Cap. 20. Ego ſum Dominus Deus tuus, Non habebis Deos alienos coram me, &c. 350.& ſeqq.
Ex Deuteronomio.
Cap. 33. Dominus de Sinai venit, &c. non facere pro Mahometo. 341
Iudicum.
Cap.7. Dixitque Dominus ad Gedeon: Adhuc populus multus eſt. Duc eos ad aquas, &c. 15
Regum.
Lib.3.cap.18. Vſquequo claudicatis,&c. Si Baal eſt Deus, &c. 16.&c.
Ex Pſalmis.
2. Filius meus es tu. Oſtenditur, ad Mahometanos, eſſe locus verus Scripturæ; & de Chriſto intelligendus. 57 58. 18
Significare veram Dei filiationem. 478 479
18. Lex Domini immaculata,&c. 153 & ſeqq.
21. Foderunt manus meas & pedes,&c. 65
32. Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris eius, &c. eſſe verum Scripturæ locum 61.&c.
36. Iuſti autem hæreditabunt terram. 17. 18
71. Reges Arabum & Saba,&c. non facere

cere pro Mahometo. 142
Prophetarum quædam prænunciationes de Chriſto. 185. & ſeqq. & à 480 vſque ad 485.

Iſaias.

Cap.9. Et vocabitur nomen eius, &c. 66
21. Aſcenſorem cameli,&c.non facere pro Mahometo. 336
53. Si poſuerit pro peccato animam ſuam,&c. 534

Ieremias.

Cap. 23. n. 6. pro (Vocabunt) legunt Hebræi (Vocabit.) 66

Baruch.

In terris viſus eſt,& cum hominibus conuerſatus eſt. 483

Daniel.

Cap.2. Lapis autem,qui percuſſerat ſtatuam,factus eſt mons magnus,&c. nō facere pro Mahometo. 337
Cap.11. Erit in concupiſcentijs feminarum. poſſe intelligi de Mahometo. 320

Habacuc.

Deus ab Auſtro, & Sanctus de monte Pharan. non facere pro Mahometo. 341

Ex quatuor Euangelijs.

Chriſti genealogia ex Luca & Matthæo, quomodo. 69.& ſeqq.
De Petri, Andreæ, aliorumque Apoſtolorum vocatione, Euangeliſtas non diſſentire. 81. &c.
Ioannes Baptiſta, quomodo dicatur: Non manducans. 85
Quomodo Propheta, & non Propheta, & pluſquam Propheta. 84
De Archiſynagogi filia, à Chriſto ſuſcitata, Euangeliſtas non diſſentire. 109.&c.
De Petri negationibus non eſſe diſſenſum inter Euangeliſtas. 94. & ſeqq.
De cruce baiulata à Chriſto, vel à Simone Cyrenenſi, non eſſe diſſenſum inter Euangeliſtas. 110
De latronibus crucifixis cum Ieſu, non eſſe diſſenſum inter Euangeliſtas. 103 & ſeq.
De Chriſti Reſurrectione, die tertio, nō eſſe diſſenſum in Scripturis. 104.&c.
De Chriſti Reſurrectione, eiuſque apparitionibus, Euangeliſtas non diſſentire. 105.& ſeqq.

Ex Matthæo.

Cap.1. Quomodo accipiendæ generationes quatuordecim à tranſmigratione Babylonis vſque ad Chriſtum. 75. & ſeqq.
Cur neglectæ generationes Ochoziæ, Ioas, Amaſiæ. 76. & ſeqq.
Salmon genuit Booz de Raab. 79. 80
Cap.5. ſect.8. Iota vnum non præteribit à lege. 111.& ſeqq.
Sect.9. Non iurare omninò. 110
Cap.7. ſect. 13. Omnia quæcumque vultis, vt vobis faciant homines, facite illis. 230
Cap. 11. ſect.30. Omnes Prophetæ vſq. ad Ioannem prophetauerunt. 83
Cap. 16. ſect.50. & 51. Petrus qua ratione Beatus, & mox Satanas appellatus? 87.&c.
Cap.19. ſect.59. Illud de libello repudij, a Chriſto prohibito. 113
Erunt duo in carne vna. 117
Sect. 61. Quid me dicis bonum? Nemo bonus, niſi ſolus Deus. 545
Facilius eſt, camelum per foramen acus tranſire, quàm &c. 19. 551
Cap. 22. ſect. 74. Diliges Dominum Deum tuum ex toto &c. 230
Hinc tota lex pendet. 351
Cap.24. ſect.78. Cauete, ne ſit fuga veſtra Sabbato. 144
Quomodo pſeudoprophetæ prodigia poſsint oſtendere. 93.&c.
Sect.79. De die autem illa, nemo ſcit, niſi ſolus Pater. 544. &c.
Cap.vlt. Ite, docete omnes &c. baptizantes eos In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. eſſe verum Euangelij locum. 61

Ex Marco.

Cap.3. ſect.12. Qui autem blaſphemauerit

rit in Spiritum ſanctum, non habebit remiſsionem in æternum. 551. &c.
Cap.4.ſect. 13. Terra fructificat primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica. 21
Cap.10. ſect.31. Illud, de libello repudij prohibito à Chriſto. 123
Sect.32. Facilius eſt, camelum per foramen acus tranſire &c. 19.551
Cap.vlt. Qui verò non crediderit, condemnabitur. 107
Ieſus ſedet à dextris Dei. 547. &c.

Ex Luca.

Cap.2. ſect.7. Ecce hic poſitus eſt in ſignum &c. 21
Cap.3. ſect.10. Quare interpoſita generatio Cainan, inter Sale & Arphaxad 78. &c.
Cap.18. ſect.65. Facilius eſt camelum, per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum Dei. 19.551
Cap.23. ſect.84. Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. qualiter exauditus pro ſua reuerentia. 547

Ex Ioanne.

Cap.1. ſect.1. Verbum erat apud Deum. 546
Verbum caro factum eſt. eſſe verum sācti Euangelij locum, & de Chriſto intelligendum. 58. & ſeqq.
De plenitudine eius nos omnes accepimus. 552. &c.
Cap.5 ſect.11. Pater omne iudicium dedit Filio. 545. &c.
Cap. 5. ſect. 12. Quomodo Chriſtus dicat: Teſtimonium meum non eſt verum. & : Eſt verum. 92. &c.
Cap.8. ſect. 19. Illud de Adultera. 125
Sect.20. Teſtimonium meum verum eſt. 92. &c.
Cap. 10. ſect.23. Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam. 93
Cap. 16. ſect.35. Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. 550
Cap. 17. ſect.37. Pater ſancte ſerua eos, &c, vt ſint vnum, ſicut & nos. 549. 550

Ex Epiſtolæ ad Galat. cap.5.

Teſtificor omni circumcidenti ſe, quòd debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ. 115
Senſualis ſeu carnalis portio in homine, ſpirituali ſubijci debet. 242
Mahometus contrarium præcipit. 243. & ſeqq.
Senſuales concupiſcentias frænanti, debetur paradiſi gloria. 242
Septenarius, ſeptuagenarius, ſepticentenarius numerus ferè in omnibus à Mahometo imponitur. 167 168 198. 206. 212
Septuaginta Interpretum verſio. 66
Sepulchri pœna ex poſitione Mahomet 206. &c.
Sergius Conſtantinop. Monothelita, damnatur. 52
Sibyllæ decem celebriores. 512
Sibyllarum teſtimonia de Chriſti Diuinitate, paſsione, morte, Matris virginitate &c 512. & ſeqq.
Silueſtro I. Sum. Pont. ſacrum Concilium Nicænum I. celebratur. 49
Conſtantinum ad Chriſti fidem conuertit. 50
Simplicitas Diuinarum perſonarum. 465 & ſeqq.
Solem, ſe occidendo demittere in fontē feruentis aquæ, fabulatur Alchoranus. 109. 356
Solis ecclipſis demonſtrat ſolem ſuper lunam ſitum. 309

Ex Libro Sonna in hoc opere allata.

Pugnate cum hominibus donec fiāt Mahometani. 178. &c.
Terra ſuper tauri cornu ſita. 208
Decedentes vulneribus in bello, voluptatem tunc experiri maximam. 206
Beſtias mereri vel demereri. 221. &c.
Interrogatio cadaueri facta ab Angelis in ſepulchro, efficta à Mahomet. 206 & ſeq.
Chriſtus deſcendet de cælo ad iudicandum. 362. 501. 507

Elegãtiam puellarum, in paradiſo à Mahometo eſſictarum celebrat. 197.
Mahometanos omnes propter ſcelera ad inferos damnatos in die iudicij ſabulatur ſe Mahometus ereptuurum ab inferno, & ad paradiſi gloriam tranſlaturum. 197.&c.
Conuiuium Mohãmedici paradiſi. ibid.
Arbor paradiſi, Eltuba, eſſicta à Mahomet. 197
Amplitudo eſſictæ fontis in Paradiſo. 197
Gloria fabuloſa Mahometici paradiſi. 198.&c.
Feritas & crudelitas in inuicem ſectatorum Mahometi. 205
Eſſicta viſio Mahometi. 299
Sophonias, Chriſti Reſurrectionem prænunciat. 190
Diſcipulorum Chriſti concordiã & charitatem. ibid.
Redemptionem per Chriſtum Deũ perficiendam. ibid.
Spatia à Mahometo eſſicta ſuper cælos. 212.&c.
Spiratio actiua communis Patri & Filio Notio vtriuſque. 374
Spiratio paſsiua Spiritus ſancti perſonam conſtituit. 375.&c.
Eius relatio, proprietas, & notio. 373 & ſeq.
Spiritus ſanctus tertia Diuinæ Trinitatis perſona. 375
Spiritus ſanctus non eſt Filius, nec eius proceſsio eſt generatio. 378.&c. 419. 450
Procedit à Patre ſimul & Filio, tamquam ab vno principio. 375. 378. 422 & ſeq.
Procedit per voluntatem vt Diuinus Amor. 375. 378. 461
Intelligens eſt & ſapiens, non tamen Verbum producit. 442. & ſeqq.
Spiritus ſanctus Vita Dei dici poteſt, & quare. 463
Spiritus ſanctus mittitur & à Filio. 422 & ſeq.
Eſt æqualis Patri & Filio, quamuis ab eis Diuinitatem accipiat. 468.& ſeqq.
Spiritus ſancti nomen, non eſt gratis vſurpatum, ad ſignificandam tertiam Diuinarum perſonarum per voluntatem procedentem. 464
Cur tali nomine cenſeatur. 375
Etiam Mahomet Spiritus ſancti nomen profert. 419.&c.
De Spiritu ſancto Mahometani modò hæc modò illa afferunt. 464.&c.
Dicitur Amor, Charitas, Vnio, Pondus, Conſolator, Aduocatus, Paraclitus: & omnia nomina voluntatis termino conuenientia, niſi imperfectionem importent, de illo dici poſſunt. 375 & ſeq.
Eſt realiter diſtinctus à perſona Patris, & à perſona Filij. 422. &c.
Spiritus ſanctus eſt verus Deus, Scripturis probatur. 425. & ſeqq.
Probatur authoritate ſanctorum Patrum 431.& ſeqq.
Eſt immenſus. 425
Eſt Creator. ibid.
Omnipotens & miraculorum patrator. 426.&c.
Debetur ei Diuinus cultus. 417
Eius Diuinitas, contra Macedonij blaſphemias, aſſeritur in Conc. I. Conſtantin. 51
Eſt Sanctificator. 426
Spiritum ſanctum eſſe Sanctificatorem, etiam Mahometani fatentur. 23. 419 426
Diſtributor & Largitor Diuinæ gratiæ, & donorum quæ gratis data dicuntur. 427.&c.
Spiritu ſancto ſanctificari omnes Sancti.
Spiritus ſanctus non eſt incarnatus, ſed incarnatus eſt Filius dumtaxat. 524
Spiritus ſanctus promittitur Apoſtolis. 189. 190
Non erat aboleturus, ſed confirmaturus Legem Chriſti. 349
Spiritus ſancti nomen impiè ſibi Mahometus vſurpat. 338. & ſeqq. 465
Spiritus ſancti intentio in Chriſti genealogia texenda apud Matthæum vno modo

modo & apud Lucam altero. 73
Spiritualis portio in homine regere debet ſenſualem ſeu carnalem. 242
Spiritualis portio per legem Mahometi, carni & ſenſui ſubijcitur. 243. & ſeqq.
Spolia. Vide, Præda.
Statua in ſomnis Nabuchodonoſor oſtẽſa quid ſignificarit. 337
Quid lapis conterens eam. 337. &c.
Stellam maximam, dixit Mahomet, non excedere molẽ vnius montis ſiti iuxta Medinam. 166
Stellas è cælo citimo terris dixit Mahomet pendere, catenis aureis appenſas. 166
Sterilitas etiam ex nimio coitu. 314
Stultæ Mahometi fabulæ. Vide, Fabula
Subſiſtentia quid. 372
Idem quod Hypoſtaſis. ibid.
Non eſt idem quod exiſtentia. ibid. & 530. &c.
De ſuppoſito dicuntur conuenientia naturæ. 521. 524 &c.
Suillæ prohibitio in Lege Veteri, ad cæremonialia pertinebat. 147
Suſcitare à mortuis ſe nemo poteſt quatenus talis. Chriſtus autem ſe ſuſcitauit mortuum hominem, tamquam viuens Deus. 93

TAbula ſeruata, efficta à Mahomet 167.
Ibi omnia adnotata viuentia & exiſtentia. 167. 212
Talionis pœna ab offenſo non expetenda, ad vindictam. 124
Taurat. Vide, Tora.
Taurus terram cornu ſuſtinet, ex poſitione Mahomet. 208
Tempus quo fuerint vitiatæ ſacræ Scripturæ, aſſignari non poteſt. 38
Vide, Scripturæ ſacræ.
Templum Mechæ, dicit in Alchorano Mahomet, primum ex omnibus templis extructum. 280
Tentari, non eſt peccatum, ſed tentanti in prohibitis conſentire. 542. &c.
Tentari Chriſtum à Diabolo conueniens fuit. 543
Terminatio vnionis, vt ſic, non importat mutationem intrinſecam in terminante. 527. & ſeqq.
Terram promiſſionis qui nam ingreſſi. 79 80
Teſtamenti præceptum à Mahometo retractatum. 272
Teſtimonium Chriſti verum, & quomodo intelligatur dictum ipſius: Teſtimonium meum non eſt verum? 92
Theodoſius Alexandr. Monothelita cum cæteris in Concil. III. Conſtant. damnatur. 52
Theodoſio Seniore Imperante habitum eſt Concil. Conſtantinop. I. 51
Theodoſio Iuniore Imperante celebratur Conc. Epheſinum. ibid.
Theodorus Mopſueſtenus in pluribus à fide aberrans, in Conc. Conſtantin. II damnatur. 52
Theodorus Pharanitanus Monothelita cum cæteris damnatur. ibid.
Titulus ſeu cauſa, reddit paſſionem decoram vel indecoram, 542
Titulorum Alchorani plurimorum inſulſitas. 220
Tituli Alchorani capitum, alij Mechenſes, alij Medinenſes. 284
Et de hoc contradictio. 284. &c.
Tora ſeu lex Moyſi directio hominum eſt, etiam Alchorano fatente. 7. 28
Regula fidei. 7. 10. 226. 227. 290. 291 395. &c.
Non eſt in ea aliqua ſuſpicionis nota, Alchorano etiam fatente. 44. & ſeqq. 290. 291
Vide, Scriptura ſacra, & Lex Moyſi.
Tribuum Iſrael meminit Alchor. 6. 9
Trinitas perſonarum in Deo. 317 & ſeqq.
Eſt per relationes. 466
S. Trinitatis myſterium explicatur præſertim exemplo deſumpto ex anima rationali. 375. & ſeqq.
Probatur ex ſacris Scripturis. 57. 61 379. & ſeqq.

Au-

Authoritate Conciliorum & Patrum. 383. & infra.
Semper in Dei Eccleſia perſeueranti fide creditum, Sacroſ. hoc Trinit. Myſterium. 398. & ſeqq.
Cogente veritate fatetur etiam Mahomet S. Trinitatem Diuinarum perſonarum nomina proferens. 419. &c.
Nullam importat cõpoſitionem in Deo. 465. & ſeqq.
Nec inæqualitatem in diſtinctis perſonis 468. & ſeqq.
Vide. Deus Pater, Filius, Spiritus ſanctus, Relatio, Proprietas, Notio.
Turpia non præcipiutur à Deo. 224.332
Turpitudinis nihil futurum eſt in cæleſti patria. 346.&c.
Turpitudinis exercitium in Paradiſo ponit Mahomet. ibid.
Tyrannis quid. 233
Tyrannica, lex Mahometi. 234.& ſeqq.

VAlentini error de Chriſto. 386 389. 510
Varro Sibyllarum facit mentionem. 515
Veneris die coli Mahomet præcepit. 328
Venerationum diuerſæ ſpecies. 150.&c.
Verbum Dei idem eſt cum Deo. 517
Verbum quid propriè dicatur. 435.&c.
Verbum Dei, qui & Filius Dei, & genita Patris Sapientia. 375.434.& ſeqq.
Verbum Dei à Deo procedere, & eſſe Chriſtum, fatentur etiam Mahometani. 434.435.419.420.516.& ſeqq.
Verbum Dei procedit per cognitionem adæquatam omnium quæ ſunt in Deo & quomodo. 451.& ſeqq.
Vnicum tantummodo Verbum in Deo. 447. 449. &c.
Eius proceſſio eſt vera generatio. 378 379. 434 435. 437. 449. & ſeqq.
Eius Incarnationem quomodo Catholica fides accipiat. 520.& ſeqq.
Non mutatur intrinſecè per vnionem hypoſtaticam. 527. & ſeqq.
Non informat, ſed tantum terminat vnionem. 529
Non fit cõpoſitum ex eo quia concurrit ad Chriſti conſtitutionem. 516. &c.
Non dependet ex humanitate, ſed humanitas à Verbo. 530
Veritatem obiecti fidei non exiſtimauit Mahomet neceſſariam ad ſalutem, 193.& ſeqq. 285. &c.
Veritas cogit etiam hoſtes ſuos ad ſe aſſerendam. 407.408.420.516.&c.
Veritas vnius obiecti vna eſt. 343
Veritatem ſequuntur fideles. 45
Veritas Diuinæ Legis & Diuinorum verborum. 274. & ſeqq.
Vigilio Sum.Pont.celebratur Concilium Conſtantin.II. 52
Vinci ex impotentia ſeu defectu aliquo, indecorum; ſinere ſe vinci propter aliquid honeſtum decentiſſimum eſt. 542
Vinum, dicit Alchoranus, eſſe opus diaboli. 255.269
Vinum nunc permittitur, nunc autem prohibetur in Alchor. 255. 269. &c.
Virgilius poeta Cumææ Sibyllæ meminit, Deum hominem prophetantis. 515
Virginitas & caſtitas in Mahometica lege commendatur, ſed oppoſitũ exercetur ab ipſo Mahomet. 201. 255 256. 310. 311. 321
Virginitas elegantiſſima virtus, etiam Mahometo fatente. 311. 321
Virgini non alium parere congruebat, niſi Deum. 347.&c.
Virtutes commendantur etiam à Mahomet. 201.310.311.321
Sed ad fucum vitiorum & iniuſtorum præceptorum. 243.245.310.311
Vita Dei dici poteſt tam Filius, quàm Spiritus ſanctus & quare. 463
Vitam æternam obtinet qui Chriſti carnem manducat ſub ſpeciebus panis, vel bibit ſub ſpeciebus vini. 536
Vltionem expetere, nõ ex zelo iuſtitiæ, prohibitum à Chriſto. 124
Vnione formæ cum materia conſtituitur corpus, compoſitum ſubſtantiale. 521
Vnione ſeu commixtione elementorum fit mixtum. 522
Vnione accidentis cum ſubiecto compoſi-

poſitum accidentale. 522
Vnione, ſeu collectione, ſeu adhæſione plurium diſtinctorum, fit compoſitum per accidens. 523
Vnione ſubſiſtentiæ cum natura fit completum indiuiduum, & ſubſiſtens; & perſona, ſi natura ſit rationalis. 522
Vnio duorum eſt: reſpicit vnũ tamquam ſubiectum, & alterum tamquam terminum. 529
Vnionis terminatio, vt ſic, non importat mutationem intrinſecam in terminãte. 527. & ſeqq.
Vnio hypoſtatica in Chriſto quomodo. 520. 522. & ſeqq.
Vide, Chriſtus.
Vniuerſales propoſitiones primis principijs proximæ ex ſe notæ. 323
Voces non articulatæ verba dici nequeunt. 436
Voces articulatæ ab irrationali prolatæ, non dicuntur propriè verba. ibid.
Volucrum exercitus, ſub Salomone militans, ex poſitione Mahomet. 210
Voluptas hominis maxima ſecundum operationem ſapientiæ. 200
Voluptates pertrahunt homines ad indebita. 180. 181. 364
Voluptates carnales ſunt impedimento prudentiæ & intelligentiæ. 200
Viles contemnendæ. 200. 201
Voluptas venerea excæcat mentem. 200
Circa voluptates, maximè peccat iniquus. 364
Voluptates carnis, dixit Mahomet, eſſe hominis beatitudinem. 196. & ſeqq.
Non ſunt hominis beatitudo. 199 & ſeqq.
Vpupæ auis fabuloſum colloquium ex Alchorano. 210
Vxores viro tribuuntur non tamquam ſeruæ, ſed tamquam coadiutrices. 241
Vxor vna tantum eodem tempore licet, idque naturale eſt. 117. 118
Vxoribus inuitis etiam, licet viris per Mahometum, concubere cum ancillis. 239. 267. 268. 271. 307. 352
Vxorem alterius ſibi Mahomet proſtituit & vſurpat. 238. 267. & ſeqq. 352
Vxores Mahometi ſiue repudiatæ ſiue viduæ ex lege Mahometi nulli licebãt 318
Vxores plures per Mahometum. 240 352
In Vxores accipere affines & conſanguineas ſoli Mahometo, per eius legem, licebat. 234. 235. 312. 315
Vxorem tertio dimiſſam non licere amplius viro, niſi prius libidini alterius ſubijciatur. 259
Vxorem quocũque modo adire, Mahometus dicit licere. 259. 327
Vxores omnes Mahometo licebat, per eius legem, quocunque modo de illis bene vel male mereri. 237. 317
Vxores repudiari poſſunt etiam ſine cauſa per legem Mahomet. 240

ZAchariæ prophetæ Patris Ioannis Baptiſtæ mentionem facit Alch. 17
Zacharias propheta prænunciat Chriſti conſcenſum ſuper aſinæ pullum. 191
De Chriſti vulneribus, & Circumciſione. ibid.
De diſperſione diſcipulorum, paſſionis Chriſti tempore. ibid.
De pretio quo venditus eſt Chriſtus. ibid.
De Spiritus ſancti effuſione. ibid.
De liberatione SS. Patrum à Limbo ibid.
De ſacrificio & ſacramento Euchariſtiæ. ibid.
Zaidus Mahometi vernaculus, primus Mahometi ſectator. 300
Ei vxor à Mahometo aufertur. 307 & ſeqq.
Zelotypia Mahomet. 318

Errata

Pag.8.verſ.1. quibus, *lege*, in quibus. 13.28. De prædeſtinatione, *adde*, ſanctorum. 21.10.iaceat, iaciat. 68.35. limite, limine. 73.2. vt, &. 92. pſalmo.118. pſalmo115. 115.3. Time, Timete. 117.36. quod, quot. 118 26.illi, illis. 168. 16. millia capita, millia capitum. 168.36.millia velamina, millia velaminum. 171.7.perpretantem, perpetrantem. 179.11.12.propendit, propendet. 183.v.penult. propendit, propendet. 186.4. præcipuæ, præcipuè. 196.16. diſtat, diſtet. 200.13.proqitur, proſequitur. 206.28.autem, item. 218.9. ædificauit eum, ædificauit illud. 222.39. ingnorantiam, ignorantiam. 229. 19.profetatur, proferatur. 232.9. vniuerſalem bonum, vniuerſale bonum. 240.26.la vt etiam, la vel etiam. 240.35.Gloria autem, Gloria item. 241.13.coauditricem, coadiutricem. 247.3.occidentes, occidendos. 247.24.ſpolias, ſpolia. 266.3. retrahentur, retraherentur. 279.14.ſpatia pluſquam duorum millium, ſpatia ferè duorum millium. 304.4. & poſt, etiam poſt. 318.1. pax illa, quæ, pacem illam, quam. 319.15.alter, alterum, *bis*. 326.4.quodam, quadam. 367.25.iniuſtitiam, nequitiam. 367.35.impietatem, inſipientiam. 408.32.annotare, adnotare. 413.29.libro, libris ſeptem. 432.16.& 433.12.Maximum, Maximinum. 444.14. Verbum producens, Verbum producere. 468.in apoſtilla. Nec Spiritu ſancto, Nec Spiritus ſanctus vtroque. 476.verſ.antep.vt, &. 513.15.à fin. flamina, flumina. 514.6. Salua- Serua-. 545.7. dixit non Chriſtus, non dixit Chriſtus. 388. in fin. & 594.22.Manichæi à Manes Perſa. 478. 19. interprerari, exponi.